Leipziger Studien zur classischen Philologie

Herausgegeben von
Otto Ribbeck, Hermann Lipsius, Curt Wachsmuth

IX/X

Zwanzig Bände in zehn Bänden

1972
Georg Olms Verlag
Hildesheim · New York

Dem Nachdruck liegt das Exemplar der
Universitätsbibliothek Erlangen zugrunde.
Signatur: Phl. II, 2 e
Das Format wurde gegenüber dem der Originalvorlage
verkleinert.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Leipzig 1887
Printed in Germany
Herstellung: fotokop wilhelm weihert, Darmstadt
ISBN 3 487 04340 8

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

NEUNTER BAND.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1887.

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/leipziger-studien-zur-classischen-philologie_1887_9

INHALT.

Seite

CAROLUS BURESCH, Consolationum a Graecis Romanisque scriptarum historia critica 1

CONRADUS CICHORIUS, De fastis consularibus antiquissimis . . 171

GEORGIUS SCHWEDLER, De rebus Tegeaticis 263

O. RIBBECK, Apinae tricaeque 337

CONSOLATIONUM
A GRAECIS ROMANISQUE SCRIPTARUM
HISTORIA CRITICA.

SCRIPSIT

CAROLUS BURESCH.

Luctum qui acerrimum morbum censerent, innumeris autem molestiis totam uitam ita occupatam esse quererentur ut inire omnino esset malum: eos antiquitus id egisse ut illorum malorum inuenirent medicinas nemo mirabitur. Spectant autem haec quae dixi cum ad ueteres omnino tum ad Graecos in quorum uel antiquissimis carminibus eiusmodi sententias offendimus.

Plato [1]) primus adeo statuit uocem *λύπην ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος ἐπονομασθῆναι ἣν ἐν τούτῳ τῷ πάθει ἴσχει τὸ σῶμα*, et proni hanc simul etymologiam simul sententiam amplexi sunt Cleanthes [2]) et Chrysippus [3]) stoici.

In prouerbii uero usum abierat uox quaedam qua furori adsimulatur luctus quae apud posterioris aetatis comicos passim inuenitur:

Λύπη μανίας ὁμότοιχος εἶναί μοι δοκεῖ [4]),

et omnium humanae uitae malorum summum uocare luctum identidem non dubitauit Menander [5]). Cui perniciosae aegritudini succurrere et mederi potest consolantis amici uox, nam

Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι siue
Ἀλλ' ἐπ' ἄλλῃ φάρμακον κεῖται νόσῳ·
λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμενὴς φίλων [6]).

Moralis philosophiae partis locus qui est de consolatione nescio an sit praecipue aptus ad pernoscendam ueterum litte-

1) Cratyl. p. 419 C. 2) Stob. Flor. CVIII, 59. 3) Cic. Tusc. III, 25, 61. 4) Antiphanis: Com. III, 154 M. cf. Alexidem ib. III, 522. Philemonem IV, 43. Cleaeneti tragici frg. 2 N. 5) Frg. inc. 121. 123. IV, 263. 6) Aesch. Prom. 378 D (Scen. ed. V). Eur. frg. 954 N. Plut. cons. ad Ap. 102 B. cf. Eur. frgg. 1049. 1064. Soph. frg. 239. Philem. frg. IV, 42.

rarum arcanam illam gratiam quae ni fallor efficitur uirtutum specie diuersarum conspiratione consensuque sine quo tamen uera artis opera non nascuntur. Sed ut haec quae in commune paulo obscurius fortasse indicaui, de hoc certo artis genere explanem: in his scriptionibus quibus luctus non tam singulorum quam cunctorum mortalium curatur, diuersas artis species ad unum idemque perficiendum pulchra concordia sociatas deprehendimus. Philosophiae sublimem grauitatem, suauitatem blandam poesis, artis rhetoricae magnificum impetum in partes suas uocat qui consolandi et difficili et ambiguo munere fungitur. Et optima quaeque poetae suppeditabant, plurimosque locos philosophi antiquitus e poetis excerpebant quos aut disertis uerbis exscribebant aut disiectis metri membris ad sermonem adcommodabant. Sic Axiochus Socraticus ille dialogus poetarum locis et apertis et opertis refertus est; sic in Phaedone Plato *παν̣ταχοῦ παρῳδεῖ τὰ τοῦ Ὀρφέως* [1]); sic Crantoris libellus uariatus erat Homeri et Euripidis [2]) praecipue sententiis quarum complures certo possumus eruere; sic Epicurus haud dubie consolationem non minus quam ceteros suos libellos poetarum locis quasi consarcinauit, maxime Euripidi addictus [3]) quem quidem ipse Chrysippus saepe laudauit [4]); nec aliter — uno excepto Seneca — ceteri omnes, cuius rei aptissima exempla supersunt Ciceronis et Plutarchi quae huc pertinent scripta. Ceterum mirifice in eisdem fere locis coloribus luminibus uersabantur hae scriptiones, denique eisdem regionibus circumscriptae erant, ex quo Crantor primus ut uidetur hoc peculiare litterarum genus constituit.

Poetae autem quamquam — id quod consentaneum est et hodie quoque demonstrari potest — praeierunt in hoc genere philosophis (multi erant hac in materia Orphici [5]), et epicedio-

1) Olympiod. ad Phaed. p. 70 C. 2) Diog. IV, 26.

3) Sext. Emp. adv. gram. 1, 13, 273 Bkk.

4) Plut. Mor. p. 1040 B. cf. Cic. Tusc. III, 25, 59.

5) Plat. Phaed. p. 61 B cum scholio. Philolaus apud Iamblich. Protr. VIII, 134. Cic. Hort. frg. 88 Bait. cf. Lobeckii Agla. p. 795 sqq. Eur. Alc. 967. Clem. Alex. Strom. III, 16 (II p. 253 D.).

rum et threnorum genus antiquissimum [1]) non solum mortuos deflebat sed etiam superstites consolabatur) [2]), tamen florentibus quidem litteris in eo minus quam rhetores et philosophi se exercebant. Qui quidem tam accurate totam materiam conlegerant et pro uariis lugendi occasionibus disposuerant, ut mox separatim certae scholae existerent, quae non solum de morte sed de exilio, de interitu patriae, de seruitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu in quo nomen poni solet calamitatis, dicerent et scriberent [3]). Itemque illi diligenter consolationi locum suum in philosophia tribuerant. Scimus

---

1) Il. Ω 721 *ἀοιδοὶ θρήνων ἔξαρχοι* memorantur quorum *θρῆνος* excidit, nam secuntur Andromachae Hecubae Helenae *γόοι* fortasse substituti.

2) Lucian. de luct. XX *ἀλλ' ὅμως οἱ μάταιοι καὶ βοῶσι καὶ μεταστειλάμενοί τινα θρήνων σοφιστὴν πολλὰς συνειλοχότα παλαιοὺς συμφοράς, τούτῳ συναγωνιστῇ καὶ χορηγῷ τῆς ἀνοίας καταχρῶνται, ὅπῃ ἂν ἐκεῖνος ἐξάρχῃ, πρὸς τὸ μέλος ἐπαιάζοντες.* Cf. Il. Ω 723 *Ἀνδρομάχη ἦρχε γόοιο* et 746 *ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.* — Etenim malorum socios habere miseris semper magnum solacium et fuit et est. Nec mirum, si quidem maxime humanum est. Itaque haud dubie antiquissimum argumentum et in consolationibus grauissimus locus est 'alienorum malorum conmemoratio'. Threnorum autem genus, ut fit in talibus, per saeculorum decursum nullam fere mutationem passum est, ut discimus Luciani illo grauissimo testimonio et ex hoc loco epicedii a Statio in patrem scripti quem mihi uideor tandem restituisse (Silu. V, 3, 54 sqq.):

non arua rigaret
Sudor equum, aut putri sonitum daret ungula campo,
Sed Phoebi simplex chorus hic frondentia uatum
Praemia laudato, genitor, tibi rite ligaret.
Ipse madens oculis, umbrarum animaeque sacerdos
Praecinerem gemitum e. q. s.

'Praemia tibi (scil. statuae tuae coronam) ligaret' dicit ut Phaedr. IV, 6, 5 M. 'qui capitibus cornua suis ligarant'. — Inprudenter ut saepe in Statii siluis hunc locum conrupit Baehrens. Ceterum in illo uno argumento uersata est Antimachi consolatio quae *Λύδη* inscripta fuit. Hic enim Lyda coniuge mortua *παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωικὰς συμφοράς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.* Plut. cons. ad Ap. 106 B. cf. Athen. XIII, 597 A. Pariter Pindari Simonidis Bacchylidis atque adeo Statii threni passim ad consolationem spectant.

3) Cic. Tusc. III, 34, 81.

Posidonium stoicum in parte morali non tantum praeceptionem sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam iudicasse[1]). Quamquam quae una nobis tradita est diligentior definitio Eudori Alexandrini qui nouae Academiae philosophus et Straboni Augustoque aetate suppar fuisse uidetur[2]), ad satis recentem pertinet aetatem. Is in opere quod inscripsit *Διαίρεσις τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου*[3]) cum moralis partis tres locos fecisset, unum *περὶ θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας, περὶ τὴν ὁρμήν* alterum, tertium *περὶ τὴν πρᾶξιν*, tertii loci fecit speciem *περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπό τινων πράξεων* quae adpellatur *παραμυθητικός*, a quibusdam autem *παθολογικός**). Itaque hoc genus arte cognatum est *προτρεπτικοῦ* siue 'exhortationis' generi quocum ab antiquis et rhetoribus[4]) et philosophis[5]) passim conponitur.

Verum omnium illorum consolationis generum longe praestantissimum et grauissimum plurimisque modis uariatum et elaboratum est ut facile intellegitur id quod mortis tractat solacia, ut consolationem quae est de morte liceat uocare consolationem *κατ' ἐξοχήν, τὸν παραμυθητικὸν λόγον*. Cuius speciei in litteris initia incrementa, florem exitum hac critica disputatione persequi in animo est; altera libelli parte quam edituri sumus, ipsius consolationis indolem et naturam quantum hodie fieri potest delineare et singula argumenta locosque quibus utebantur ueteres conligere et a primitiis usque ad extrema antiquitatis tempora recensere conabimur. Non igitur licuit subsistere in paucis illis operibus quae consolationis nomine nunc inscribuntur, sed undique conquirenda erant quae ad restituendam deperditorum scriptorum indolem rationemque aliquo modo apta esse uiderentur. Pertinet autem, ut hoc

1) Sen. epist. 95, 65.

2) De Eudori aetate quem in Pythagoreis recensuit Mullachius (in frgg. phil. gr. II, 102 sqq.), nondum liquebat Heusdio, in diatribe in locum philosophiae moralis qui est de consolatione apud Graecos, Trai. ad Rhen. 1840, p. 8. cf. Strab. XVII, 1, 5. Zelleri gr. philos. III, 611 adn. 3.

3) Stob. Ecl. etb. 46 sqq. u. Mull. l. l. 4) Cic. de or. II, 12, 50. 15, 64. Quint. X, 1, 46. 5) Eudorus l. l. 52. Sen. epist. 95, 65.

*) Excursus I.

statim addam, ad genus consolatorium *ὁ ἐπιτάφιος λόγος* [1]) siue laudatio funebris ex ipsius Platonis definitione [2]) e qua eius postremus et quartus locus est *πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος* — licet ipsa floris Atheniensium aetate degenerauerit fere in meram cum defunctorum tum totius Atheniensium nominis laudationem.

Inter philosophos primus in genere consolatorio uidetur uersatus esse DEMOCRITUS qui cum summum bonum statueret *εὐθυμίαν* siue *εὐεστώ* [3]), quomodo hic animi status posset parari conpluribus libris quaesiuit, quales sunt *περὶ εὐθυμίας, Εὐεστώ, ὑπομνήματα ἠθικά* [4]); libello autem qui fuit *περὶ τῶν ἐν Ἅιδου* mortis metum uanum esse uidetur demonstrasse [5]).

---

1) Hic primum ad milites solos pertinebat qui pro patria mortui erant; qualis oratio solis Atheniensibus in morem uenit, ex a. 479 quo Aristides post Plataeensem pugnam laudationem dixit primus, si credis Westermanno (in quaestt. Dem. 1831, II, p. 24). Sed moris origo tenebris obuoluta est: Persicorum bellorum temporibus morem ortum esse crediderim. Cf. Thuc. II, 34, 5. — Apud Romanos inter mulieres prima laudata est Popilia a Catulo filio primo a. Chr. n. s. Cic. de or. II, 11, 44.

2) Menex. p. 236 E. cf. Menandri *περὶ ἐπιδεικτικῶν* c. XI (Rh. gr. III, 421 Sp.). Pseudodion. art. rhet. VI, 4 init. *εἶτα οὕτως ἐπὶ τὸ παραμυθητικὸν τῶν πατέρων . . . ἀναγκαιότερον δὲ ὁ παραμυθητικὸς παραμυθουμένων ἡμῶν τοὺς προσήκοντας.*

3) Diog. La. IX, 45.

4) Diog. IX, 46. Infelicissime Heusdius p. 14. Fabricii coniecturam secutus Democriti opus inscriptum fuisse censet: *Ἀμαλθείας κέρας ἢ περὶ εὐθυμίης ὑπομνημάτων ἠθικῶν η'.* Probabilius conicias perperam in moralibus scriptis enumerari *Ἀμαλθείας κέρας* et fuisse opus quo 'uariam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam' conquireret *πολύτροπος* ille philosophus. Inter eiusmodi librorum inscriptiones illa certe a Gellio praef. 6 memoratur; et Sotionis Peripatetici *Ἀμαλθείας κέρας* 'liber multae uariaeque historiae refertus' ab eodem laudatur 1, 8, 1.

5) Creauit enim Democritus consolationis locum qui est 'de uano inferorum metu'. *Ἔνιοι* — ait apud Stob. Flor. CXX, 20 — *θνητῆς φύσιος διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσι δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης, τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχῇσι καὶ φόβοισι ταλαιπωρέουσι, ψεύδεα περὶ τοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου.* Epicurus

Certum est non pauca consolatoria ad eum redire; historiolam autem quae de Democrito Dareum regem consolante traditur a Iuliano [1]), indicatur a Plinio [2]), olim in aliquo Democriti scriptorum narratam fuisse, tum in unam alteramue consolationem — gaudet enim hoc genus mythis allegoriis fabulis [3]) — migrasse crediderim, praesertim cum Iulianus qui ipse eam in consolatione adfert, reconditam et minus diuulgatam esse adfirmet. Nimirum Lucianus [4]) quod eandem fabulam narrans inducit pro Democrito et Dareo Demonactem cynicum et Herodem Atticum sophistam illum tum clarissimum, aut ioci gratia aut in maiorem amici gloriam hoc fecisse putandus est.

Hipparchum Pythagoreum Lysidi aequalem si inter huius generis scriptores hoc loco enumero, commoditatis causa facio, non quod contra consensum recentiorum philosophorum fragmentum illud consolatorium pulcherrimum id quidem quod ex Hipparchi libro *περὶ εὐθυμίας* exhibet Stobaeus [5]), antiquo illi Pythagoreo ausim tribuere [6]). Attamen recentiorem eiusdem scholae sectatorem quisquis haec scripsit et propter sermonis Graeci bonam notam et propter argumentorum probitatem haud posuerim post I a. Chr. n. saeculum.

Non praetereundus est Prodicus Ceus quippe qui oratione quam de morte et de uitae miseriis habebat multum contulerit ad excolendum genus, ut eum potissimum posterioribus consolationibus certam notam inpressisse certumque colorem dedisse cogamur statuere [7]). Cuius orationis summam debemus auctori Axiochi dialogi; ualde tamen cauendum est ne eo progrediamur ut omnia fere, praecipue illam de animi inmortalitate doctrinam (p. 370 B sqq.), quae illic proferuntur Prodico

---

hunc locum pluribus explanatum omnium ori inseruit; eundem legimus pulcherrime adornatum apud Lucr. III, 978 sqq. L.

1) Epist. 36 H. 2) Nat. hist. VII, 189. cf. Zellerum l. l. III 1, 765.

3) De sententia cf. Democr. frgg. 20 et 41 Mull.; eodem spectat de Luctu fabula in Plutarchi cons. ad Ap. 111 F et ad ux. c. VI.

4) Demonax c. XXV. 5) Flor. CVIII, 81. 6) Iam Meinersius spurium esse contendit hoc fragmentum. Cf. Heusdium p. 30 et Zellerum III 2, 99. 101. 7) Sic iam Welcker in opusc. II, 497 sqq.

deberi cum Geelio et Welckero [1]) putemus. Nam oratio illius sophistae certis finibus a Socrate qui narrat ita circumscribitur, ut incipiat a p. 366 D ubi postquam Axiochus interrogauit: *Τίνα δὲ ἦν τὰ λεχθέντα;* Socrates respondet: *Φράσαιμι ἄν σοι ταῦτα ἃ μνημονεύσω· ἔφη γάρ·* — et pertineat usque ad p. 369 D ubi Axiochus narrantem indignatus interpellat: *Σὺ μέν* inquit *ἐκ τῆς νῦν ἐπιπολαζούσης λεσχηνείας τὰ σοφὰ ταῦτα εἴρηκας.* Tum Socrates sua ipsius de animi inmortalitate doctrina illum mirum quantum consolatur. Nec maiore iure Gobryae narratio Prodico uindicatur. Ceterum quod p. 366 B extr. Socrates fatetur *ταῦτα δὲ ἃ λέγω Προδίκου ἐστί,* innuit locum illum 365 D qui p. 369 C repetitur. Et uideo me in hac re cum Zellero [2]) consentire.

Ipsarum consolationum quae quidem ad nos peruenerint et haud dubie earum quae apud ueteres ferebantur, antiquissimam censeo esse libellum illum aureum qui inscribitur *ΑΞΙΟΧΟΣ ἢ περὶ θανάτου.* Itaque accidit ut ipso initio huius disputationis in quaestiones spinosissimas mergamur simulque grauissimas a quibus iudicium de conplurium huius generis scriptorum fonte faciendum pendeat. Atque perlustranti mihi Graecas Romanasque litteras uix ullius in mentem uenit operis, de cuius auctore tempore pretio tam diuersae et dissonae sententiae a uiris doctis et iis partim horum studiorum principibus in medium latae sint; paene dixerim cum Cicerone: ‘Harum sententiarum quae uera sit deus aliqui uiderit; quae ueri simillima magna quaestio est.’ Sed altius repetendum est et historia ratioque totius quaestionis quam breuissime explicandae sunt.

De auctore Axiochi qui iam Laertii Diogenis temporibus [3]) inter Platonis dialogos *νοθευομένους* ferebatur et hodie quoque plerumque in eiusdem codicibus inuenitur, iam pridem a multis multum dubitatum est [4]), cum alii quorum dux uidetur

1) Vide Welckerum l. l. p. 499. 2) l. l. 1, 1003 adn. 6.
3) Diog. III, 62.
4) Vide I. Fr. Fischeri epistulam ad Gernhardum in ed. III Aeschinis

esse Marsilius Ficinus cogitarent de Xenocrate academico cuius inter scripta Diogenes (IV, 12) librum *περὶ θανάτου* recenset — satis inepte et plane nullo fundamento nixi —, alii multi [1]) Clementem Alexandrinum Stobaeum, Thomam Magistrum codices secuti eum Platoni adscriberent, alii et ii quidem summi uiri uelut Casaubonus Gesner, Hemsterhusius Ruhnkenius libellum esse Aeschinis Socratici suspicarentur — permoti testimoniis quibusdam Diogenis Athenaei, Harpocrationis Suidae. Atque sub Aeschinis nomine Axiochum cum dialogis qui inscribuntur *Ἐρυξίας* et *περὶ ἀρετῆς* primus edidit Ioannes Clericus Amstelodami p. Chr. n. MDCCXI. Cui suspicioni praeter ipsum sermonem qui non semel posterioris sermonis graeci prae se fert uestigia obstare uidebantur grauissima argumenta: cum enim Pollux (I, 35) ex Aeschinis Axiocho *ἀλεκτρυονοτρόφοι* uocem adferat et Athenaeus (XIII, 611 D) Alcibiadem in hoc dialogo ut moechum et hominem uinolentum perstringi testetur, neutrum in eo de quo agitur Axiocho inuenitur. Et Stephanus quidem olim aut illum ad quem isti spectarent Aeschineum dialogum ab eo quem legimus distare aut duos eiusdem nominis sed diuersi argumenti dialogos ab illo esse scriptos statuit; et in eandem suspicionem uideo incidisse Welckerum [2]) qui ‘maiorem’ Aeschinis Axiochum periisse, ‘minorem’ seruatum esse censuit. Primus Meinersius [3]) magno impetu cum in ceteros illos duos dialogos tum in Axiochum sic inuectus est: ‘Aeschinis’ inquit ‘qui feruntur dialogi tantum abest ut illum aliumue Socratis discipulum auctorem habeant, ut ne ab uno quidem auctore profecti sint. Scribendi enim genus quo III dialogi siue Axiochi auctor usus est ab illo sermone qui in duobus prioribus (Eryxiam et de uirtute dialogum dicit) tantum abest ut quiuis Graecae linguae non pror-

---

dialogorum, Lips. 1786, p. 193 sqq. cf. C. Fr. Hermanni qui inscr. Gesch. u. Syst. d. Platon. Philos., Heidelb. 1839, 1, 584.

1) Enumerat eos Fischer l. l. p. 194. 2) Unächtheit der Rede des Lysias gegen den Socratiker Aeschines, in op. I, 422. 3) In ‘iudicio de quibusdam Socraticorum reliquiis’, Gotting. 1782, in Fischeri ed. III p. XXXV sqq.

sus ignarus auctorum etiam diuersitatem agnoscere et possit et debeat.' In Axiocho autem adgnouit putidam et barbaram orationem, pestiferas et inter se pugnantes sententias, intempestiuum declamandi furorem, sermonis sordes et rursus meretricium fucum, immo totum libellum quod a posterioris aeui sophista fictum esset portentosum scriptum ausus est uocare.

Eis quae de ceteris illis dialogis disputauit nemo dubitabit subscribere, si quidem toto caelo distant ab Axiocho fetus isti quorum altero Platonis quaedam doctrinae quam potest maxime inepte atque perperam referantur[1]), altero uero dum legimus sopiamur[2]), uterque insuper iam a ueteribus tamquam spurius damnatus sit[3]). Iudicio autem illi de Axiocho iniquissimo se adplicauit Matthiaeus[4]) eatenus ut dialogum cuius quosdam locos etiam in Ciceronis Tusculanis disputationibus et in Plutarchi ad Apollonium consolatione reperiri obseruasset, ex eodem atque illos fonte Crantore inrigatum itaque post CXX fere olympiadem siue post annum CCXCVII ponendum esse censeret. Idem de libelli aetate quamuis illius ignarus statuit argumentis non additis Wyttenbachius[5]). Tandem defensores nactus est dialogus ille Boeckhium[6]) qui eum uocauit 'inter spurios istius farinae dialogos facile principem, qui plura prorsus diuina et Platone haudquaquam indigna' haberet — et Welckerum[7]) qui notato Meinersii iudicio 'nimis leui' ad pretium tempus rationem statuenda plura adtulit argumenta quae ipse inueneram, priusquam eius disputatio mihi nota esset. Postremo Car. Fred. Hermannus l. l. p. 416 sqq. Meinersii iudicio credo praeoccupatus et abreptus studio dialogi a Platone suo abiudicandi minus recte illum uituperauit inclinauitque

---

1) Meiners l. l. Hermannus p. 414. 2) Sic etiam Meiners. In contrarium sane iudicat Herm. p. 416 et 'de Aeschinis reliquis', Gott. 1850, p. 9; quamquam hunc quoque dialogum spurium esse censet. 3) Diog. II, 60 conl. Suid. s. u. *Αἰσχ.* 4) 'Loci nonnulli libri I Tusc. disp. cum locis Aeschinis et Plutarchi conparati', 1808, in opusc. p. 51.

5) Animadu. in Plut. II p. 699. 6) 'Simonis Socratici, ut uidetur, dialogi e. q. s.', Heidelb. 1810, praef. p. X. 7) In Mus. Rhen. a. 1832 siue in opusc. II, 393: 'Prodikos von Keos, Vorgänger des Sokrates'.

in Matthiaei de tempore sententiam. Sed aliquot annis post aliquantum eum loco cessisse infra uidebimus. — Hodie uero lite posita dialogum illum et ab Aeschine et ab eius aetate uidentur abiudicare [1]). Iamiam quo ego peruenerim integro ut opinor animo diu meditatus tandem licet explanare.

De Aeschinis dialogis testimonia haec sunt: Diogenes (II, 61) VII eius dialogos genuinos Miltiadem Telaugem Rhinonem Calliam Axiochum Aspasiam Alcibiadem; eosdem enumerat s. u. Suidas. Nec discrepat Athenaeus etsi V tantum memorat dialogos, quia nimirum non id egit ut plenum catalogum conponeret — Telaugem Aspasiam Calliam Axiochum (V, 220 A—C), Alcibiadem (XIV, 656 F). Accedunt Harpocratio (I, 41 Dind.) et Pollux (I, 135 Bkk.) qui Aeschinis dialogum *Ἀξίοχος* inscriptum laudant. Certa igitur et constans memoria est de genuinis dialogis inter quos semper Axiochum adparere notato; adde quod Panaetius ex omnibus Socraticorum dialogis genuinos esse censuit Platonis Xenophontis, Antisthenis Aeschinis, ceteros omnes repudiauit [2]).

De huius Socratici scriptis unum fere iudicium est ueterum: longos et urbanos (*μακροὺς καὶ ἀστείους*) dialogos eius esse Lucianus testatur [3]); *τὸ δὲ ἰδίως καλούμενον εἶδος Σωκρατικὸν μάλιστα ζηλῶσαι* praeter Platonem Aeschinem auctor libri *περὶ ἑρμηνείας* qui Demetrii Phalerei fertur [4]), superare eundem Xenophontei sermonis tenuitatem (*λεπτότερος*), Platonici simplicitatem Hermogenes [5]) praedicat; Phrynichus [6]) uero *εἰλικρινοῦς καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνα καὶ στάθμην καὶ παράδειγμα* cum Platonem et Xenophontem tum Aeschinem Socraticum memorat. Equidem omnia illa quae adtuli testimonia persuasum habeo prohibere non posse quominus Axiochum aetati Aeschinis immo huic ipsi tribuamus.

---

1) Vide Zellerum³ II 1, 204 adn. 4 et Gerckium in exigua disputatione quae est 'de consolationibus' exstatque in conlectaneo libello qui inscribitur 'Tirocinium philologum sodalium regii seminarii Bonnensis', Berol. 1883, p. 30. 2) Diog. II, 64. 3) Lucian. de paras. c. XXXII.
4) Apud Fischerum p. 8. cf. Cic. Brut. 85. 5) *Περὶ ἰδεῶν* p. 419 Sp.
6) Phot. Bibl. p. 101ᵇ, 5 B.

At nec uocem *ἀλεκτρυονοτρόφοι* neque Alcibiadis commemorationem in hoc dialogo inuenimus. Optime. Sed in Axiocho quem legimus procul dubio conplures lacunae et satis amplae insunt [1]). Quarum una quidem in oculos incurrit uel obiter legenti, eam dico quae post p. 369 B hiat. Socrates in perpulchra illa et longa uitae molestiarum descriptione postquam regendae reipublicae artem et ipsam miseram esse Axiocho adsentiente demonstrauit, ita pergit l. l.: 'Quoniam igitur' inquit 'etiam omnium artium maxime liberalem putas detestandam esse, *τί τὰς λοιπὰς ἐπιτηδεύσεις ἐννοήσομεν; οὐ φευκτάς; * * * ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας.*' Quis umquam ad rem diuersissimam tam praeruptum transitum facere sustinuit, a regendae rei publicae arte ad mortem? Accedit quod tam inmane uitium cur Axiochi auctori cum Hermanno inputemus ne umbram quidem habemus causae. Etenim fluit usque ad hunc locum sermo plano alueo nullis salebris interrumpentibus cogitationum sanam seriem. Et quod grauissimum est: sententiam quam tum p. 369 B usque ad D inlustrat, eadem ad amussim est quam supra p. 365 D eodem modo eisdemque coloribus Socrates protulit. In quam Axiochus supra nihil respondit: hoc loco subito uehementissime inuehitur et uituperat acerbis uerbis Socratem 'ineptias illas hodie celebratas et ad adulescentulos adcommodatas pronuntiantem.' Haec amplam textus confusionem indicant quam ut statuam praeterea moueor hoc grauissimo quod iam indicauit Hermannus (p. 583) argumento: Axiocho p. 365 C querenti fore ut morte et priuaretur 'hac luce et bonis' et corpus foedaretur Socrates rectissime responderat: *Συνάπτεις γάρ*, inquit, *ὦ Ἀξίοχε, παρὰ τὴν ἀνεπιστασίαν ἀνεπιλογίστως τῇ ἀναισθησίᾳ αἴσθησιν* e. q. s.

Repetenti tum illi p. 369 D partem prioris querellae responsurus Socrates iterum praefatur p. 369 E extr. *Συνάπτεις γάρ, ὦ Ἀξίοχε, ἀνεπιλογίστως τῇ στερήσει τῶν ἀγαθῶν ἀντεισάγων κακῶν αἴσθησιν* e. q. s.

1) Tennemanni eandem suspicionem quamuis nulla certa obseruatione fultam non debuit uno uerbo repellere Herm. p. 584.

Alteram lacunam, non praeruptum transitum cum Hermanno l. l., adgnosco p. 370 B ubi Socrates postquam explanauit Axiochum perperam putare se sensurum esse nihil sentientem: *πρὸς τῷ πολλούς*, inquit, *καὶ καλοὺς εἶναι λόγους περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς*. Sic opinor nemo sanus argumentatione satis inplicata ex inopinato abrupta ad positionem contrariam potest pergere. Esse uero utique inter p. 369 E et p. 370 D med. lacunam statuendam uel inde elucet, quod fieri non potest ut Axiochus cum p. 369 D nihil se accepisse adhuc solacii increpet, paucis uersibus ita commutetur ut 370 D med. sese iam in contrariam peruenisse sententiam atque adeo cupere mori praedicet!

His et talibus pridem adductus sum ut Axiochum qui temporibus satis antiquis *ἀδέσποτος* factus esse uidetur (qua de causa in Platonis scripta aberrauit), nescio quo tempore ita tractatum esse statuerem ut — fortasse in scholarum usum — summa eius excerperetur; quare scilicet mordaces illae de Alcibiadis lasciuia adnotationes et sine dubio multa alia omittebantur. Vestigia tamen acerbae Aeschinis linguae quam notat Athenaeus (XIII, 611 D) nunc quoque adgnoscimus p. 368 D et rationis Socraticae in ironia (quam ego haud solus contra Hermannum [p. 583] bene Socraticam esse puto) qua totum per dialogum perstringitur Prodicus. Quem prae ceteris carpendum sibi sumpsisse Aeschinem etiam in Callia dialogo testatur Athenaeus V, 220 B.

Eodem modo explico posterioris aetatis illa uestigia quae in sermone uere Attico in uniuersum et Socratico, id quod ipse Hermannus concedit, inueniuntur iuxta antiqua et perrara uerba insolentesque elocutiones. Velut passiuam uerbi *εὐσεβεῖν* constructionem (p. 364 C) praeter Axiochi auctorem unus admisit Antipho (III *γ* 11); *ὑπέρ τινα διαφέρειν* (= aliquem superare p. 366 B), *ἀπήχημα* (= dictum p. 366 C), *παρ᾽ ἀκαρῆ* (= propemodum ibid.), *περιψυγμός* (= frigus p. 366 D), *ἐπίκαυσις* (= frumenti rubigo), *κνώδαλον* (= uermis p. 365 C) alias non inuenio; uocem *δέμεσθαι* Homerus eumque secutus solus Hesiodus usurpauit; similem metaphoram uocis *σφυγμα-*

τώδης (p. 368 C) unus Plutarchus (Mor. p. 1088 D), uocis ποππύζειν unus Aristophanes (Vesp. 626) ausi sunt usurpare. Ubi uero in hoc dialogo meretricium fucum animaduerterint mihi non liquet: contra legentem puto inuenturum esse adstrictam haud raro praegnantem breuitatem, quali quantum scio haud ita excellebant 'posterioris aeui sophistae'. Item obseruo imaginum metaphorarum comparationum acrem proprietatem, quae tamen a posteriorum istorum sophistarum artificiis cincinnisque longissime absit, uelut p. 365 D ὥσπερ εἰς ἕτερον ζῆν ἀποθανούμενος; p. 368 C ὅλον, ὥς φασιν, ἕλκος . . . κλᾶον νυνὶ μὲν αὐχμόν e. q. s.; E κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον; p. 371 E τὸ θάρσος τῆς ἐκεῖσε πορείας (sc. in Orcum) παρὰ τῆς Ἐλευσινίας ἐναύσασθαι (sc. mysteriorum facibus! nisi hoc potius merum poetae fragmentum esse mauis censere). Sed plerumque regnat suauis quaedam dictionis simplicitas quam Aeschineam testantur quos adtuli ueteres iudices quamque per totum libellum clarum antiquitatis colorem fundere mihi uideor recte sentire, si quidem eadem de causa olim Casaubonus obiter huius libelli auctorem uocauit 'disertissimum et antiquissimum'. Verum ironiam Socrate dignam utrum debeamus adgnoscere necne p. 366 BC et alias, ipse iudicet lector: post summos uiros equidem ea delector. Contra nusquam conspicio pinguem Platonicorum dialogorum imitationem quam in dialogi personis eligendis, in prooemii indole, in illis fabulis quas in fine inseruit scriptor, grassari Hermannus p. 416 sq. contendit. Nam quasdam compositionis artes, quosdam locos, quaedam lumina omnibus Socraticis communia fuisse sumas necesse est quatenus ex uno omnes fonte hausisse concedis. Quid quod consuetudo inserendi fabulas utique Platone antiquior est? Quid? Platonis pinguis pedisequus inferos describens num ita discrepuerit plane a Platonis notissimis narrationibus [1]) et in uniuersum et in singulis [2]) atque, id quod grauissimum est, sibi ita placuerit in pingendis Tartari et Acheruntis terroribus quos utpote uanos

1) In Phaed. fine et in Gorg. p. 523 C sqq. 2) Cf. Welckerum l. l. p. 500. Duos iudices Minoem et Rhadamanthum etiam Cicero (Aeschinemne secutus?) habet Tusc. 1, 5, 10.

et ad perterrendos homines fictos uel memorari idem Plato tam acriter uetuit? [1]) Sed omnino non inueniuntur in Axiocho loci qui cum illius locis ita concinant, ut ex eo fluxisse censendi sint: rursus totum colorem Socraticum esse nec doctrinas quae de mortis natura proferuntur cum Platonis de eadem re praeceptis pugnare iam Geelius et Welcker [2]) adnotauerunt.

Venimus ad grauissimum argumentum, quo Axiochum utique ante Crantoris aetatem scriptum esse euincitur: exstant apud quosdam scriptores loci quos ad exemplum Axiochi expressos esse concedendum est. Primum malorum humanorum descriptionem exprimi a Cratete Thebano siue cynico [3]) cuiuis uacua mente contemplanti rem liquebit. Videtur autem hoc a me non temere contendi, quandoquidem primus Welcker [4]), tum huius ignarus Reisacker [5]), tum ego idem animaduertimus. Immo ipse Hermannus cognationem uidit, ita tamen ut Teletem [6]) (a quo illud Cratetis fragmentum exhibetur) exprimi ab Axiochi auctore statueret. Perperam haud dubie: nam in Cratete potius deprehendimus imitatorem ducis sermonem simplicem exprimentem amplificantem exornantem. — Neque alia ratio intercedit inter Axiochi auctorem et Crantorem: si enim mihi concesseris Cratetem potius ex Axiocho pendere quam hunc ex illo, facere uix poteris quin concludas item Crantorem ex Axiocho hausisse, cum Cratete compluribus olympiadibus minor natu fuerit. Atque supersunt quaedam uestigia quibus probabile fiat Crantorem Axiochi hic illic fuisse imitatorem. Fuit enim in eius consolatione haud exigua pars qua uitae miseriae deflerentur, qua in re se *τὴν ἀρχαίαν φιλοσοφίαν* sequi ipse fassus est [7]). Principem autem locum inter hos ueteres philo-

1) In Republ. III p. 386 sqq. 2) Hist. crit. sophistarum p. 13. Welcker p. 502. 3) Apud Teletem in Stob. Flor. XCVIII, 72. 4) Cui adstipulatus est Heusdius p. 55. 5) In disputatione quae inscr. 'Der Todesgedanke bei den Griechen', in progr. Treuer. gymn. 1862, p. XXIX.

6) Quanti momenti fuerit quod Wyttenb. Herm. Heusdius parum diligenter cum non uiderent locum Cratetis a Telete exhiberi, semper de Telete cogitauerint atque sic scripserint, infra euincetur. Heusdius uero uideat ne secum ipse pugnet.

7) Plut. cons. ad Ap. 104 C. 115 B. cf. Welckerum p. 511.

sophos qui illum locum tractauerant sine dubio obtinuit Prodicus, cuius splendidum de uitae miseriis sermonem continet Axiochus. Itaque statuendum est: aut scriptor Axiochi ex Cratete uel Crantore totum quem adfert Prodici sermonem hausit — id quod me iudice paene esset somnia fingere, quoniam Axiochus multo plura praebet quam illos habuisse ex eorum fragmentis liceat conicere — aut illi ex Axiocho sermonem Prodici cognitum habuerunt, quia nusquam traditur eius sermones peculiaribus uoluminibus uulgatos fuisse [1]). Accedit quod non solum ex ea parte Axiochi qua Prodici doctrinae referuntur, sed etiam ex aliis dialogi partibus quaedam sumpta comparent apud Ciceronem cuius Tusc. disp. 1, 83 cf. cum Axioch. p. 368 C; 1, 112 cum 370 DE; praecipue autem pulcherrimum illum locum p. 370 B cum Tusc. 1, 61—63 et 68—70. Sed hos locos et eos quos statim indicabo conlatos leges in ea parte disputationis qua de Crantore agitur. — Quod uero complures illius orationis locos apud nonnullos philosophos qui post Crantorem scripserunt (quos partim iterum ex hoc ipso pendere infra singulis quaestionibus probare studebimus) ita uidemus comparatos ut ex ipsa conlatione auctorem Axiochi ducem, illos sectatores esse cognoscamus [2]): id egregie adiuuat nostram disputationem.

His potissimum argumentis iterum ac saepius diligenter perpensis eo deductus sum ut statuerem Axiochum Aeschineum, utique e Socraticorum aetate repetendum esse.

Et nunc uelim animaduertas ea quae de dialogo postrema scripsit a. MDCCCL Hermannus (l. l. p. 8): ‘Aliquid semper facultatis manebit ut Axiochi nostri scriptor in Aeschinis librum cognominem simili modo grassatus sit quo Platonis Menonem ab eo qui dialogum de uirtute conscribillauit, excerptum mutilatum interpolatum esse uidemus.’

1) Cf. ib. p. 512.

2) E. g. historiolas quae sunt de Trophonio et Agamede et de Cleobide et Bitone. Praeterea ad p. 365 D cf. Cic. Tusc. 1, 90. ad p. 369 B cf. Cic. 1, 91. Plut. 109 F. ad p. 370 B cf. Cic. 1, 25, 61—63. 68—70, quos locos infra ubi de Crantore dixi accurate contuli.

Videsne quam prope haec sententia in quam uir doctissimus quasi inuitus tandem deuenit, ab ea absit quam ego integro animo paullatim mihi conformaui? — Itaque non iam dubito accuratius Axiochi tempus ex ipsius p. 368 D concludere, ubi a Socrate *οἱ πρώην δέκα στρατηγοί* memorantur. Ergo non ante a. 406, fortasse paulo post Aeschines Axiochi quem legimus *ἀρχέτυπον* scripsisse uidetur.

Liceat in calce huius disputatiunculae suspicionem quandam proferre. Inferorum descriptionem quae in fine libelli inde a p. 371 B legitur, haud exigua ex parte ex aliquo poeta uideri depromptam esse iam Welcker l. l. p. 500 obiter monuit. Poetarum membra quae utpote disiecta paucis pedibus exceptis in certum metrum non possumus redigere — haec fere statuerim

I. (*ὅσοις . . ἐν τῷ ζῆν*) *δαίμων ἀγαθὸς ἐπέπνευσεν*. Locutio est plane poetis propria profecta ea quidem a metaphora Graecis Romanisque uatibus communi. cf. e. g. Verg. Aen. IX, 525 'Vos, o Calliope, precor adspirate canenti'. II, 384 'adspirat primo Fortuna labori'. Tib. II, 3, 71 'quibus adspirabat Amor'. Ou. Met. I, 2. 3. 'Di coeptis ... adspirate'.

II. *ἔνθ' ἄφθονοι μὲν ὧραι . . .*
. . . . . παγκάρπου γονῆς
βρύουσι πῆγαι . . . . . .

cf. Soph. O. R. 82 *παγκάρπου δάφνης*. El. 635 *θύματα . . . πάγκαρπα*. Pind. Isthm. III. 59 *πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα*. Pyth. IX, 58 *παγκάρπων φυτῶν*.

III. de Sisyphi saxo: . . . . . *οὗ*
τὰ τέρματ' αὖθις ἄρχεται πόνων ⏑ –,

ubi quam graphice meri illi iambi decurrant aures sentiunt. Dactylo-logaoedicae poesis haec uidentur esse uestigia in descriptione camporum beatorum:

IV. *παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαριζόμενοι*. cf. Pind. frg. 130 B. ubi de eadem re dicitur: *ἐν λειμώνεσσι φοινικορρόδοις* — quod fragmentum exstat in Plut. cons. ad Apoll. p. 120.

V. (*συμπόσια τε*) *εὐμελῆ καὶ εἰλαπίναι αὐτοχορήγητοι*. Haec omnia utique poetae sunt. Vox *εἰλαπίνη* est Homerica

quam bis admisit Euripides: α 225. Κ 217. Λ 413. Ψ 201. Eur. Med. 193. Hel. 1337. Verbum uero pulcherrime compositum quod est αὐτοχορήγητος hoc uno loco adparet; ualet autem idem atque ‘sponte adornatus’. cf. αὐτόμορφα τειχίσματα: sunt moenia natura formata Euripidi (frg. 124 N.); pariter αὐτόῤῥιζον ἑστίαν χθονός scribit auctor Rhesi u. 288. Neque aliter ἄντρα uocat αὐτόκτιτα Aeschylus Prom. 301, et Sophocles dixit αὐτοκτίτους δόμους fr. 308.

VI. (οὔτε γὰρ) χεῖμα οὔτε θάλπος (ἐγγίγνεται ἀλλ᾽) εὔκρατος ἀὴρ χεῖται ἁπαλαῖς ἡλίου ἀκτῖσιν ἀνακιρνάμενος.

Haec uix indigent commentatione. Adnoto tamen uocem quae est χεῖμα prorsus poetarum esse propriam; nam quod apud Plutarchum in pedestris sermonis ordine legitur (p. 129A), pertinet ad eum poetam qui ibi statim laudatur.

Pergit autem statim Aeschines (p. 371 D): ἐνταῦθα inquit τοῖς μεμυημένοις ἐστί τις προεδρία. Atqui Plutarchus et ipse in fine consolationis ad Apollonium (p. 120 C) duo maiora fragmenta e Pindari quodam threno adfert, quorum altero[1]) beatus piorum animorum in campis Elysiis status eisdem describitur[2]) coloribus, quos in Aeschinis paraphrasi uidimus. Et praefatur Plutarchus (p. 120 B) huic fragmento: εἰ δὲ inquit ὁ τῶν παλαιῶν τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, οὕτω καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἐστί τις ... προεδρία καθάπερ λέγεται e. q. s. Comparanti haec cum illo Axiochi loco probabitur, utrumque spectare ad unius poetae carmen, quo talis προεδρία mortuo alicui mysteriis Eleusiniis (cf. Ax. p. 371 E!) initiato promissa sit. Qui poeta mihi uidetur esse Pindarus, cuius fragmentum (137 Bgk)

ὄλβιος ὅστις ἰδὼν κεῖν᾽ εἶσ᾽ ὑπὸ χθόν᾽· οἶδε μὲν βίου
τελευτάν,
οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν —

quod ad mysteria Eleusinia esse referendum Clemens testatur, equidem ad threnum pertinere pro certissimo adfirmauerim,

1) Pind. frg. 130 Bgk. 2) Cf. Pind. Olymp. II, 67 sqq.

si quidem Plato in Phaedone [1]) et Plutarchus in consolationis ad uxorem capite X et Socrates in Axiocho ex eadem mysteriorum notitia solacium petunt. Ad illum igitur eundem Pindari threnum duo illa quae a Plutarcho adferuntur fragmenta et Aeschinis paraphrasin partim spectare conicio. Quod in carmen Pindarus more suo uidetur inseruisse fabulam de Bacchi et Herculis in Orcum descensu quam paulo post dialogi auctor memorat. Unde fortasse sumpsit metaphoram illam Pindari sublimi licentia dignam quae est *τὸ θάρσος τῆς ἐκεῖσε πορείας παρὰ τῆς Ἐλευσινίας ἐναύσασθαι.*

Platonis scripta ut passim consolatoribus largam materiem praebuerunt, ita tria ex eis proprie in genere consolatorio uersantur, Menexenus Phaedo Apologia Socratis quorum primum [2]) quod exemplum orationis funebris continet, cum omnino ad hoc genus formandum alicuius fuit momenti tum ab auctoribus laudationum quae Lysiae et Demosthenis feruntur compluribus locis expressum est, cum ipse Plato hic illic ad laudationem Periclis apud Thucydidem exstantem [3]) respiciat [4]); — alterum scriptum, Phaedonem dico, generis humani

1) Plat. Phaed. 69 C *ὁ κεκαθαρμένος* (scil. mysteriis) *τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει.*

2) Hunc dialogum contra grauia illa Aristotelis et Ciceronis testimonia contraque Stallbaumium (cuius u. Prolegg.) Hermannum (l. l. 1, 409. 519 sq.) Blassium (att. eloqu. II, 433) alios (quos uide nunc apud Berndtium qui scr. 'de ironia Platonici Menexeni', Monast. 1881, p. 1 adn. 3) a Platone haud ausim abiudicare cum Zellero l. l. II, 418. Atque maximi ponderis argumentum ad probandam libri ingenuitatem e totius dialogi aperta ironia repetendum est: quod si minus inuenit certe diligenter stabiliuit Berndtius nuper l. l. Et res omnino uidetur clamare: exaggerando et sermonis et argumenti ineptias ridet Plato ineptorum laudatorum pecus, haud aliter atque Hauffius noster olim fabula illa quam 'Der Mann im Monde von H. Clauren' inscripsit, Claurenium uoluit perstringere. Quid si quando exoriatur qui eam ex illius scriptis expellat? Ceterum et huic et Platoni consilium in contrarium uertit neque ab aequalibus neque a posteris perspectum.

3) Thuc. II, 35—46; dicta est oratio a. 430 cf. Westerm. l. l. p. 29.

4) Dion. de adm. ui dic. in Dem. XXIII. Berndtius contulit compluria schemata p. 4 sq.

magnam consolationem haud absurde dixeris, id quod ipse Plato sub finem dialogi (p. 115 D) indicat, cum Socratem faciat dicentem *ταῦτά μοι δοκῶ ... λέγειν παραμυθούμενος ἅμα μὲν ὑμᾶς, ἅμα δ' ἐμαυτόν.* Nec minus praeclarae illae de mortis natura quaestiones et sententiae quae in Apologia proferuntur, mox semperque *πολυθρύλητοι* in omnium eorum ore uersabantur qui de morte aut dicerent aut scriberent.

Tertius Socratis discipulus locum qui est de consolatione tetigit Xenophon, si quidem in eo libello quo Cyrum suum celebrat hunc ipsum moribundum inducit et se et filios argumentis Socrate dignis adloquentem [1]); — si idem auctor censendus est alterius Socratis Apologiae quae sub eius nomine fertur. Et uide, iterum in uariarum quaestionum fluctus delabi cogimur qui tamen multo facilius tutiusque mihi uidentur posse tranari.

Libellum igitur hunc qui Demetrio Magneti [2]), personato Dionysio Halicarnassensi [3]), Dioni Chrysostomo [4]) ob oculos fuisse uidetur quique a Diogene (II, 57. III, 34) Athenaeo [5]) Stobaeo [6]) adgnoscitur Xenophonteus — postquam primus Valckenarius cum in eo nec quidquam quod non legeretur in Memorabilibus inueniri nec Xenophontis 'capitale ingenium' cerni arbitraretur, ab illo abiudicauit [7]): uariis modis huc illuc traxerunt uiri docti, nunc merum Xenophontem nunc apertum falsarium praedicantes. Quorum labores nec mihi licet defugere quia e iudicio de libelli indole faciendo sequitur quanti et qua trutina ea quae illo continentur, notabilia ea quidem, pendamus.

Quaeritur autem de his tribus: utrum quae et in Memorabilium libri IV capite VIII et in Apologia leguntur, ex illo

1) Instit. Cyr. VIII, 7, 6—28.

2) Demetrius hic Ciceroni aetate suppar Apologiam in scriptis X. recensuit: Diog. II, 57.

3) Art. rhet. c. XII p. 358 Rsk.

4) Or. XXVIII p. 535 Rsk. cf. ad Apol. § 6.

5) V, 218 E locus e § 14 adfertur.

6) In Flor. VII, 75 et 81 duo loci e §§ 28 et 25 excerpti exstant.

7) Adn. ad Xen. Mem. III, 3, 9 et I, 1, 1.

in hanc an ex hac in illud an e communi fonte in utrumque manauerint. Quorum si primum statueris, Apologiam spuriam esse concludas necesse erit, nisi forte scriptorem eandem rem bis eisdem fere uerbis tractare credas; si alterum, illud Memorabilium caput damnabis; si uero tertium, profecto complures oriuntur quaestiones. Ceterum inter uiros doctos[1]) qui post Valckenarium huc incubuerunt, defenderunt librum Bornemannus[2]) in primis et Geelius[3]), damnauerunt Caspersius[4]) Schmitzius[5]), Hugius[6]) Dindorfius[7]); nuper Langius[8]) Pohlius, Schenklius[9]) ex quibus Geelius Dindorfius (l. l. p. XIII) Langius (l. l. p. 29 sqq.) etiam Memorabilium illud caput spurium et ex ipsa Apologia haustum esse censuerunt. Schenklius ex eodem capite Memorabilium (quod statuit l. l. II, p. 144 et 147 ab eodem interpolatore siue diasceuasta qui per totum opus grassari ei uidetur adsutum esse) adhibitis Memorabilium libro I et Platonis Apologia rhetorum nescio quem discipulum conscribillasse alteram illam Apologiam l. l. III, p. 169 censet, nimis artificiose et si quid uideo non probo usus fundamento uir doctissimus. Nam cum ipse cogatur et Apologiam — quamuis sit spuria — saltem II a. C. n. saeculo tribuere et illud Me-

1) Enumerantur in Sauppii ad libellum praef. et in Pohlii scriptione quae est 'Die angebl. Xenoph. Apologie in ihrem Verhältniss zum letzten Cap. d. Memor.', Altenb. 1874, p. 21 sqq.

2) 'Socratis Apol. a X. uulgo abiudicata', in ed. libelli, Lips. 1819 (non parabilis mihi).

3) De Xen. Apol. Socr. et postremo Mem. cap. 1836; cui se addicit Heusdius p. 32.

4) In Jahn. annal. suppl. ad a. 1842 p. 100 sqq.

5) On the Apol. of Socr., commonly attribued to X., in Dind. ed. Mem. et Apol. praef. p. XVII; quamquam sermonem bene Atticum uel certe merum esse fatetur: 'the language', inquit, 'is perfectly worthy of X. and his age'.

6) 'Die Unechth. d. dem X. zugeschr. Apol. de Socr.', in Koechlii 'akad. Vortr. u. Reden' 1, 430 sqq.

7) L. l. p. XIV et XVIII.

8) De X. quae dicitur Apol. Socr. et extremo Mem. cap., Halis 1873.

9) In Xenophonteorum studiorum partibus II et III, in Relationum litt. acad. Vindob. uol. LXXX p. 135. 146; ib. LXXXIII p. 169.

morabilium caput spurium esse arbitrari: iam, ut omnino possit illa ex hoc fluxisse, iterum cogitur diasceuastam illum capitis illius patrem etiam antiquiorem fingere. Statuit autem III fere a. Chr. n. saeculum. Ergo ἐκ νόθου νόθον! Sauppius omnino iudicium suspendit. In statuendo autem libelli scripti tempore ii qui damnant, ualde dissentiunt, cum Westermannus Schmitzius[1]), Langius Schenklius eum saeculo a Chr. n. uel III uel II uel I a sophista quodam fictum, Koechlius[2]) Pohlius (l. l. p. 65) Grotius[3]) ipsa Xenophontis aetate scriptum esse arbitrentur. Equidem libellum genuinum esse persuasum habeo: ut demonstrare posse mihi uidear eum non dignum esse qui fastidiose detrectetur neque satis prudenter a Xenophonte abiudicatum esse, utique autem prae se ferre auctorem illi et ingenio et aetate aequalem, spurium uero esse Memorabilium libri IV caput VIII.

Viri docti quos quidem de hac re disputantes cognoui — sunt autem VIII — quattuor potissimum in rebus mihi uidentur peccasse.

Primum omnes fere conferendis iterum ac saepius Memorabilibus et (multo rarius id quidem) Platonis Apologia obliti sunt praeter hunc et Xenophontem multos illa aetate de Socratis extrema uita scripsisse[4]) atque illorum utrumque hausisse et ex uulgata fama et e commentariis qui de his rebus a multis scripti ferebantur[5]).

Erant deinde qui nimis grauiter in cogitationum ordinem rationemque animaduerterent et parum prudenter dicendi genus ab aetate Xenophontis alienum esse contenderent[6]).

---

1) L. l. p. XVII.

2) In oratione quam habuit de Socrate populoque Atheniensium, in Akad. Vortr. u. R. I, 363 adn. 2. Idem eis quae hoc libello narrantur prorsus fidem habet.

3) Gesch. Griechenl.², Berl. 1882, IV, 674 adn. 121.

4) Excepto uno Hugio qui l. l. p. 437 praeter Mem. et Plat. Apologiam etiam alios aetate aequales auctores statuit exhaustos esse.

5) Apol. § 1 *γεγράφασι μὲν οὖν περὶ τούτου καὶ ἄλλοι καὶ πάντες ἔτυχον τῆς μεγαληγορίας.*

6) Pluribus exposuerunt Caspers Langius Pohlius.

Utinam dum imagini Socratis a Platone non tam in Apologia quam in dialogis super naturam humanam sublime lati inhaerent, ne obliti essent hominis quem quidem a Xenophonte cum alias tum in Apologia pictum esse uideo.

Ea uero quae non tam ad defensionem quam ad consolationem in illo libello pertinent cum miro modo procul habita essent a uirorum doctorum ad unum omnium cogitatione, neglecta sunt. Atqui haec ipsa non traduntur nisi in hac Apologia.

Primum nullo iure ea quae in Mem. IV, 8 et in Apologia eisdem saepe uerbis proferuntur ex illo in hanc fluxisse contenderunt. Quid enim? si in Apologia praeter ea quae aut cum Memorabilibus aut cum Platone aut cum utroque communia habet, inueniamus quae neutro loco exstent: unde haec repetamus? cur malum potius Apologiae auctorem praeter Xenophontem et Platonem etiam alios illius temporis fontes adhibuisse quam illos et Apologiae auctorem aeque illa ex eodem fonte hausisse statuamus cui hic etiam ea debeat quae solus habet? Si doctissima quaedam et optima eum unum nobis propinare tibi demonstrauero: tu mihi concedes eum in eodem gradu ponendum esse ac Memorabilium scriptorem et Platonem, id est eum quae cum Memorabilibus et Platonis Apologia praebet communia, ea reuera cum illis habere communia, non ex illis mutuatum esse. Et hoc per singulorum qui huc pertinent locorum indolem recte a me statui infra studebo probare. Interim adtende:

Ap. 26	Plat. Ap. p. 41 B	Mem. IV, 8, 10	Xen. Mem. IV, 2, 33
Παραμυθεῖται δέ τί με καὶ Παλαμήδης ὁ παραπλησίως ἐμοὶ τελευτήσας· ἔτι γὰρ καὶ νῦν καλλίους ὕμνους παρέχεται Ὁδυσσέως τοῦ ἀδίκως ἀποκτείναντος αὐτόν.	*Ἐπεὶ ἔμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι, ὁπότε ἐντύχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν, ἀντιπαραβάλλοντι τὰ ἐμαυτοῦ πάθη πρὸς τὰ ἐκείνων, ὡς ἐγὼ οἶμαι, οὐκ ἂν ἀηδὲς εἴη.*	*Ὁρῶ δ' ἔγωγε καὶ τὴν δόξαν τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων ἐν τοῖς ἐπιγιγνομένοις οὐχ ὁμοίαν καταλειπομένην τῶν τε ἀδικησάντων καὶ τῶν ἀδικηθέντων.*	*Τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὕμνοῦσιν ὡς διὰ σοφίαν φονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται.*

Haec spectare ad Socratis eadem uerba quae in defensione sua re uera fecerit et illo consensu euincitur et praeclare confirmatur hoc argumento. Ille quod dicit Palamedem cum maxime hymnos praebere: ad praesens tempus spectans proprie dicit quippe quo ille heros tragoediis ipsius nomine inscriptis et a Sophocle [1]) et ab Euripide [2]) celebratus sit. Cum uero huius Palamedes post poetae ipsius et Socratis mortem repraesentaretur, choro de Palamedis iniqua nece *θρῆνον* canente

ἐκάνετ᾽ ἐκάνετε τὰν
πάνσοφον, ὦ Δαναοί,
τὰν οὐδέν᾽ ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν

totum theatrum conlacrimauit haec uerba Socratis nece interpretans[3]). Quid iam apertius est quam Athenienses memores illorum uerborum quibus Palamedis e simili casu se solacium capere apud iudices dixisset Socrates, ita esse perculsos? Accedit quod ad illud *τὰν οὐδέν᾽ ἀλγύνουσαν* unice quadrat quod ille se defendens id potissimum identidem adfirmauit ‘neminem umquam a se esse uiolatum’, uelut in eadem § 26 *ἠδίκησα μὲν οὐδένα πώποτε.*

Illum autem locum quem supra adscripsi Apologiae auctor e Mem. l. IV c. 8 non potuit depromere quoniam isto loco Palamedes omnino non nominatur. Nec magis per me quidem licet cogitare de Memorabilium illo altero loco, ubi ille a Socrate plane diuerso et sententiarum conexu et consilio arcessitur simul cum Daedalo ad probandam sententiam quae est ‘e bonis non semper bona oriri’.

Deinde ne Platonem quidem h. l. in Apologia exprimi (id quod Langius p. 11 obiter posuerat) uidetur esse statuendum.

---

1) De Sophocleae Palamedis tempore nihil constat. frg. 434 sqq. N. Ceterum Aeschylum quoque Palamedem scripsisse uidemus: schol. Aesch. Prom. 457. Nauck l. l. p. 45.

2) Euripides Palamedem suam ipse docuit Ol. 91, 1 s. 416/5. u. Nauckium p. 297 sq. frg. 582 sqq.

3) Frg. 591. Diog. II, 44. uide Valckenarii diatr. p. 197 sq. Nauckius huius acutissimi inuenti ignarus ad temporum rationes historiolam illam non quadrare perperam censuit ad frg. 591.

Nam satis diuersa ratione ab utroque eandem sententiam adornari quiuis concedet.

Num uero imitatoris est locum tam poetice et proprie adornatum, qualis est Platonis, tam breuiter tamque tenuiter effingere? cum alias imitatores non tam quid dicatur, sed quo modo, soleant curare, itaque formarum proprietates, non sententiarum aucupentur.

Unde conligitur non uideri Apologiae auctorem illorum cuiquam locum suum debere, sed cum Xenophonte (IV, 2, 33; de IV 8, 10 infra) et Platone hausisse ex uno fonte, fortasse ex ipso ore Socratis se defendentis[1]). Ex Memorabilium autem libri IV loco priore hoc unum discitur: Xenophontem Socratis tum celebratissimam de Palamede hymnis laudato uocem memoria tenuisse, alio tamen loco et alio consilio et aliquantum uariatam data occasione adhibuisse. Atque hoc ipso loco contra aduersarios utor sic quaerens: Xenophon cum illud dictum teneret, quidni in Mem. IV, 8 potissimum, perinde atque Apologiae auctor et Plato, disertis uerbis et accurate, ut par erat, tradere quam tam leuiter et obscure adumbrare maluit? Quid? cur tandem tribuit Socrati cum Hermogene conloquenti, non id quod erat ueri scriptoris, se defendenti?

Et nunc statim mecum inspicias quaeso hoc specimen peruersissimi generis scribendi: *ὁρῶ δ' ἔγωγε καὶ τὴν δόξαν τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων ἐν τοῖς ἐπιγιγνομένοις οὐχ ὁμοίαν καταλειπομένην τῶν τε ἀδικησάντων καὶ τῶν ἀδικηθέντων.* Nemo adhuc hunc locum, nisi omnia me fallunt, cum illis contulit; credo, quia quid sibi uellet non satis perceperunt, id quod in tanta loci ambiguitate et obscuritate minime mirum est. Voluit autem hoc fere dicere: equidem uideo etiam illorum hominum qui ante nos fuerunt eos qui iniuria affecti sunt maiore apud posteros gloria frui quam eos qui laeserunt. Agnoscisne Platonis et Apologiae illos locos? quibus tamen nebulis offusam eandem sententiam, quam laeuo stilo omnino

1) Quam inique quantaque confidentia de Palamede increpat Caspers l. l. p. 124, inscius sane et Platonici loci et illorum hymnorum naturae.

conceptam inuenimus! An uero non maxime e re Socratis erat quam clarissime dicere maiorem gloriam esse laesis quam eis qui laesissent? Non igitur apte egit homo quod Socratem finxit ambigue dicentem non eandem (οὐχ ὁμοίαν) esse illorum gloriam, cum ea uerba duplicem admitterent interpretationem. Atque quam claudo pede quamque molesto interuallo dirimente sequitur illud τῶν τε ἀδικησάντων καὶ τῶν ἀδικηθέντων post id quod est τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων, quae membra nimirum artissime coniungenda erant. Itaque nec id quod uoluit dicere, apte potuit.

Sed reuertamur ad argumentationem nostram.

Iam cum hoc loco scriptorem etiam fraudis (conloquenti Socrati dictum tribuitur, perperam, ut supra docui) conuicerimus, multa illa huic Memorabilium capiti cum Apologia communia, quae illic conloquio, hic orationi tribuuntur, perperam illic conloquio uindicari nostro iure censebimus. Hoc grauissimum argumentum quo illud Memorabilium caput a Xenophonte abiudicetur, addimus Langii Schenkliique[1]) argumentis quibus iampridem mihi persuaserant illud non posse non esse adulterinum.

Hactenus nunc generaliter de fonte[2]).

Deinde argutius quam uerius nonnulli uiri docti compositionem libelli hic illic sane securam et laxam notasse uidentur, si quidem id unum egit auctor ut quam maxime ad uerbum admirabilis uiri referret sententias, quapropter, ut fit, narrationis elegantiam minus curauit. Facile autem adparet conloquium illud et Socratis orationem mirifice ueritatis et fidei

---

1) Langii u. praecipue p. 31 sqq. quae adeo auxit doctissime Schenklius l. l. II, 136—146. e. g. molestissima Deliacae nauis conmemoratio nequit esse X. Atheniensis Atheniensibus narrantis (§ 2). Cogitationes uero saepe non dico obscuras sed perplexas esse et ineptas.

2) Obiter moneatur uix posse explicari cur auctor Apologiae, si reuera Platonis Apologiam adhibuerit, ne uerbum quidem ex illa tam diuulgata Socratis de mortis natura disputatione (p. 40 sqq.) in suum libellum transtulerit. Adfinxisse illa Platonem, Apologiae auctorem rerum gestarum scriptorem omisisse quis non ex hoc silentio concludat?

speciem prae se ferre. Spernuntur calamistri, spernuntur uerborum tinnitus, spernitur meretricius ille fucus, quibus cogitationum aut insaniam aut uanitatem oblinere solent rhetores; uelut adtonitus ille Memorabilium extremi capitis auctor et ubi propria inculcat — nonne quae paragraphis tertia et nona leguntur specimina mentis fatuae? — et ubi, ut solet, furta illa uendit. Contra Apologiae auctor tam sicca frugali aspera utitur dictione qua me iudice fraudis suspicio procul arceatur, nedum de rhetoris exercitio cum Schenklio cogitare possim.

Quod nonnulli, nouissime Langius (p. 22 sqq.) et Pohlius (p. 43 sqq.) e paucis aut semel aut insolentius aut recentiorum scriptorum in modum dictis argumentum petiuerunt, profecto minus prudenter fecerunt, quatenus in Xenophontis scriptis tria milia amplius uocabulorum inueniuntur semel ab ipso dictorum, in his CCCXXVII quae praeter singulos locos Xenophonteos omnino non leguntur ἅπαξ εἰρημένα quae uocantur; dubia uel suspecta sunt CCCLXVI, poetica fere CCCXVI, a consuetudine optimorum scriptorum recedentia uel cum recentioribus communia CCCCI; unus liber Cynegeticus CCLXI uocabula semel a Xenophonte dicta habet quorum in numero sunt XLII ἅπαξ εἰρημένα [1]). Taedet his numeris uerbum addere.

Plerique offenderunt in Socratis μεγαληγορίᾳ et in acerbitate quadam, qualia de eo aliunde innotescere negauerunt. At enim in Apologia non Socratis ἰδέαν quae sane in uisceribus nostris quasi haeret antiquitus, sed hominem uidemus quem in iudicio adhibuisse 'liberam quandam contumaciam' qua inritaret iudices et disertis uerbis traditur [2]) et adparet ex eis quae re uera eum apud iudices dixisse consensu Platonis et Apologiae auctoris conligitur [3]). Nempe nihil Langius (p. 19 sq.)

1) Verba sunt Sauppii in commentatione de X. uita et scriptis p. XV (in op. ed. uol. I).

2) Cic. Tusc. 1, 29, 71; ubi iam Fr. A. Wolfius ex Apologiae § 1 μεγαληγορίαν adnotauit.

3) E. g. utroque loco proditur ipsum oraculum edidisse 'Socratem esse mortalium sapientissimum': Apol. § 14 extr. Plat. p. 21 A. Uterque deinde significat hoc orationis loco tumultuatos esse iudices. In Xen. Memor.

agit cum primum statuat in memorando illo oraculo ab auctore Apologiae expressum esse Platonem, dein miretur quod ea quae in Apologiae paragrapho 23 de litis aestimatione narrantur, aduersa fronte cum eis pugnant quae de hac re in Platonis Apologia (p. 36 DE) leguntur. At me dius fidius! si quis quem uno loco aperte imitatur, non tam stultus erit ut altero loco paulo post in re notissima ab eodem ita recedat ut ipsum contrarium tradat cui neminem fidem habiturum esse ipse concesserit! Itaque potius in hac re Apologiae auctorem diuersam famam, in aliis eandem[1]), nusquam autem Platonis Apologiam secutum esse cogimur statuere.

Venimus ad argumenta consolatoria unius Apologiae fere propria. Quorum nonnulla saltem obseruans unus Caspersius insudauit frustra quaerendo unde haec ‘ceterorum scriptorum auctoritate destituta’ (l. l. p. 125 sq.) sumpserit scriptor. Videamus compensentne insolentiam bonitate. Spondeo ac promitto. Sic autem ad Hermogenem Socrates § 6: *Νῦν δέ* inquit *εἰ προβήσεται ἡ ἡλικία, οἶδ' ὅτι ἀνάγκη ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἀποτελεῖσθαι καὶ ὁρᾶν τε καὶ ἀκούειν ἧσσον καὶ δυσμαθέστερον εἶναι καὶ ὧν ἔμαθον ἐπιλησμονέστερον*[2]), et § 8 de senectute dicit (*γήρᾳ*) *εἰς ὃ πάντα συρρεῖ τὰ χαλεπὰ καὶ μάλα ἔρημα τῶν εὐφροσύνων.* — Hoc argumentum quod uiri docti post Schneiderum passim uituperauerunt utpote a Socrate ipso septuagenario prolatum, ipsi uituperandi sunt; etenim luce clarius est illum *ὠμογέροντα* detrectare senectutem illam decrepitam quae sane adfert ista incommoda.

---

hoc oraculum omnino non memoratur. — Plat. Apol. p. 36 D et Cic. de or. 1, 54, 232 addunt dixisse Socratem se meruisse cui quotidianus uictus in prytaneo publice praeberetur.

1) Apologiae auctor cum Platone communes omnino habet locos III; nam accedit ad eos quos notaui non tam gemellus quam similis locus: Apol. § 30 et Plat. p. 39 B extr.: Socrates uult utroque loco *χρησμῳδῆσαι* utpote moribundus. Vaticinatur autem apud Plat. iudicibus poenam. in Apol. filii Anyti turpem exitum. Vides iterum de eadem re uariam esse ortam famam quam illi diuersi sunt secuti. Concedit de h. l. Hugius p. 435.

2) Sententiam cum Mem. IV, 8, 8 communem habet, non elocutionem.

Sed uide quam inprudenter omnino illi ipsum argumentum carpserint quod tamen optime et Graecum et Socraticum est. In Axiocho enim idem Socrates eodem argumento ad consolandum Axiochum utitur, concinente adeo uerborum ornatu[1]): εἶτα inquit λαθὸν ὑπεισῆλθε γῆρας εἰς ὃ πᾶν συρρεῖ τὸ τῆς φύσεως ἐπίκηρον καὶ δυσαλθές. κἂν μή τις θᾶττον ὡς χρέος ἀποδιδῷ τὸ ζῆν, ὡς ὀβολοστάτις ἡ φύσις ἐπιστᾶσα ἐνεχυράζει τοῦ μὲν ὄψιν, τοῦ δὲ ἀκοήν, πολλάκις δὲ ἄμφω. — A duobus igitur Socraticis, si me audis, hoc argumentum Socraticum confirmatur: constat perantiquum esse. Cuius rei grauem testem adhibeo Euripidem querentem[2])

Φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ὄχλος
καὶ σχῆμ', ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα·
νοῦς δ' οὐκ ἔνεστιν, οἰόμεσθα δ' εὖ φρονεῖν.

Et Sophocles ubi non nasci longe optimum esse, proximum autem quam primum mori docet et miserias uitae narrat, acerbe sic perstringit senectutem[3]):

τό τε κατάμεμπτον ἐπιλέλογχε
πύματον ἀκρατὲς ἀπροσόμιλον
γῆρας ἄφιλον, ἵνα πρόπαντα
κακὰ κακῶν ξυνοικεῖ

ubi quis non sentit iterum dictionis similitudinem?

---

1) P. 367 B in descriptione uitae malorum quam e Prodici oratione refert Aeschines. Debuit igitur Socrates hoc argumentum Prodico cuius reuera esse illam orationem quae in Axiocho seruatur nemo prodiit qui negaret, excepto uno Heinzio qui nuper in disputatione quam scripsit de Prodico Ceo in act. soc. litt. Lips. 1885 p. 332 et 333 adn. 5 obiter de fide Axiochi dubitauit; quem quidem mihi non satis aestimasse uidetur uir doctissimus. — Mirifice profecto accedit ad hunc Axiochi locum Bio Cynicus apud Teletem (Stob. Flor. V, 67 s. Mull. frg. phil. gr. II, p. 424[a]), ut libeat eius uerba adscribere: .... ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι, ὅταν ἡ μισθώσασα φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται, τὰ ὦτα τὰς χεῖρας τοὺς πόδας.

2) In Aeolo, frg. 25. — Accedit eximius locus Herc. fur. 638 sqq. D.

3) Oed. Col. 1235 sqq. cf. frg. 864 πάντ' ἐμπέφυκε τῷ μακρῷ γήρᾳ κακά, ad quem fortasse spectauit Aristophanes loco inrisionis pleno ubi

Accedit testimonium quo mihi plane probetur a uero Xenophonte illum locum esse scriptum. Dio Chrysostomus in consolatione senem Melancomae mortem gementem sic adloquitur: *ἀνάγκη γὰρ* inquit *αὐτῷ ἦν προβαίνοντι ἀντὶ μὲν καλλίστου αἰσχροτέρῳ γίγνεσθαι, ἀντὶ δὲ ἰσχυροτάτου ἀσθενεστέρῳ.*

Iam, ut mihi sit concedendum non mero casu tam similes esse et sententiam et elocutionem Apologiae [1]) et Dionis [2]), si reputaueris eundem Dionem alias [3]) magno spiritu se Xenophontis imitatorem praedicare: nonne debebis concludere illum Apologiam ut Xenophonteam manibus triuisse ideoque expressisse? nonne illum idoneum Xenophontei generis dicendi iudicem esse censebis? Aliter saltem cogeremur libellum, etiamsi spurium censeremus, satis antiquae tribuere aetati.

Solus deinde Apologiae auctor Socratem id solacium quod inter nobilissima quae umquam a consolatoribus prolata sunt argumenta numerandum est, bis sic facit adhibentem § 5: *ὅπερ γὰρ* inquit *ᾔδιστόν ἐστιν, ᾄδειν ὁσίως μοι καὶ δικαίως ἅπαντα τὸν βίον βεβιωμένον* atque § 28 Apollodorum lacrimantem adloquitur [4]): *σὺ δὲ . . . μᾶλλον ἂν ἐβούλου με ὁρᾶν δικαίως ἢ ἀδίκως ἀποθνήσκοντα;* Repetiuit pluribusque explanauit argumentum Crantor [5]) (qui in consolatione se totum Socraticis addixit doctrinis), cum *τὸ μὴ δι' αὐτὸν κακῶς*

---

chorum fecit gementem (Vesp. 441) *εἶτα δῆτ' οὐ πόλλ' ἔνεστι δεινὰ τῷ γήρᾳ κακά; δηλαδή* eqs.

1) Concedunt et Langius et Schenklius. Ceterum de Mem. imitatione h. l. cogitari nequit quia hoc loco haec sententia plane aliis uerbis profertur.

2) Or. XXVIII (Melancom. I u. infra) p. 535 R. quem locum iam a L. Dindorfio ad Apol. adnotatum esse uideo.

3) Or. XVIII p. 481 sqq. R. Huius loci notitiam debeo Langio qui ipse contra se pugnat p. 27 sqq., cum Apol. auctorem 'hominem male sanum' identidem adpellet, deinde concedat Dionem eius imitatorem esse. Nempe hominis illius male sani!

4) Diog. II, 35 et Val. Max. VII, 2, ext. 1 extr. ad lacrimantem uxorem haec faciunt dicentem Socratem iam ad os poculum admouentem.

5) Apud Plut. cons. ad Ap. p. 114 C.

πράττειν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας doceret; post quem idem praedicauerunt Cicero[1]) Plutarchus Philiscus[2]) alii. — Magni ingenii solacium etiam hoc est quo § 23 lacrimantes amicos adgreditur[3]): οὐ γὰρ inquit πάλαι ἴστε ὅτι ἐξ ὅτουπερ ἐγενόμην κατεψηφισμένος ἦν μου ὑπὸ τῆς φύσεως ὁ θάνατος; ubi uel metaphora Atheniensem et lenis illa ironia Socratem prodit.

Eiusdem os adgnosces audiens quae de propitii dei prouidentia scribuntur § 5: ἦ θαυμαστὸν νομίζει εἰ καὶ τῷ θεῷ δοκεῖ ἐμὲ βέλτιον εἶναι ἤδη τελευτᾶν . . .; et § 7: ἴσως δέ τοι καὶ ὁ θεὸς δι' εὐμένειαν προξενεῖ μοι οὐ μόνον τὸ ἐν καιρῷ τῆς ἡλικίας καταλῦσαι τὸν βίον ἀλλὰ καὶ τὸ ἧ ῥᾷστα, qualia item in posteriorum consolatorum ore uersari solent[4]).

Haec et talia adhuc plane neglegebantur, unde ortum est illud non minus falsum quam tralaticium: nihil esse in Apologia quod non legeretur in Xenophontis Memorabilibus, praecipue in libri IV capite 8. Verba 'praecipue in libri IV capite 8' consilio addidi quoniam haudquaquam me fugit

1) Tusc. III, 16, 35. ad fam. VI, 3, 4. 4, 2.

2) Dionis loco (XXXVIII, 25) admodum memorabili ubi Philisci nescio cuius ad Ciceronem exulantem consolatio antiquis doctrinis plena refertur: λογίσαι τοῖθ' ὅτι ἐπειδήπερ ἅπαξ ἐπέπρωτό σοι τοιοῦτό τι παθεῖν, κάλλιστον δήπου καὶ ἄριστον συμβέβηκε τὸ μηδὲν ἀδικήσαντά σε ἐπηράσθαι.

3) Eodem redit quod (Diog. II, 35) Socrates ad eum qui dixit: θάνατόν σου κατέγνωσαν Ἀθηναῖοι pronuntiat: κἀκείνων ἡ φύσις. Idem adnotat alios hoc dictum tribuisse Anaxagorae. cf. Menandri frg. 281 (Com. IV, 293 M.)

Ἐπὶ τοῦτ' ἐγένοντο πάντες, ἐνθάδ' ἥξομεν.

Sen. cons. ad Marc. X, 5 extr. ep. 37, 2 extr. inc. ad Pol. II, 3. Stat. Silu. II, 1, 16: 'quidquid init ortus finem timet' (ubi notes uelim praegnantem uerbi uim quae est 'zu fürchten, bestehen haben', cuius ignarus uel Bentleius Sen. Herc. fur. 45 et 454 'domuit' censuit conrigendum. Omnino autem in nouissima demum Georgis lexici editione hic usus obseruatus est, ubi adde Herc. Oet. 292 (absolute positum), tolle Herc. f. 793).

4) Iam Homerus (Γ 65) deorum prouidentiam docuit quem sequitur Sophocles frg. 876. cf. El. 173 sqq. Ad idem dictum spectat Eurip. frg. 981 (cf. Hippol. 439 sq. 833). Illud libenter laudabat Chrysippus ut stoicus: Plut. de stoic. repugn. p. 1040 B. — cf. Plut. cons. ad Ap. 117 D. Dio Chrys. or. XXX, p. 549 R.

Hugium (p. 432) et post eum Langium quibus se addixit Schenklius locos nonnullos ex aliis Memorabilium libris sumptos cum similibus Apologiae contulisse [1]). De qua re postremo loco dicere curaui ne uulgata ista sententia praeoccupatus eos contempleris neue a me aurem auertas. Quos locos si conferis, prorsus aliam similitudinem quam quae inter extremum illud caput et Apologiam intercedat statim adgnosces: notabis meram sententiarum similitudinem. Verum enim uero haec quidem quo modo non fieri potuerit in tanta argumentorum similitudine utriusque libri non adsequor. Si quidem in Memorabilibus Xenophon Socratem contra uarias adcusationes defendit, et idem faciens hic ipse in Apologia inducitur. Immo Xenophonti praeceptorem purganti interdum ea, quibus ille olim usus erat, sponte in calamum fluxisse non dico probabile esse, uerum ipsius naturae rationibus exigi contendo. Profecto fieri non potuit quin saepe isdem argumentis utpote aptissimis et optimis uteretur. Accedit quod plurimorum ueterum scriptorum more nec Xenophon dubitauit suas capsas compilare. Omitto eiusdem commentarios cum Agesilao comparare quia hic et ipse suspectus est. Ipsa res a probabilitate non abhorret: quidni aliquanto post Socratis mortem [2]) hunc libellum aptissimae adpendicis loco 'Socratis Memorabilibus' adiecerit? [3])

Equidem fretus eis quae disputaui et ueterum librorumque testimoniis [4]) non esse cur a Xenophonte abiudicetur Socratis Apologia adfirmo.

---

1) Mem. 1, 1, 2 et Apol. § 11. 1, 1, 3—5 et Apol. § 13. 1, 2, 2 et Apol. § 19. 1, 2, 49—53 et Apol. §§ 20. 21.

2) Apol. § 34 *ἐγὼ μὲν δὴ κατανοῶν τοῦ ἀνδρὸς τὴν τε σοφίαν καὶ τὴν γενναιότητα οὔτε μὴ μεμνῆσθαι δύναμαι αὐτοῦ οὔτε μεμνημένος μὴ οὐκ ἐπαινεῖν.*

3) Ita simul respondi eis quae de hac re Hugius l. l. p. 435 statuit; refutasse mihi uideor utique hoc in quo eius sententia nititur: 'Es lässt sich doch gewiss nicht annehmen, dass er eine ganze Schrift aus den schon vorhandenen Memor. ausgezogen und herausgegeben habe'.

4) Neque enim quidquam curo argutias Caspersii qui p. 101—107 l. l. serio sudauit in carpendis his testimoniis.

Totus periit Xenocratis Chalcedonii *περὶ θανάτου* liber[1]).

Ne hunc quidem litterarum locum a se intactum esse uoluit Aristoteles cuius in *τοῖς ἐν κοινῷ γιγνομένοις λόγοις* (ut ipse dicit) erat *Εὔδημος ἢ περὶ ψυχῆς* dialogus[2]) et consolatio, si quidem pulcherrima illa de Eudemi Cyprii somnio et fato historiola quam Cicero secundum Aristotelem se narrare fatetur, ex Eudemo esse constat[3]), — et omnium clarissimum illud fragmentum a Plutarcho seruatum[4]) ceteraeque nobiles reliquiae optime in consolationem quadrant. E quibus ualde probatur Aristotelem hunc dialogum in amici mortui (occidit autem Eudemus a. Chr. n. 354 apud Syracusas) honorem et in ipsius consolationem scripsisse.

Simillima ratio est Theophrastei libri qui inscribitur *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους*[5]). Quem librum meram fuisse consolationem facile e testimoniis et fragmentis concluditur, ut non opus sit Heusdii artificiosis ambagibus (p. 40 sq.). Cicero enim iterum (Tusc. III, 10, 21) e Theophrasto adfert locum: ‘ut Theophrastus interitum deplorans Callisthenis sodalis sui .... (dicit eum) incidisse in hominem (scilicet Alexandrum) summa potentia summaque fortuna’. Idem (Tusc. V, 9, 25) ipsum librum laudat: ‘uexatur idem Theophrastus ....’, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam ‘Vitam regit fortuna, non sapientia’’ [6]). Adparet utroque loco eundem Theophrasti librum ab illo adhibitum esse. Quibus Ciceronis locis

---

1) Diog. IV, 12.

2) Dialogum fuisse Eudemum docet fragmentum Plutarcheum. Accedit quod in numero scriptorum in uulgus editorum erat, cf. J. Bernaysii librum qui est de Aristotelis dialogis p. 15. p. 18 sqq. 93.

3) De diuin. 1, 25, 52 sq. Pridem sic statuerunt interpretes quos secutus est Heusdius p. 38, Rosius cum locum inter Eudemi reliquias (frg. 32 ed. acad.) poneret, Bernaysius l. l. p. 143.

4) Cons. ad Ap. p. 115 B sqq. Eundem Aristotelis locum Crantor in consolationem transtulerat.

5) Diog. V, 44. Cic. Tusc. V, 9, 25.

6) Chaeremonis tragici frg. 2. cf. frg. 19. Erat ut e poetis comicis discimus (u. Alexidem in Com. III, 399. Philem. IV, 39. Menandr. IV, 212 sq. M.) illius saeculi tristis sententia.

comparatis cuiuis liquebit eiusdem libri fragmentum a Plutarcho in consolatione p. 104 D seruatum esse hoc: *Ἄσκοπος γὰρ ἡ τύχη, φησὶν ὁ Θεόφραστος, καὶ δεινὴ παρελέσθαι τὰ προπεπονημένα καὶ μεταρρῖψαι τὴν δοκοῦσαν εὐημερίαν, οὐδένα καιρὸν ἔχουσα τακτόν* [1]).

Ceteri Peripatetici praeceperunt de officio consolantis[2]); Dicaearchus autem scriptis quae uocauit *λόγος Κορινθιακός* cuius II et III libris Pherecratem quendam Phthiotam senem quem ait a Deucalione ortum, disserentem induxit[3]), et *λόγος Λεσβιακός*[4]), uidetur uersatus esse in genere consolatorio. Ceterum mihi probatur hos *λόγους* esse eosdem libros quos 'Dicaearchi *περὶ ψυχῆς* utrosque' alio loco significat Cicero[5]). Docuit autem Dicaearchus altero libro 'nihil omnino esse animum', in altero 'animos esse mortales'; uel inde quod Tusc. disputationes scribens Cicero illis tam inpense usus est, multa consolatoria in eis infuisse recte concluditur.

Transeo ad Cynicos quorum ipse parens Antisthenes diligenter locum consolatorium tractasse uidetur, quantum quidem licet conicere e librorum inscriptionibus quales sunt *Περὶ τοῦ ἀποθανεῖν, Περὶ ζωῆς καὶ θανάτου, περὶ τῶν ἐν Ἅιδου*[6]). Certo huc pertinet Diogenes Sinopensis, quem scripsisse librum

1) Wyttenb. a. l. obiter eandem suspicionem adnotauit. Idem mihi uidetur recte propter uicinitatem magni illius Crantoris fragmenti statuisse Plutarchum eidem Theophrasteum locum debere; nec potest dubium esse quin Crantor illius librum de luctu adhibuerit.

2) Cic. Tusc. III, 31, 76. 3) Ib. 1, 10, 21.

4) Ib. 1, 31, 77 'Acerrume autem', inquit, 'Dicaearchus deliciae meae contra hanc inmortalitatem disseruit. Is enim III libros scripsit qui Lesbiaci uocantur .... in quibus uult efficere animos esse mortales'.

5) Osannus (Beitr. z. gr. u. röm. Litteraturgesch. II, p. 40 sqq.) suspicatus est idem si eum recte intellexi. Cf. Muelleri fragm. hist. graec. II, 265 sq. — Cic. ad. Att. XIII, 32, 2 '*περὶ ψυχῆς* Dicaearchi utrosque' amicum sibi mittere iubet. Haec epistula mense Maio scripta est. Attamen iam in Consolatione illum adhibitum fuisse dixerim, propterea quod eam scripturus quaecunque de luctu et de eis quae huc pertinent scripta erant, Tullius apud Atticum legerat. Cf. Schneiderum de Cic. Cons. p. 10.

6) Diog. VI, 17. Mull. II, 261 sqq. Librum *περὶ τῶν ἐν Ἅιδου* iam Democritum scripsisse supra adnotauimus.

περὶ θανάτου Diogenes Laertius, interque eos ‘qui uel epistolis uel libris luctum minuere sunt conati’ memorat Hieronymus siue Cicero[1]). Erat fortasse inter epistulas quas praeter illum librum l. l. commemorat Diogenes, una alteraue consolatio. — Nec defuit huic generi Crates Thebanus cuius illud quod est de uitae molestiis fragmentum ad Axiochi exemplum scriptum esse supra p. 16 obseruauimus. Et uide! exstat in Anthologia Palatina (IX, 359) et in Stobaei florilegio (98, 57) epigramma quo similiter[2]) uitae molestiae describuntur. Concluditur autem (u. 9 et 10) sic:

Ἦν ἄρα τοῖν δισσοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
μηδέποτ᾽ ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

De carminis auctore incerta est memoria, cum cod. Palat. *Ποσειδίππου, οἱ δὲ Πλάτωνος τοῦ κωμικοῦ*, Stobaeus illum unum superscribat, contra Planudes *Ποσειδίππου, οἱ δὲ Κράτητος τοῦ κυνικοῦ*, cod. Reg. 1773 unius Cratetis nomen memoret. Iam tu opinor Cratetis fragmento conlato si reputaueris aperte incertam fuisse de epigrammatis auctore memoriam: non pro mera coniectura habebis illam de Cratete auctore adnotationem, sed huic illud carmen tribues, praesertim cum epigrammata eum scripsisse constet[3]). Et cur inprobabile sit eum quae in philosopha scriptione disputasset in breue epigramma coniecisse? Accedit quod antiquissimam illam uersuum 9 et 10 doctrinam in scriptis consolatoriis (cf. praecipue Ax. 368 A et Aristot. Eudem. frg. 40 ed. acad.) passim locum tenuisse infra uidebimus.

---

1) Epist. 60, 5 Vallars. Notissimus hic locus quo e Cic. Consolatione excerptos consolatores enumerat, saepius adhibebitur.

2) Ante Welckerum l. l. p. 510 iam Matthiaeus l. l. p. 46 adn. hoc epigramma a poeta Axiochi memori confectum esse uideri obiter dixerat. Unam manifestam imitationem adpono. Ax. 368 A:

Ποίαν δέ τις ἑλόμενος ἐπιτήδευσιν ἢ τέχνην οὐ μέμψεται καὶ τοῖς παροῦσι χαλεπανεῖ;

Crates uersu primo pariter deliberat:

Ποίην τις βιότοιο τάμῃ τρίβον; — Vides quam arte cognata haec omnia inter se cohaereant.

3) Anth. Pal. epigr. VII. 326, IX, 497, X, 104 Cratetis Thebani sunt.

Delabamur commoditatis causa in Stoicorum cateruam quorum princeps Chrysippus nos statim accipit. Is enim quamquam non propriam scripsit consolationem multus tamen fuit in tractando hoc genere philosophiae et utilissima de eo praecepit in magno opere περὶ παθῶν cuius liber IV θεραπευτικός plane huc pertinuisse uidetur [1]).

De eius praeceptorum Zenonis et Cleanthis scriptis pauca, plura de doctrinis scimus.

Eiusdem fere aetatis uidetur esse Teles[2]) de quo nullum exstat testimonium praeter ipsius fragmenta. Adnumerabatur olim Pythagoreis (ad quorum sectam in dubiis libenter confugisse uidentur uiri docti), nec Heusdius aliud quid proferre ausus est quamquam illam coniecturam fundamento plane carere uidens miratus est, cur Teles, si esset Pythagoreorum socius, non memoraretur in eorum catalogo a Iamblicho composito. Neque ullum re uera est indicium quo ductus Pythagoreorum sectae eum adscribas; contra se Stoicum satis aperte ille profitetur. Accedit quod saepe Diogenem Cratetem, Zenonem Cleanthem itemque Stilponem et Bionem Borysthenitam laudat. Ceterum bene meritus est de consolationis genere, et maiora eius fragmenta exstant scriptorum περὶ φυγῆς [3]) et περὶ εὐπαθείας [4]). Cuius quidem libri reliquiae lepidissimae nonnullis locis ita conueniunt cum locis Plutarcheae consolationis ad Apollonium, ut primo oculorum obtutu a Plutarcho eum adhibitum esse putauerim. Sed ex eodem fonte potius uterque uidetur hausisse. Laudat enim Teles (IV, p. 52 ed. Mein.) 'Lacedaemoniorum inscriptionem': Οὕτε τὸ ζῆν θέμενοι e. q. s.; et idem distichon profert Plut. Λακωνικόν· (p. 110 C), sed cum aliud initium praebet (Οἳ θάνον οὐ τὸ ζῆν e. q. s.) tum laudat illud cum altero Laconico quod ille non habet [5]). Cum autem neutrum omnino distichon nisi ab his philosophis a nullo scriptore

1) u. Heusdium p. 68 adn. 3.

2) u. Zellerum III, 1, 43. 3) Stob. Flor. XL, 8. 4) Ib. CVIII, 83.

5) Adi Bergkii Lyr.[4] III, 516, qui alterum Laconicum omisit. Ceterum Plutarchi lemma quod est Λακωνικόν etiam ad hoc epigramma (οἳ θάνον οὐ τὸ ζῆν κτλ.), quod uerbis καὶ πάλιν inducitur, pertinere non

seruetur, licet ut opinor statuere: aut alterum ex altero aut utrumque ex eodem fonte hausisse; quorum cum prius ut adparet minus probabile sit, alterum statuimus. Alia Teles cum Cicerone et Seneca communia habet.

Panaetius deinde et Posidonius (qui quidem etiam ab Hieronymo l. l. enumeratur) inter consolatores locum tenent; et illius quidem ad Q. Tuberonem epistulam consolatoriam memorat cum uituperatione Cicero [1]). In eadem autem epistula Panaetius Crantoris librum *περὶ πένθους* ad uerbum ediscendum Tuberoni commendauit. Idem scripsit librum *περὶ εὐθυμίας* ad quem recte rettulerunt uiri docti eum locum quem Panaetii bis laudat Plutarchus [2]). Posidonium quoque praeter opus quod *περὶ παθῶν* inscripsit consolationem uel de luctu proprium librum composuisse ex Hieronymi illo loco et ipsius ex dicto (cf. supra p. 6 adn. 1) fortasse recte conicias contra Bakium et Heusdium (p. 75).

Hoc potissimum loco apte adiungitur Claudius Galenus nobilissimus ille II p. Chr. n. saeculi medicus, quamquam quod adtinet ad philosophiam rectius *τοῖς ἐκλεκτικοῖς* adscribitur [3]). Ipse librum suum *περὶ παραμυθίας* qui nunc tamen deperiit, memorat [4]).

Summis laudibus a ueteribus efferebatur Crantoris consolatio Academici siue libellus *περὶ πένθους* quem ille miserat ad Hippoclem de morte liberorum eum consolaturus [5]).

Cuius libri quamuis amissi non exiguam partem tamen refingere possumus, si quidem fundamentum fere fuit illa con-

---

temere opinor supra posui. Nam haec epigrammata a Plutarcho et iuxta ponuntur et ad amussim unum colorem prae se ferunt; postremum Teles de quo agitur distichon uocat Lacedaemoniorum epigramma: *ἐπιγράφουσι Λακεδαιμόνιοι* dicit.

1) De fin. IV, 9, 23.

2) De cohib. ir. p. 463 D. de tranqu. an. p. 474 E. cf. Heusdium p. 72 sq.

3) Sic Zeller, III, 1, 824.

4) De suis libris c. XIII (uol. XIX Kühn.).

5) Plut. p. 104 C. Diog. IV, 27. Cic. Acad. II, 44, 135.

solatio omnium eorum qui consolandi munus susceperunt, atque inprimis Ciceronis et Plutarchi quorum uterque ex hoc potissimum fonte libellos qui sunt eiusdem argumenti uidentur conscripsisse. Ita enim mirus ille consensus qui permultis locis intercedit inter Ciceronis Tusculanas disputationes et Plutarchi consolationem ad Apollonium antiquitus a uiris doctis explicatus est. De ratione autem restituendi huius libri alii aliter cogitauerunt, cum Wyttenbachius[1]) et ex aliis indiciis et ex diuersitate rationis et orationis et quodam antiquitatis colore ipsa Crantoris uerba e Plutarcho segregari posse contenderet; Frid. Schneider[2]) et Henr. Ed. Meier[3]) ad quos quasi patronos se adplicauit Heusdius (p. 44 sqq.), librum totum erui conlatis Ciceronis Tusculanis et Plutarchi consolatione putarent; Kayser[4]) Crantori nisi locos qui ei nominatim a Cicerone uel a Plutarcho tribuerentur nihil dari uellet.

Quorum nemo mihi uidetur rectam uiam ingressus esse. Atque Wyttenbachium quidem qui illo argumento usus Plut. p. 104 C usque ad p. 105 et p. 106 D usque ad p. 107 nimis confidenter tribuerat Crantori, merito refutauerunt Kayser et post eum Mullachius[5]). Sed ne Schneidero quidem prorsus adstipulor qui in disputatione sua eo progressus est ut quidquid inuenit non dissimile siue elocutionum siue sententiarum apud Ciceronem et Plutarchum[6]), Crantori uindicaret. Etenim manifestum est in genere litterarum tam elaborato quosdam necessario fuisse locos omnibus eis qui illud colerent communes. Quare equidem multo cautius esse agendum ratus Crantori haec fere tribuerim: primum ea quae aut disertis uerbis illi tribuuntur aut certo uel magna cum probabilitate quibusdam

1) Adn. ad Plut. Mor. II, 698.

2) 'De Crantoris Solensis libro qui *περὶ πένθους* inscr. commentatio', in Ztschr. f. d. Altert.-Wiss. 1836 No. 104 et 105.

3) 'De Crantoris libro qui *π. π.* inscr. disp.', Halis 1840.

4) De Crantore Academico, Heidelb. 1841.

5) In frgg. phil. gr. uol. III, p. 131 sqq.; quamquam satis habuit Kayseri disputationem transscribere.

6) E. g. Plut. p. 107 D et Cic. Tusc. 1, 117. Plut. 113 A et Cic. II, 27, 65 alia.

rationibus ei possunt uindicari; deinde propria quaedam sententiarum, elocutionum, exemplorum lumina ab utroque sine dubio ex uno fonte hausta, quem esse Crantorem singulis quaestionibus studebo probare; postremum quae Axiocho cum Cicerone (et Plutarcho) communia sunt.

Et cum primum quidem e cauta Ciceronis et Plutarchi comparatione mihi adpareat Crantor, argumenta eorum qui omnino hanc uiam iniri uetant, refutabo. Kayser p. 37 negat probabile esse Ciceronem bis breui tempore eundem librum et in Consolatione et in Tusculanis exhausisse. At hoc argumentum profecto nauci non est, si quidem contra adeo per se patet in duobus libris plane eiusdem argumenti ab eodem scriptore eundem adhiberi fontem. Accedit quod Cicero in scribendis Tusculanis, id quod infra accuratius erit demonstrandum, non tam iterum ipsum Crantorem quam suam ipse Consolationem exhausisse censendus est.

Deinde ille Ciceronem in Tusculanis plus seuerum stoicum quam mitem Crantoris similem consolatorem agere iactat. Quam hoc nihil curandum! Quasi non possis, immo debeas saepe librum adhibere cuius cum auctore non omni ex parte consentias! Neque quisquam umquam contendit praeter Crantoris doctrinas Tusculanis nihil contineri: etenim quinque minimum partibus maiores sunt illius libello, et sexcenti alii nominantur auctores. Contra plus uno loco disertis uerbis laudatur Crantor et compluriens idem certissime deprehenditur. Multo quidem grauius uidetur esse illud argumentum quod primus Matthiaeus l. l. p. 51 et post eum Corssenus (Mus. Rhen. XXXVI, p. 518) alii protulerunt. Dicunt utique non omnes locos Plutarcho et Ciceroni communes Crantoris esse posse quia unus sit locus quem non potuerit ille habere:

Cic. Tusc. 1, 39, 93	Plut. p. 113 F
Quamquam non male ait Callimachus 'multo saepius lacrimasse Priamum quam Troilum'	*Μεῖον γὰρ ὄντως ἐδάκρυσεν Τρωΐλος ἢ Πρίαμος*

si quidem uterque indicet idem Callimachi carmen florentis illius quidem post Crantorem qui natus sit circa CX olympiada. Sed quo iure hoc docuerint ipsi uideant. Ego quamuis hoc

loco nec possim nec uelim de Callimachi aetate fusius disputare, haec tamen breuiter adnoto. Crantor certo paulo ante Polemonem decessit[1]) qui, si Eusebio fides habenda est, anno a. Chr. n. 268 mortuus est senex[2]); ille autem cum Xenocratem condiscipulus Polemonis audiuerit, uix plus decem annis hoc erat natu minor[3]) et decessit utique non inmaturus[4]). Itaque si Polemonem circa a. 340 natum esse statuimus (praeerat ille scholae ex anno 313. Diog. IV, 16 extr.), non procul a uero aberrantes Crantorem circa a. 330 natum, mortuum paulo ante a. 268 esse concludemus.

De Callimachi uero aetate licet accuratius nihil possit statui, hoc tamen certissime uidetur enucleari: illum Crantori aetate aequalem uel compluribus annis eo natu maiorem fuisse. Cui temporum computationi fundamentum praebent quattuor illae Arati uitae[5]) et quae Suidas de Callimacho conrasit. His testimoniis cum nuper Buschius qui separatim 'de bibliothecariis Alexandrinis qui feruntur primis'[6]) disputauit, nescio quo iure neglegenter usus sit, rem paucissimis retractaturus sum.

Primum Callimachum Arato maiorem natu fuisse certa

---

1) Decessisse eum omnino ante Polemonem testatur Diog. IV, 27.

2) Diog. IV, 20.

3) Diog. IV, 24. cf. Zellerum³ II, 847 adn. 2. Aliquanto tamen minor natu erat Polemone utpote cuius sectator fuit (Diog. IV, 25 *διακοῦειν Πολέμωνος*). cf. quae de Crantore habet anonymus Platonicorum philosophorum indicis Herculanensis auctor Ciceroni aetate fere aequalis (ed. Buecheler ind. schol. Gryphisw. a. 1869/70) col. XVI:

[*Κράντωρ*] *δὲ Σολεὺς θα[υμ]αζόμενος κατέλιπε [τὴ]ν εὐημερ[ίαν] καὶ π[αρ]αγενόμενος Ἀ[θήναζ]ε πρῶτον μὲν Ξενο[κ]ράτους ἤκουσεν, ὕστερον δὲ μετὰ Πολέμωνος ἐσχόλ[α]ζεν [κα]ὶτ[οι] πολὺ διαφέρων ἐν οἷς.....*

4) Diog. IV, 25 *καὶ γήρως ἤλυθεν οὔτι πρόσω.*

5) Cogitari potest in harum uitarum fontibus fuisse Arati uitam Plutarchi. Hic enim teste Lampriae qui fertur catalogo (no 40 Treu) scripsit uitam Arati, poetae puta, non inperatoris, cuius uita supra loco XXIV recensetur. Accedit quod idem Plutarchus in Arati *Διοσημεῖα* commentarium (frg. apud Wyttenb. V, 2, 809) scripsit cui haud dubie more ueterum breuem uitae narrationem praemisit.

6) Diss. Rostoch. 1884. Miros nonnullos errores notare minus adtinet.

fuit apud ueteres memoria. Sic docet auctor uitae IV[1]): *γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλετο*[2]), *παρ' οὗ καὶ ἐπιγράμματος ἠξιώθη*. Cui fidem habendam non esse quia paulo ante Aratum illi *συνακμάσαντα* uocauerit nullo iure Buschius p. 12 adn. 3 contendit. Nam cum tales temporum definitiones nequaquam eam quam nunc exercemus diligentiam adfectant[3]), tum in has uitas diuersis facile pannis consarcinatas per singulas particulas inquirendum est: alia aliunde arcessita sunt.

Eodem autem spectat uitae I locus (p. 54, 74) hic: *Μέμνηται γοῦν αὐτοῦ καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην, πάνυ ἐπαινῶν αὐτὸν ὡς πολυμαθῆ καὶ ἄριστον ποιητήν· γέγονε δ' ὁ Ἄρατος ζηλωτὴς Ἡσιόδου, ὡς καὶ Καλλίμαχος παρεσημήνατο τοῦτο διὰ τοῦ εἰς αὐτὸν ἐπιγράμματος οὕτως*. Sequitur Callimachi de Arato eiusque Phaenomenis epigramma. Profecto etiam ex hoc loco ueri simile fit illo aliquanto maiorem fuisse natu Callimachum quippe qui carmine iunioris scilicet poetae primitias commendaret grauis iudex[4]). Quare dixerim

1) P. 60, 25 sq. Westerm. Biogr.

2) 'Senem Callimachum aetate contigit, ipse scilicet iunior' ualet *ἐπεβάλετο*, quae forma h. l. usurpatur pro eo quod tralaticium est *ἐπέβαλε* cuius illam apud hos scriptores uim recte inlustrauit Buschius exemplis Suidae s. u. *Φιλόχορος* et s. u. *Ἱπποκράτης* quibus addere potuit Clem. Al. Strom. 1, 327 et Prolegg. ad Aristoph. III, 35 Dübn. — Illi autem interpretationi fauet etiam interpres Latinus Arati generis a Westermanno ad p. 58, 23 adscriptus qui de suo addit: '(testatur callimachus) assistens ei ab infantia *in epigrammate ad*' (sic fere scribendum pro illo *propter*) 'praxip*h*anem mitilen*ae*um'. cf. Rohdii griech. Rom. p. 100.

3) Arato *συνεγγίζων κατὰ τοὺς χρόνους* audit Callimachus in uit. III p. 59, 42 ubi idem eius epigramma in illius laudem factum indicatur.

4) Buschius idem statuit p. 13, non uiderunt olim Keilius (in Mus. Rhen. nou. ser. VI, p. 254), Clinto, Bernhardyus, quare uitae IV scriptorem errasse arbitrati sunt. Simul cadit Keilii tota computatio e qua Callimachum non ante Ol. 118 (quo tempore Aratum natum esse putauit) statuit natum, mortuum esse inter Ol. 135 et 139, 3. — Biographus I dicit etiam *ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην* Arati mentionem iniecisse Callimachum; eo spectat opinor uit. III p. 58, 23 *ἐγένετο δὲ σφόδρα πολυγράμματος ἀνήρ, ὡς μαρτυρεῖ Καλλίμαχος*. cf. Latinum interpretem cuius uerba in adn. 2 adscripsi.

ne biographum quidem cum paulo post ipsum illud epigramma indicaturus esset potuisse scribere quod legitur *ὡς πρεσβυτέρου*. Quamquam scribendo *ὡς πρεσβύτερος* manumne compilatoris an sensum sententiarumque sanum conexum restituas haud multum refert. Minorem Arato fuisse Callimachum uix quisquam contendit: hoc praestat illud epigramma. Atque quod in uit. IV (p. 60, 6) floruisse eodem tempore Alexander Aetolus, Menander [1]), Philetas [2]), Aratus, Callimachus tradunt: ut est memoria minus accurata quam ut possit inde certius quid concludi, ita cum eis quae dixi non pugnat.

Sed iam rem examinemus. Scimus Aratum Ol. 118,9 natum esse [3]) et sub Antigono Gonata id est inter Ol. 125,4 277 et Ol. 135,2 239 floruisse [4]). Jam siue illud *γηραιῷ ἐπεβάλετο* interpretamur 'aetate adtigit senem (ipse iuuenis)' siue de qua interpretatione nonnulli cogitauerunt 'senis sectator factus est': circa Ol. 127,3/270 [5]) Callimachum sexagenarium fuisse ut *γηραιός* potuerit uocari natusque fere sit circa Ol. 112 — Aratum triginta annorum iuuenem non procul a ueritate statuemus.

Mortuus autem Callimachus uidetur esse initio regni tertii Ptolemaei id est Ol. 133,2/246; nam hanc puto esse sanam et certam interpretationem loci Suidae quamuis olympiadis numerus conruptus sit [6]): *παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κλη-*

---

1) Natus est Ol. 109,3/342.

2) *ἦν ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου* Suid. Philadelphus Ol. 117,4 309 in Co insula natus est, ut non a probabilitate abhorreat puerum illum a Phileta institutum esse. cf. Buschium p. 4.

3) Cf. Buschium p. 11 et Usenerum in Mus. Rhen. XXIX, p. 42 adn. 3.

4) Vit. I, p. 53, 40 et uit. III, p. 58, 15.

5) Quod Gellius (XVII, 21, 41) postquam a. u. c. 490 (= Ol. 129, 1/264 bellum Punicum ortum esse narrauit, 'neque diu post Callim. poeta Cyrenensis Alexandriae apud Ptolemaeum regem celebratus est' addit, est nempe secura computatio.

6) Buschius p. 14 infelicissimae coniecturae periculum fecit; ceteroqui mecum consentit. Neque aliter Ritschelius in opusc. I, p. 68, nisi quod — ut ipse fatetur — eis quae antea posuerat 'paucas olympiadas addere' coactus est; ita Ol. 135/6 proposuit fatalem illius annum, perperam, quod recte iam Buschius p. 17 notauit.

Θέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ † ρκζ', ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Πτ. Εὐ. ἦρξατο βασιλεύειν. Eodem igitur deuenio quo olim Keilius (l. l. p. 256), ut poetam uita defunctum esse statuam senem. Durauit autem re uera ad senectutem Callimachus quatenus senex ipse sibi epitaphium confecit:

Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας
ἀρχιβίους, πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους

et senex a Statio uocatur [1]). — Deinde ipsa uoce *παρέτεινε*

---

1) Hos locos a Keilio iam adlatos inprudentissime tollere nisus est Buschius p. 22 sq. De epigrammate (XXIII Schn.) 'Callimachum in uniuersum loqui uideri' prorsus absurdo statuit iudicio; Statium priscum (ut illo breuius dicam) Callimachum uoluisse intellegi iactat. Perperam. Hoc enim si ille uoluisset, non scripsisset (Silu. I, 2, 253)

(hunc ipse Coo plaudente) Philetas
Callimachusque senex (Umbroque Propertius antro)

sed 'senes', uel 'ueteres' — id quod omnino ex usu exspectes — ad metrum adcommodasset eadem opera; si quidem Philetas pariter priscus fuit. Ceteri quoque VII senes quos adtulit, re uera grandaeui homines non minus erant quam prisci.

In Callim. epit. u. 6 *ἀρχιβίους* scribo cum uno Schneidero Anthologiae (VII, 415) cod. Pal. secutus, non *μὴ λοξῷ* cum scholiasta ad Hes. Theog. 82 (qui adeo habet *ὅσους βλέμματι — μὴ λοξῶς*) cui fidem habuit et ante Bentleium et postea cum eo magna caterua uirorum doctorum qui Callimachum uel ediderunt uel laudauerunt. Nam ipse Hesiodus quem imitatur ille, l. l. *ὅντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων*, ut simplex *ὄμματι ἴδον* ei quod est *ἐσίδωσι* respondeat, *ἀρχιβίους* uoci *γεινόμενον*. Ad illud optime contulit Schn. Call. hymn. II, 52. Si uero Horatii locum qui ad exemplum Callimachi expressus est diligenter contuleris — quod miror adhuc non factum esse — elucebit hunc *ἀρχιβίους* scripsisse: Carm. IV, 3, 1 sq.

Quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine uideris

Vertit Flaccus *ἀρχιβίους* nimirum illo nascentem; placido necesse erat perspicuitatis causa adponere, id quod in Graecum poetam non cadere demonstraui. Premebant contra cuncti ueteres poetae, et optime quidem, caelestes, si cui mortalium uel fauerent uel quid destinarent, illi nascenti iam adstare cf. Odyss. *η* 197 sq.

πείσεται, ἅσσα οἱ αἶσα κατὰ κλῶθές τε βαρεῖαι
γινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

quo spectat Callim. Lau. Pall. 104; cf. Hymn. Dian. 23. Menandr. frg.

quasi longum uitae cursum exprimi equidem cum Weicherto quem nec Ritschelius l. l. p. 68 inprobauit, penitus sentio.

Postremum adnoto me quamuis plerique atque adeo Ritschelius p. 63 dissentiant, Suidam de Aristophane narrantem: *μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου· ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε* non posse non interpretari sic ut Callimachus puerum, adolescentem Zenodotus dicatur docuisse. Nam priore loco Callimachus ponitur, et quod *ὁ μέν* ad membrum posterius et idem propius refertur, bene graecum hoc esse exemplis docuit Buschius p. 9, nec a Suidae usu alienum ex eis — haec forte fortuna nunc praesto sunt — clare elucet quae s. u. *μετρονόμοι*: *ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν ιε΄, έ μὲν εἰς Πειραιᾶ, ι΄ δὲ εἰς ἄστυ* et s. u. *ἀρχή*[b] leguntur: *ἀρχαὶ τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην, τὸ ποιοῦν δὲ τὸν ἐν αὐτῇ λόγον.* His locis perspicuitatis gratia tota membra repetiuit, illo loco eadem de causa Callimachi nomen statim priore loco posuit: ceteroqui res eadem est et una. — Quae non satis reputasse uidentur uiri docti, quoniam credo de Callimachi aetate sententiam praeceperunt. Videtur ergo ille Zenodoto quoque natu maior fuisse. Nunc si quispiam quaerat cur Callimachus tam prouectus aetate demum sub secundo Ptolemaeo id est inter Ol. 123,4/285 et Ol. 133,3/246 'celebratus' uel 'clarus factus' esse dicatur: optime opinor respondet Suidas: *πρὶν δέ* inquit *συσταθῇ τῷ βασιλεῖ* (*Φιλάδελφον* dicit), *γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας.* Post in conspicuam uitae condicionem euectum, ut plerumque fit, gloria libenter secuta est.

IV, 238 M. cf. Philem. *Ἀποκαρτερ.* frg. 1. Ad ipsius Cyrenaei exemplar properauit Propertius II, 3, 23:

Num tibi nascenti primis, mea uita, diebus
Candidus argutum sternuit omen Amor?

cf. Verg. Ecl. IV, 8 sqq. 'Tu modo nascenti puero — casta faue Lucina!' Manil. II, 126. II, 832. Stat. Silu. II, 7, 36. V, 3, 21. Mamert. Genethl. Max. 19. Locos partim debeo Peerlkampi ad Hor. l. l. adnotationi. — Illud scholiastae *μὴ λοξῶς* principio fuit Callimacheae elocutionis interpretamentum quod mox in interpolationem uertit.

Optime igitur hunc potuit laudare Crantor*).

Nunc age accedamus ad ipsos Ciceronis et Plutarchi thesauros. Claret primum eos multis locis nomine non adlato adhibere Crantorem; deinde utrumque interdum nominare alium fontem, fortasse eum quem Crantor erat professus; postremo utrumque non semper ubi incipiat ex illo haurire statim eum laudare sed in fine demum indicare auctorem, ut inducaris putare ultima tantum uerba commodata esse.

Ciceronis autem proprium uidetur esse auctoris membra passim disicere, cum Plutarchus contra continuo ordine soleat exscribere; cuius consuetudinis exempla *ἐν παρέργῳ* adnotabuntur.

Quae *ἀξιώματα* Kayser cum cognita prorsus non haberet (ut omnino iusto leuius has quaestiones tractauit), contendit p. 37 fabulas de Cleobide, de Trophonio et Agamede, de Sileno quae sunt uel ideo non esse Crantori uindicandas quia eis narratis demum Cicero pergeret (1, 48, 115): 'Simile quiddam est in consolatione Crantoris' (sequitur fabula de Terinaeo Elysio); ergo cur praecedentia quoque illi tribueremus nullam esse causam. Sed uide amabo. Plutarchus consolationis capite 3 (= p. 102 C sqq.) quod est de recto in calamitate animi habitu in fine demum capitis laudat Crantorem: *μὴ γὰρ νοσοῖμεν, φησὶν ὁ ἀκαδημικὸς Κράντωρ* (locum qui sequitur uertit Cic. Tusc. III, 6, 12). Sed etiam initium et mediam capitis partem ex illo sumptam esse adparet ex Ciceronis locis his:

Tusc. III, 29, 71	Plut. c. 3 init.
natura adfert dolorem cui quidem Crantor inquiunt uester cedendum putat; premit enim atque instat, nec resisti potest.	*Τὸ μὲν οὖν ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν.*
Ib. III, 6, 12	Pergit statim
nec absurde Crantor ille.... Minime, inquit, adsentior iis qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant quae nec potest ulla esse nec debet**).	*οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἄγριον ὑμνοῦσι καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν.*

*) Cf. Excursum II. **) Cf. Excursum III.

Nec minus medii capitis sententiam inde uidemus sumptam:

Cic. Acad. II, 44, 135	Plut. c. III med.
Sed quaero quando ista fuerint ab Academia uetere decreta, ut animum sapientis commoueri et conturbari negarent. Mediocritates illi probabant et in omni permotione naturalem uolebant esse quendam modum. Legimus omnes Crantoris ueteris Academici de luctu e. q. s.	*Τὸ δε πέρα τοῦ μετρίου παρεκφέρεσθαι καὶ συναύξειν τὰ πένθη παρὰ φύσιν .... τὴν δὲ μετριοπάθειαν οὐκ ἀποδοκιμαστέον.*

His comparatis nemini opinor dubium erit totum caput esse Crantoris quamuis in fine demum laudati. — Rursus fontem nullo uerbo prodit Cicero in Tusc. III, 16, 34 adhibens id argumentum: 'Qui rerum naturam... cogitat.... triplici consolatione sanetur, primum ... deinde ... postremo quod uidet malum nullum esse nisi culpam', quod Crantori disertis tribuit uerbis Plutarchus p. 114 C. Hic contra p. 109 B Elysii Terinaei historiae praefatur: *τοιαῦτά φασι γενέσθαι*, cum Cic. l. l. I, 48, 115 eam Crantoris esse testetur. Nec desunt loci quibus ab utroque Crantorem exhauriri nec tamen laudari uideamus. Velut pro exemplis uirorum qui in orbitatibus fortes se praeberent a Crantore prolatos esse Anaxagoram et Telamonem, Periclem et Xenophontem discimus ex Hieronymi nota ad Heliodorum de morte Nepotiani consolatione (epist. LX) cui tot adminicula in restituendis Crantoris et Ciceronis libellis debemus. Adloquitur Hieronymus cap. V se ipsum: 'Ubi illud ab infantia studium litterarum, et Anaxagorae ac Telamonis semper laudata sententia: "Sciebam me genuisse mortalem?" Legimus Crantorem cuius uolumen ad confouendum dolorem secutus est Cicero. Platonis Diogenis Clitomachi Carneadis Posidonii ad sedandos luctus opuscula percurrimus qui diuersis aetatibus diuersorum luctum uel libris uel epistolis minuere sunt conati, ut etiam si nostrum areret ingenium de illorum posset fontibus irrigari. Proponunt innumerabiles uiros, et maxime Periclem et Xenophontem Socraticum ..... Quid memorem Romanos duces?[1]).... quorum

non minor in luctu quam in bellis uirtus fuit et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicauit'.

In iudicio de hoc loco faciendo datur haec optio: aut illos auctores consolationum legit ipse sanctus pater aut una Ciceronis consolatio fuit ei in manibus ex qua et illa exempla et illos auctores excerperet. Atque hoc alterum statuendum esse statim intellegitur e loci indole. Etenim si Crantorem, de cuius unius lectione omnino possit cogitari, profert, extemplo autem addit Ciceronem eum esse secutum, ipse inuitus, aperte tamen, prodit e Cicerone sese illum cognitum habere. Immo uero ipsam elocutionem quae est 'legimus Crantorem cuius uolumen ... secutus est Cicero' transtulisse uidetur ad uerbum Hieronymus e Cicerone qui 'in consolatione filiae Crantorem inquit sequor' [2]). Accedit quod in fine illius loci se adhibuisse Ciceronis libellum ipse fatetur.

Itaque totius loci, immo totius epistulae summam reapse esse Ciceronianam nullus dubito pro certissimo contendere. Sed nihilo minus conligitur exempla illa, si ultimum quaeris fontem, e Crantore per medium Ciceronem proferre illum; nam cum ex eis quos enumerauerat Cicero auctores suos, Plato Diogenes, Clitomachus [3]) Carneades [4]) hac in re omnino non possint statui auctores, itaque restent soli Crantor et Posidonius de quibus suffragium feratur: cur tandem Posidonio calculum adiciamus, qui ne in Tusculanis quidem inter principes erat fontes, cum Crantorem a Cicerone in uniuersum

1) Narrat de Puluillo: habemus Ciceronis narrationem. Memorat Maximos Catones Gallos Pisones Brutos Martios Scaeuolas Metellos Scauros Crassos Marcellos Aufidios. u. Cons. frg. 19 et cf. Cic. Tusc. III, 70.

2) Plin. Nat. hist. praef. 22 s. Cons. frg. 8: 'Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis ueteres transscriptos ad uerbum .... non Tulliana simplicitate qui de rep. Platonis se comitem profitetur, in Consolatione filiae Crantorem inquit sequor'.

3) Hic scripsit 'de patria euersa' non 'de morte' consolationem. Tusc. III, 22, 54.

4) Reliquit hic nihil nisi epistulas in quibus eiusmodi suaues ambages non admitti per se patet et usus docet.

'simpliciter transscriptum ad uerbum' esse locupletissimo testimonio sciamus? Protulit igitur Crantor Sophoclei Telamonis uersus quos Ennius (Tusc. III, 13, 28 'ex hoc et illa iure laudantur') uertit:

'Ego quom genui túm morituros sciui et ei rei sústuli[1]) e. q. s.

Idem iuxta posuit Anaxagorae dictum ut Cicero (III, 24, 58) haec componit: 'Atque hoc idem et Telamo ille declarat (et Theseus ille ..) et Anaxagoras: Sciebam me genuisse mortalem', cuius quidem dictum etiam Plutarchus adfert (p. 118 D) quasi de suo.

Protulit etiam historiolas illas de Xenophonte (u. infra) et de Pericle quas in Tusculanis omisit Cicero, narrat, iterum ut de suo, Plutarchus p. 118 EF, ubi ipsam praefationem (ibid. D) *Ἀποβλέπειν δὲ καὶ πρὸς* e. q. s. Crantoris esse ueri est simile[2]).

Eadem Hieronymi consolatione usus mihi uideor enucleasse in certo quodam sententiarum conexu Crantorem excitasse Delphica illa dicta quae sunt *Γνῶθι σαυτόν* et *Μηδὲν ἄγαν*; id quod iam suspicatus est Schneider, ita tamen ut nullo argumento firmare posset opinionem. Nam Plutarchum et Ciceronem in hac quidem re non consentire, cum ille (p. 116 C) utrumque dictum, hic in plane diuerso sententiarum conexu alterum tantum adferret (1, 22, 52), ipse sensit. Sed audi mea argumenta.

Primum iam Plato (Menex. p. 248 E) in epitaphii parte consolatoria in eodem orationis contextu quo Plutarchus ea adfert: *Πάλαι γὰρ δὴ τὸ Μηδὲν ἄγαν λεγόμενον καλῶς δοκεῖ λέγεσθαι*, et in Protagora (p. 343 B) utrumque ut uere Delphicum exhibet, ut uel inde probetur Crantorem fidelissimum sectatorem ea data occasione adhibuisse. Praecipue autem me mouet Hieronymus qui alterum dictum et is quidem in eodem contextu quo Plut. laudat; aliter Cicero nescio qua de causa in Tusc. 1, 22, 52 de animi natura disputans alterum dictum

1) Trag. Rom. inc. inc. frg. XLV R. Nec de Ennio, horum uersuum sitne auctor, nec de graeca fabula certa memoria constat. cf. Ribbeckii Röm. Trag. p. 133.

2) Cf. Tusc. III, 58. IV, 63; obseruauit unus Matthiaeus p. 50.

sic adhibet: "Cum igitur (Apollo) 'Nosce te' dicit, hoc dicit 'Nosce animum tuum" [1]).

Sed iam comparando rem inlustremus:

Plut. 116 C	Hieron. C. VII A
(statim post commemoratum nimium Niobes luctum): *δύ' ἐστὶ τῶν Δελφικῶν γραμμάτων τὰ μάλιστ' ἀναγκαιότατα πρὸς τὸν βίον, τὸ Γνῶθι σαυτὸν καὶ τὸ Μηδὲν ἄγαν.*	Sed obsecro ut modum adhibeas in dolore, memor illius sententiae 'Ne quid nimis'. — (Interuallo interposito item adfert Nioben nimis lugentis exemplum).

Ex quibus omnibus uidetur elucere Crantorem utrumque, Ciceronem in Consolatione alterum illorum dictorum excitasse in eo conexu in quo Plut. et Hieron. ea seruauerunt.

Duorum locorum originem quos radices trahere e Crantore uel consensu Ciceronis et Plutarchi probatur, confirmat Hieronymus:

Cic. 1, 94	Plut. 111 C	Hieron. XIV B
Quae uero aetas longa est? aut quid omnino homini longum?.. Apud Hypanim fluuium qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci e. q. s. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum qua illae bestiolae reperiemur.	*Τό τε πολὺ δήπουθεν ἢ μικρὸν οὐδὲν διαφέρειν δοκεῖ πρὸς τὸν ἄπειρον ἀφορῶσιν αἰῶνα. τὰ γὰρ χίλια καὶ τὰ μύρια κατὰ Σιμωνίδην ἔτη στιγμή τίς ἐστιν ἀόριστος..... ἐπεὶ καὶ τῶν ζώων ἐκείνων ἅπερ ἱστοροῦσι περὶ τὸν Πόντον γιγνόμενα* e. q. s. (Sequitur eisdem fere uerbis de bestiolis illis *ἐφημερίοις* fabella).	Nam si nongentos uitae excederemus annos.... tamen nihil esset praeterita longitudo quae esse desisset. Etenim inter eum qui decem uixit annos et illum qui mille, postquam idem uitae finis aduenerit..., transactum omne tantundem est.

Subesse unum fontem his tribus locis in propatulo est, quamuis pro suo quisque ingenio omiserit adiecerit amplificauerit. Discimus deinde Ciceronem haec hausta e Crantore [2]) etiam in Consolatione habuisse.

---

1) Rursus alio consilio dictum adhibuit Sen. cons. ad Marc. XI, 2.

2) Vides ut h. l. Cic. et Plut. quamuis Crantori totum locum debeant, alter Aristotelem auctorem (quem nimirum ille laudauerat) nominet, alter ad famam prouocet. Eodem modo (u. p. 51) in fabula quae est de Cleobide et Bitone Cicero Herodotum nominat, Plut. iterum famae se addicit.

Postremum adiuuante Hieronymo Crantori uindico Nioben pro nimium lugentis tristi exemplo laudatam, optimo nixus fundamento si quidem ualet aliquid triplex idem consensus:

Cic. III, 26, 63	Plut. 116 C	Hier. c. XIV E
Et Niobe fingitur lapidea propter aeternum, credo, in luctu silentium.	*Εἰ γοῦν ἡ Νιόβη κατὰ τοὺς μύθους* (meditata esset) *ὅτι οὐκ ἀεὶ ... βλασταῖς τε τέκνων βριθομένη ...τελευτήσει, οὐκ ἂν οὕτως ἐδυσχέραινεν ὡς καὶ τὸ ζῆν ἐθέλειν ἐκλιπεῖν διὰ τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς* e. q. s.	Unde et Nioben, quia multum fleuerit, in lapidem ***... commutatam finxit antiquitas. (De lacuna explenda u. infra.)

Iterum aperte, opinor, ex uno fonte haec fluxere quae tamen ut cuique libitum est uariata sunt.

Ex his quae adhuc de Plutarchi et Ciceronis communi fonte eiusque usu exposui, cogor concludere quod iam indicaui: propria quae sint siue elocutionum siue sententiarum lumina illis communia, si quidem unus idemque fons agnoscatur, Crantori esse tribuenda. Quod ad amussim in multos locos quadrat, quibus praemitto eos, in quibus tertius accedit socius Axiochus. Sed hic nimirum non tam Crantorem adhibuisse quam ab hoc adhibitus esse censendus est.

Ax. 367 C	Cic. 1, 47, 113	Plut. 108 E
Διὰ τοῦτο καὶ οἱ θεοὶ τῶν ἀνθρωπείων ἐπιστήμονες, οὓς ἂν περὶ πλείστου ποιῶνται, θᾶττον ἀπαλλάττουσι. (Sequitur breuissima de Agamede et Trophonio narratio). *οἵ τε τῆς Ἀργείας ἱερείας υἱεῖς* etc.	Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre, nec uero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore aliisque compluribus. Primum Argiae sacerdotis, Cleobis et Biton, filii, praedicantur. Nota fabula est.	*Λέγεται δὲ τούτοις μαρτυρεῖν καὶ τὸ θεῖον.* . . . . . *Μνησθήσομαι δὲ τῶν... πᾶσι διὰ στόματος. Πρῶτα δή σοι τὰ περὶ Κλέοβιν καὶ Βίτωνα τοὺς Ἀργείους νεανίσκους διηγήσομαι.*

In narrationibus fabulae quae est de Cleobide et Bitone tanta similitudo elocutionum (quamuis adstrictius Aeschines narret) obseruatur ut artissima a quouis perspiciatur cognatio [1]).

1) Ax. *οἱ τῆς Ἀργείας ἱερείας υἱεῖς*: Cic. Argiae sacerdotis filii. Ax. *ἐπειδὴ τοῦ ζεύγους ὑστερήσαντος αὐτοὶ διήνεγκαν αὐτὴν εἰς τὸν νεών*: Plut. *ἐπειδὴ ... τῶν ἑλκόντων τὴν ἀπήνην ὀρέων ὑστερησάντων ... τούτους ὑποδύντας .. ἀγαγεῖν εἰς τὸ ἱερὸν τὴν μητέρα.*

Pergunt autem Cicero et Plutarchus:

Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur etc.	*καὶ περὶ Ἀγαμήδους δὲ καὶ Τροφωνίου φησὶ Πίνδαρος αἰτεῖν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος* etc.

ad quos conferas Aeschinem, breuissimum eum quidem.

Hac quoque fabula eisdem fere uerbis narrata Plutarchus profert de Pindari morte fabulam, qualis ceteroqui non traditur[1]); pro qua Cicero historiolam de Sileno (quae apud Plut. p. 115 B) et Cresphontis dictum[2]) notissimum, ex quo alterum uersum adfert Aesch. in Axiocho p. 368 A; tum uterque fabulam de Elysio cum oraculo illo sic narrat ut alter ex altero pridem sit emendatus. Clausulam adiciunt:

Cic. 116 init.	Plut. p. 109 Dextr.
His et talibus auctoribus usi confirmant causam rebus a dis immortalibus iudicatam.	*Τοιαῦτα δή σοι καὶ τὰ τῶν διηγημάτων τῶν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἀναγεγραμμένων.*

Nimirum totus hic locus Crantoris est: accedit quod 'numquam cuiquam quisquam' probauerit utrumque primum hausisse fabulas de Cleobide et Bitone et de Trophonio et Agamede sane ex uno fonte qui tamen non esset Crantor, tum utrumque ad hunc Crantorem accessisse, ut fabulam quae est de Elysio (hanc enim tribuit Crantori Cicero § 115) ex eo haurirent. Et omnino ualde esse probabile has fabulas eiusdem argumenti uinculo aliquo inter se conexas ex eodem descendere fonte nemo non concedet.

Iam ceteros locos illis communes itaque Crantori uindicandos, quoniam pridem conlecti nouissime ab Heinio[3]) et a Corsseno (l. l. p. 510 sqq.) transscripti sunt, hac critica disputationis parte praeterire liceat; duos adpono nouos:

Tusc. III, 28, 66	Plut. p. 112 C
Quid est autem quod plus ualeat ad ponendum dolorem quam quom est intellectum nihil profici et frustra	*Εἰ δὲ μεταθήσῃ ποτέ, τί οὐκ ἤδη μετατίθεσαι καὶ σεαυτὸν ἀνέλκεις ἐκ τῆς ἀτυχίας;*

1) Cf. Pind. uit. p. 9 ed. Boeckh. et Paus. IX, 23, 3.

2) Eur. frg. 452: *Ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους | τὸν φύντα θρηνεῖν* e. q. s.

3) De fontibus Tusc. dispp., progr. Vimar. 1863.

esse susceptum. Si igitur deponi potest, etiam non suscipi potest.

οἷς γὰρ λόγοις τοῦ χρόνου προϊόντος χρησάμενος ἀπολυθήσῃ, τούτοις νῦν προσσχὼν ἀπαλλάγηθι τῆς κακουχίας.

et

Tusc. III, 16, 34
(Calamitate tactus sanatur) quod humana humane ferenda intellegit.

Plut. 118 C
(παραμυθούμενοι καὶ πείθοντες) τὰ κοινὰ κοινῶς φέρειν καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνως.

Crantor igitur fortasse soluto metro adtulit Menandri[1]) illud

Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε·
τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

Qua exhortatione illum ut censeam usum esse adducor uel eo quod exstat ea apud Ciceronem iuxta illam sententiam quam Crantori disertis uerbis a Plutarcho (p. 114 C) tribui supra p. 47 monui.

Altero loco disputaturus sum de consensu qui cernitur inter nonnullos locos Tusculanarum et Axiochi quibus semel accedit Plutarchus. Quos locos partim iam notauerunt Perionius[2]) et Schneider[3]), exscripsit Corssenus l. l. p. 516 sqq. Qui cum primum Tusculanarum librum studeret repetere, id quod nemini, opinor, probauit refutauitque Hirzelius, e Ciceronis praeceptore Posidonio, illum et Axiochi auctorem ex hoc illos locos hausisse serio ausus est ponere. Quocum mihi ex mea de Axiocho sententia omnino non potest esse disputatio, cum praesertim mirae huius opinionis fundamentum[4]) iacere haudquaquam potuerit. Itaque satis habeo proponere meam coniecturam ex qua potius Crantorem medium ponam inter Aeschinem et Ciceronem Plutarchumque.

---

1) Com. IV, 293. 2) u. Fischeri ed. III. Axiochi p. 198 de qua cf. supra p. 9 adn. 4. 3) De Cic. Cons. p. 13.

4) Parum peritus, ut uidetur, ipsius Axiochi dictum illud quod est mors non pertinet ad nos' e. q. s. et alia quae Prodici sunt a quo quaedam Epicurus accepit, huic quasi auctori tribuit Corssenus; eodem inclinat nunc Heinzius l. l. p. 332 cum de Axiochi fide dubitet, minus recte nisi fallor. Ille autem si quas habuit causas debuit certe proferre, quoniam inde profectus argumentatus est.

Mira certe est similitudo rationis illius propriae qua Aeschines (p. 370 B) et Cicero (Tusc. 1, 25, 61—63. 68—70)[1] diuinam originem humani animi student demonstrare: enumerant animi uarias uirtutes quibus usus homo bestias superauerit[2], uitae societatem constituerit, urbibus condendis, praecipue autem perscrutando caelum et sidera, defectus et restitutiones lunae atque temporum conuersionem obseruando, denique exercendis uariis artibus excellat; quod profecto non perfecisset

	§ 70
εἰ μή τι θεῖον ὄντως ἐνῆν πνεῦμα τῇ ψυχῇ, δι' οὗ τὴν τῶν τηλικῶνδε περίνοιαν καὶ γνῶσιν ἔσχεν.	sic (ex memoria rerum et inuentione et celeritate motus omnique pulchritudine uirtutis) uim diuinam mentis agnoscito. cf. § 62 extr. (Quae omnia qui uidit) is docuit similem animum suum eius esse qui ea fabricatus esset in caelo.

Aptissimus hic locus mihi uidetur ad discendum quomodo fons a riuulo discernatur. Fluxit uerbosa et inflata illa narratio qua Cicero ita gaudet ut bis eam lectori offerat, ex Axiochi tenui simplici sobria argumentatione. Quem ipsum cum nullo modo possit sumi a Cicerone esse adhibitum, medium fontem esse Crantorem censeo.

Adparet deinde triplex hic consensus:

Ax. 369 B	Cic. 1, 91	Plut. 109 F
(*Ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος ὅτι*) *ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστι οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας... ὅτι περὶ μὲν τοὺς ζῶντας οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν. ὥστε οὔτε περὶ σὲ νῦν ἐστίν, οὐ γὰρ τέθνηκας, οὔτε εἴ τι πάθοις, ἔσται περὶ σέ· σὺ γὰρ οὐκ ἔσει.*	Ut nihil pertinet ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad uiuos pertineat nec ad mortuos? Alteri nulli sunt, alteros non attinget.	*Ὥσπερ οὖν οὐδὲν ἦν πρὸ τῆς γενήσεως οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν, οὕτως οὐδὲ μετὰ τὴν τελευτήν. καὶ καθάπερ τὰ πρὸ ἡμῶν οὐδὲν ἦν πρὸς ἡμᾶς, οὕτως οὐδὲ τὰ μεθ' ἡμᾶς οὐδὲν ἔσται πρὸς ἡμᾶς.*

1) Hos locos primus contulit in uniuersum Matthiaeus p. 45 not.

2) '*Ὥστε καταφρονῆσαι μὲν ὑπερβαλλόντων θηρίων βίας* — 'qui praesidia contra feras inuenerunt'. *δεῖμισθαι δὲ ἀστη. καταστήσασθαι δὲ πολιτείας* — 'qui dissipatos homines congregauit et ad societatem uitae conuocauit'; alia.

Sed priusquam ad commentandum hunc locum adgrediar, alterum locum adiungere opus est prorsus eiusdem argumenti, insignem tamen peculiari quadam imagine siue commento atque Ciceroni et Axiocho communem:

Ax. 365 D	Cic. 1, 90
ὡς οὖν ἐπὶ τῆς Δράκοντος ἢ Κλεισθένους πολιτείας οὐδὲν περὶ σὲ κακὸν ἦν· ἀρχὴν γὰρ οὐκ ἦς περὶ ὃν ἄνην· οὕτως οὐδὲ μετὰ τὴν τελευτὴν γενήσεται· σὺ γὰρ οὐκ ἔσει περὶ ὃν ἔσται.	(Qui enim satis uiderit ... animo et corpore consumpto ... illud animal quod fuerit factum esse nihil: is plane perspiciet ...) nec pluris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellum quam ego illo uiuo fecerim Romam captam. Cur igitur et Camillus doleret si haec post CCCL annos euentura putaret? et ego doleam, si ad decem milia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem?

Est profecto notabilis quaedam et peculiaris cogitatio et plane Graeca, quam Tullius bellicosis suis Latinis pluribus explicare et inicere studuit; eadem de causa pro Graecis nominibus Romani clarissimi nomen substituit [1]). Similem argumentationem cum simili imagine praeter hos unus Teles praebet, ut etiam hunc e Crantore hausisse concludam. Sunt autem talia [2]): *Ναί· ἀλλ' οὐκέτι ἔσται'* (sic interpellat consolatoris adloquium lugens). *οὐδὲ γὰρ ἦν μυριοστὸν ἔτος, οὐδ' ἐπὶ Τρωικῶν, οὐδὲ γὰρ κατὰ προπάππους σου. σὺ δὲ ἐπὶ μὲν τούτων οὐδ' ὅλως ἄχθῃ, ὅτι δὲ εἰς ὕστερον οὐκ ἔσται, δυσχεραίνεις.*

Fortasse cognationem locorum etiam indicat in eadem argumentatione quamuis paulo diuersa ratione ab Aeschine et Cicerone inlatus Hippocentaurus; mirum certe esset si alter alterius nescius in hoc tam remotum exemplum incidisset (Ax. 369 C: Cic. 1, 90). Ceterum non alienam fuisse ipsam illam sententiam a uetere Academia praeclare euincitur simili dicto Arcesilai et ipsius ueteris Academici, qui Crantoris intimus amicus heresque et summo amore et studiis cum eo coniunctus erat. Qui docuit haec [3]): *τοῦτο τὸ λεγόμενον κακὸν ὁ θάνατος*

1) Hanc obseruationem praeoccupasse uideo Matthiaeum p. 46.
2) Stob. Flor. CVIII, 83, uol. IV, p. 53 M.
3) Plut. cons. ad Ap. 110 A.

μόνον τῶν ἄλλων τῶν νενομισμένων κακῶν παρὸν μὲν οὐδένα πώποτ' ἐλύπησεν. — Accedunt pauca uestigia eiusdem generis e quibus unum iam obseruauit Welcker p. 513: (Axiochus et Ciceronianus 'discipulus' post praeceptorum orationem aeque exclamant):

Tusc. 1, 112	Ax. 370 DE
Prior enim pars orationis tuae faciebat ut mori cuperem ... (omnino autem oratione perfectum est, ut mortem non ducerem in malis).	*Εἰς τοὐναντίον με τῷ λόγῳ περιέστακας· οὐκέτι γάρ μοι θανάτου δέος ἔνεστιν, ἀλλ' ἤδη καὶ πόθος.*

ad quem locum uelim conferas alterum hunc p. 366 C, ubi Socrates audita Prodici oratione: Ita, inquit, sum adfectus *ὥστε ἔγωγε μὲν παρὰ ἀκαρῆ διέγραψα τὸν βίον καὶ ἐξ ἐκείνου θανατᾷ μου ἡ ψυχή.* Scilicet *εἰρωνικῶς* increpat.

Nec minus memorabilem elocutionis et sententiae similitudinem inuenio eis locis quibus uterque disputat de metu ipsius temporis puncti quo fiat mors; praefatur Axiochus haec: *ἀλλ' οὐκ οἶδ' ὅπως παρ' αὐτὸ τὸ δεινὸν γενομένῳ οἱ μὲν καρτεροὶ καὶ περιττοὶ λόγοι ὑπεκπνέουσιν ....*

p. 365 C	Cic. 1, 83
ἀντίσχει δὲ δέος τι, ποικίλως περιαμύττον τὸν νοῦν, εἰ στερήσομαι τοῦδε τοῦ φωτὸς καὶ τῶν ἀγαθῶν. cf. 369 D *ἐμὲ δὲ ἡ στέρησις τῶν ἀγαθῶν τοῦ ζῆν λυπεῖ*	illud angit uel potius excruciat, discessus ab omnibus iis quae sunt bona in uita

Talem autem locum apud Crantorem fuisse etiam inde ualde probatur quod omnia quae apud Ciceronem usque ad finem capitis secuntur ex illo uidentur transscripta: pergens enim statim laudat Cicero Consolationem suam in qua satis deplorasse se dicit uitam: scilicet fecit hoc secundum Crantorem; tum laudat Hegesiae librum illum famosum quem cum nusquam iterum laudet, inuenisse eum in Crantoris illi fere aequalis libro memoratum pro certo adfirmauerim; tum sequitur Callimachi epigramma quod supra (p. 40 sqq.) Crantoris libro uindicauimus. —

Postremo solus Cicero (1, 48, 115) uersus Cresphontis Euripidei (frg. 452 N.) Crantori uidetur debere; accedit quod

indicat, ut solet, Aeschines eundem locum altero tantum uersu laudato (p. 368 A). Atque ne ullus remaneat scrupulus: uersus utrimque cincti sunt locis quos e Crantore translatos esse supra (p. 51 sq.) demonstrauimus. — Et locum suum habeat Diogenis (IV, 26) memorabilis adnotatio haec:

Ἐθαύμαζε δὲ Κράντωρ πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον καὶ Εὐριπίδην, qua tamen caue ita abutaris ut quaecunque in Plutarchi consolatione (permulta illa quidem) inueneris Homerica uel Euripidea statim tribuas Crantori.

Finem faciant duo loci Homerici [1]), *Ω* 522—534 et *o* 245 qui apud Plutarchum et in Axiocho leguntur ita quidem ut in altero loco ipsam summam indicasse rursus satis habeat Aeschines laudans tantummodo uersus 525 et 526. In altero loco (*o* 245) coniecturam meam adiuuat quod paulo post apud Plutarchum (p. 111 C) sequitur Crantoris locus.

Haec fere partim certissime partim magna cum probabilitate Crantori restitui puto: suspiciones hic illic in reliqua disputatione obuiam fient.

Subiungamus statim tres alios Academicos. Primum quidem Arcesilaum in hoc loco uersatum esse concludas e fragmento a Plutarcho p. 110 A seruato quod supra (p. 55 extr.) adscripsimus.

Tum Xenocratis cuiusdam prioris *ὁμωνύμου* philosophi propinqui et eius quidem Academici *λόγος Ἀρσινοητικός, γεγραμμένος περὶ Ἀρσινόης ἀποθανούσης* memoratur [2]). Quem librum ad Arsinoen, Ptolemaei Philadelphi et sororem et uxorem, pertinuisse uel ex temporum probabili computatione liquet. Itaque cum eandem esse Plutarcheam Arsinoen [3]) Wyttenbachius mihi persuaserit, conicio illum *τινὰ τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων* a quo pulchram illam de Luctu fabellam narrari facit Plutarchus, hunc esse Xenocratem quippe qui mortuam reginam peculiari dignatus sit libro.

---

1) Ax. 367 D et Plut. 115 C. Ax. 368 A et Plut. 111 B.
2) Diog. IV, 15. 3) Plut. 111 F sqq.

Carneadem nouum Academicum et acerrimum Zenonis et Chrysippi inpugnatorem inter consolationum auctores refert Hieronymus. Quem cum praeter epistulas ad Ariarathem Cappadocum regem datas nihil reliquisse prodatur[1]), epistulas nonnullas consolatorias scripsisse fortasse sumendum est. Neque enim illud testimonium Hieronymi quod Tullianae consolationis auctoritati supra (p. 48) uindicaui, cum Hirzelio[2]) in suspicionem uocare ausim.

Verum ut ipse nihil reliquerit, propagatus quasi est cum per alios discipulos tum per Clitomachum Karthaginiensem quem licet non tam mortis quam 'euersae patriae' siue exilii exstiterit consolator non praetereo et quia teste Hieronymo l. l. inter Tullianae consolationis auctores fuit et quia ipsius libelli tria fragmenta exstare mihi persuasi et Heusdium uideo dubitanter conicientem p. 114.

Et primum uide quam egregie Hieronymi fides ab Hirzelio aspere nec merito uexata ab ipso Tullio Tusc. III, 54 confirmetur. 'Legimus', inquit, 'librum Clitomachi quem ille euersa Karthagine misit consolandi causa ad captiuos ciues suos'. Adicit magnam libri laudem. Fuit igitur hoc scribenti ob oculos liber: iam credo neminem mihi oblocuturum esse statuenti eodem libro quem in Tusculanarum tertio libro qui totus in re consolatoria uersatur adhiberet, paulo ante in scribenda Consolatione non caruisse Tullium. Sed de his infra fusius; nunc Clitomachei libri simul et Carneadis fragmentum quod pertinet ad consolationis locum 'de malorum praemeditatione' a Cicerone l. l. seruatum exhibemus: 'in eo' — dicit Clitomachi librum — 'est disputatio scripta Carneadis quam se ait in commentarium rettulisse. Cum ita positum esset uideri fore in aegritudine sapientem patria capta, quae Carneades contra dixerit scripta sunt'. — Duo alia debemus Stobaeo[3]) qui alterum

1) Diog. IV, 65. Idem in praef. 16 *κατά τινας* nihil scripsisse Carneadem memorat. Doctrinae eius discipulorum commentariis ferebantur. Diog. l. l. Cic. Tusc. III, 54.

2) Untersuchungen zu Cic. philos. Schrr. III, 351.

3) Stob. Flor. XCVIII, 67 et CV, 29.

quod est *Οὐδὲν τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιόν ἐστιν, ἀλλὰ πάντα φέρεται φορᾷ τινι παραλόγῳ* laudat *ἐκ τῶν Κλειτομάχου*, alterum *Κλειτομάχου* hoc:

Τοῖς εὐπλοοῦσιν ἀντιπνεύσασ' ἡ τύχη
ἅπαντα συγχεῖ, κἄτα ναναγεῖν ποιεῖ

τὰ τῇ φρονήσει καὶ τοῖς λογισμοῖς ὀρθῶς ἐκπεπονῆσθαι δοκοῦντα πρὸς τὸ καλῶς ζῆν.

Utrumque ad consolationis sollemnem et sexcentis modis uariatum locum pertinet quo monemur ne in hac misera uita semel conlocati uicibus fortunae cuius constantia sit summa inconstantia frangi nos patiamur. Et ut scrupulum, si qui forte etiam residat, euellam, reicio te ad Theophrastei libelli gemellum de fortuna locum quem supra p. 35 exscripsi.

Crantori aetate suppar Hegesias Cyrenaicae scholae philosophus omnino non esse beatitudinem in molestissima uita ratus [1]) dolorem saltem quam maxime fugiendum esse docuit cum alias tum libro quem inscripsit *Ἀποκαρτερῶν*. In quo quidam per inediam decedens uitae humanae enumerauit mala [2]). Ex quo *πεισιθάνατος* uocatus propterque perniciosum doctrinae effectum a primo Ptolemaeo expulsus est. Ad illum librum potest spectasse Apollodorus Gelous nouae quam uocamus comoediae Atticae poeta qui comoediam de cuius argumento ceteroqui nihil propter fragmentorum penuriam possumus suspicari, inscripsit *Ἀποκαρτερῶν* [3]). Is cum a Suida *σύγχρονος Μενάνδρου* dicatur, certe potuit Hegesiae librum illa aetate famosum admodum comoedia *ὁμωνύμῳ* perstringere et inridere.

Ceteros quoque Cyrenaicos e peculiari ipsorum doctrina quam de malorum praemeditatione protulerunt, haud spernenda de consolatione praecepisse scimus hodie [4]).

1) Diog. II, 94 sq. 2) Cic. Tusc. 1, 84.

3) *Ἀπολλοδώρου Ἀποκ.* Stob. Flor. XVI, 11; Carystii Apollodori *Ἀποκ.* habet Suid. s. u. *σπουδάζω*, s. u. *Ἀπολλ. Γελῷος: Ἀποκ. ἢ Φιλαδέλφοι*, quod inuerso ordine Athen. XI, 472 C scribit. cf. Mein. Com. IV, 439 et hist. crit. p. 459. — Valde memorabile uidetur esse hanc comoediae inscriptionem (*Ἀποκαρτερῶν*) etiam Antiphani et Philemoni placuisse.

4) Cic. Tusc. III, 13, 28. 15, 31. 22, 52.

Plurimus erat in hoc genere Epicurus. Cuius inter fragmenta ea quae inuenio consolationi non solum apta sed propria licet mihi credo referre ad consolationem quam *περὶ τῆς Ἡγησιάνακτος τελευτῆς πρὸς Δοσίθεον τὸν πατέρα καὶ Πύρσωνα τὸν ἀδελφὸν τοῦ τεθνηκότος*[1]) misit. Quam consolationem fuisse in Epicuri epistulis quae in conlectionem redactae erant[2]), intellegitur e uerbis Plutarchi qui l. l. pergit *ἔναγχος γὰρ κατὰ τύχην τὰς ἐπιστολὰς διῆλθον αὐτοῦ*[3]). — Ceterum cum apud Diogenem inueniam memoratum eiusdem librum *Ἡγησίαναξ*, equidem memor inscriptionum quae sunt *Ἀξίοχος* (*ἢ περὶ θανάτου*), *Εὔδημος* (*ἢ περὶ ψυχῆς*), *Καλλισθένης* (*ἢ περὶ πένθους*), dein reputans Hegesianactem sine dubio Epicuro familiarissimum fuisse illum librum pariter de defuncti amici morte uel omnino de his quaestionibus scriptum fuisse non sine probabilitate mihi uideor conicere.

Exstat autem apud Lucretium[4]) locus consolatorius qui haud paucis tam mire cum eis conuenit quae ab ipso Epicuro fuisse adhibita aliunde discimus, ut non possimus non concludere illius consolationem (cui fortasse accedit ille Hegesianax) ipsam a Lucretio ibi exhaustam esse[5]), itaque cetera quoque argumenta quae ab eo proferuntur, etiamsi ab aliis ut Epicurea disertis uerbis non memorentur, Epicuro tamen esse tribuenda. Et primum quidem Epicurum non minus quam Crantorem adhibuisse Axiochum euincitur. Transtulit enim Prodici argumentum quod est 'mors nihil ad nos pertinet' paene ad uerbum:

1) Plut. non posse etc. p. 1101 B. 2) Diog. X, 28 extr. cf. Plut. l. l.

3) Infelicissime Heusdius p. 63 adn. 2 inclinat in suspicionem inanem Menagii, qui cum apud Diog. titulum *Ἡγησίαναξ* cum praecedenti qui est *περὶ ὁσιότητος* perperam coniunctum legeret, librum hunc ficticium et illas a Plutarcho memoratas epistulas (erat omnino una epistula) idem opus fuisse hariolatus est ad Cic. de nat. deor. 1, 41, 115; unde nisi Epicurum scripsisse 'de pietate aduersus deos' nihil accipimus. Reisacker l. l. cum Plut. l. l. non satis accurate inspexisset, Hegesianactem et illam consolationem pro uno libro habuit.

4) De rer. nat. III, 830—1094 L.

5) Praeter alia etiam hanc suspicionem obiter adnotauit Reisacker p. XLIV.

Τὸ φρικωδέστατον inquit *οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δ' ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. οὔτ' οὖν πρὸς τοὺς ζῶντας ἐστὶν οὔτε πρὸς τετελευτηκότας, ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἔστιν, οἳ δ' οὐκέτι εἰσίν*[1]). Atque apud Lucretium Epicurus huic doctrinae eandem quam supra (p. 55) notauimus Aeschinis imaginem *ὡς οὖν ἐπὶ Δράκοντος ἢ Κλεισθένους πολιτείας οὐδὲν περὶ σὲ κακὸν ἦν* e. q. s., nempe ut a Cicerone sic etiam a poeta Romano coloribus magis Romanis distinctam, addit:

Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur.
Et uelut ante acto nil tempore sensimus aegri
Ad confligendum uenientibus undique Poenis...
Sic ubi non erimus.....
Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit sensumque mouere.

Nemo iam ut opinor dubitabit mihi adsentiri pariter ab Epicuro in consolatione hunc locum explanatum et adornatum fuisse.

Videtur igitur etiam Epicurus Axiochum adhibuisse, nisi forte statuere malis inter eum et ipsum Crantorem qui eodem fere tempore docebat intercedere cognationem. In quam quidem opinionem pronus erit quicunque contulerit de animi indolentia detrectanda hos locos quorum uterque ex illorum philosophorum consolationibus adfertur[2]):

Epicurus	Crantor
Τὴν εἰς τὸ ἀπαθὲς καθεστῶσαν ἀλυπίαν ὑφ' ἑτέρου μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος ἢ δοξοκοπίας καὶ λύσσης· διὸ πάσχειν τι βέλτιον	*Τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίγνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ· τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς ἐκεῖ μὲν σῶμα, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν*

1) Diog. X, 125 ex epistula ad Menoeceum sunt; respondet Lucr. l. l. 830 sqq. Constat autem, et de illo argumento consolatorio quod exscripsi supra disertis uerbis testatur Plut. p. 1101 B, Epicurum se ipsum solere exscribere.

2) Plut. p. 1101 A et cons. ad Ap. 102 D. — Epicureas sententias Ciceronem in Crantoris libello inuenisse tractatas uideo statuere Heinius l. l. p. 11.

En mira sententiarum concordia! Quae opinio ut fundamento quasi stabiliatur utque simul experimento eluceat Lucretium consolantem ex uno Epicuro pendere, adpono locum et decantatum et egregie consolatoribus gratum.

Lucr. 938	Cic. Tusc. V, 118	Hor. Ep. II, 2, 213	Plut. cons. ad Ap. 120 B
Cur non ut plenus uitae conuiua recedis | Aequo animoque capis securam, stulte, quietem? |	Mihi quidem in uita seruanda uidetur illa lex quae in Graecorum conuiuiis obtinetur. Aut bibat inquit aut abeat. Et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis uoluptate potandi aut ne sobrius in uiolentiam uinolentorum incidat, ante discedat . . . Haec eadem quae Epicurus totidem uerbis dicit Hieronymus.	Viuere si recte nescis, decede peritis. | Lusisti satis, edisti satis atque bibisti. | Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo | Rideat et pulset lasciua decentius aetas. |	*Ἀλλὰ γὰρ ἐκεῖνος μὲν..... προαπεφοίτησε τοῦ θνητοῦ βίου, καθάπερ ἐκ συμποσίου, πρὶν εἰς τινα παροινίαν ἐκπεσεῖν τὴν τῷ μακρῷ γήρᾳ παρεπομένην.*

Ex hoc consensu conligo primum hunc locum in Epicuri consolatione adornatum fuisse, deinde eundem a Cicerone et a Plutarcho uideri inuentum esse in Crantoris libello.

Huc accedit alter locus Epicuri apud Lucretium (u. 1090 sqq.) qui est ‘uitam cum aeternitate comparatam puncti instar esse’ quem Crantorem habuisse supra (p. 50) demonstraui[1]). Sed reuertor unde digressus eram.

Optime sibi respondent hi loci (cohaerentes illi quidem cum eo argumento quod modo tractaui) quibus eandem argumentationem eisdem commentis coloribusque distinguunt Aeschines et Epicurus. Qui eo magis digni sunt qui adscribantur quod uidentur adhuc latuisse[2]):

Axioch. p. 365 C	Lucr. III, 870
ἀντίσχει δὲ δέος τι, ποικίλως περιαμύττον τὸν νοῦν εἰ ἀειδὴς δὲ καὶ ἄπνστος ὁποίποτε κείσομαι σηπόμενος, εἰς εὐλὰς καὶ κνώδαλα μεταβάλλων.	Proinde ubi se uideas hominem indignarier ipsum | Post mortem fore ut aut putescat corpore posto | Aut flammis interfiat malisue ferarum. |

1) Praeterea cf. Lucr. l. l. 861 sqq. cum Ax. p. 365 D Cic. Tusc. 1, 6. 12.
2) Lucr. 870—887. Ax. p. 365 CD.

Σω. Συνάπτεις γάρ, ὦ Ἀξίοχε, παρὰ τὴν ἀνεπιστασίαν ἀνεπιλογίστως τῇ αἰσθησίᾳ αἴσθησιν, καὶ σεαυτῷ ὑπεναντία καὶ ποιεῖς καὶ λέγεις, οὐκ ἐπιλογιζόμενος ὅτι ἅμα μὲν ὀδύρει τὴν ἀναισθησίαν, ἅμα δὲ ἀλγεῖς ἐπὶ σήψεσι καὶ στερήσει τῶν ἡδέων, ὥσπερ εἰς ἕτερον ζῆν ἀποθανούμενος

... quamuis neget ipse | Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum: | Non ut opinor enim dat quod promittit et unde | Nec radicitus e uita se tollit et eicit, | Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse | .... Ipse sui miseret: neque enim se diuidit illinc | Nec remouet satis a proiecto corpore et illum | Se fingit sensuque suo contaminat astans |

Pulcherrimus uero ille de uanis Acheruntis terroribus apud Lucretium (uu. 978—1023) quem sane propriis quoque luminibus inlustrauit poetae ingenium, certo deriuatur ex Epicuro; si quidem Seneca hanc uere decantatam sententiam ‘cantilenam Epicuream’ uocat. Quae quin in eius consolatione locum suum habuerit, nulla dubitatio.

In nulla absoluta consolatione deerant uaria exempla uarios in usus prolata, quae Cicero quidem utilissima esse censuit, rectissime et humanissime procul dubio. Quare cum apud Lucretium (uu. 1024—1045) locum qui est ‘de mortis necessitate’ compluribus exemplis confirmatum legamus, uel ideo in hac quoque re Epicuri consolationem ab illo adhibitam esse putabimus. Sed ecce Plutarchus in consolatione (iuxta quosdam Euripidis locos) adponit quattuor uersus manifesto alicunde ex eodem loco sumptos:

Ποῦ γὰρ τὰ σεμνὰ κεῖνα, ποῦ δὲ Λυδίης
μέγας δυνάστης Κροῖσος ἢ Ξέρξης βαρύν
ζεύξας θαλάσσης αὐχέν' Ἑλλησποντίας;
ἅπαντες ἀΐδαν ἦλθον καὶ Λάθας δόμους.

Quorum alterum et tertium Reisacker contulit cum Lucretii u. 1029 quo idem Xerxes innuitur:

‘Ille quoque ipse, uiam qui quondam per mare magnum Strauit’ — cui addere lubet rei causa u. 1033 (sc. Xerxes) ‘Lumine adempto animam moribundo corpore fudit’.

Optime ille quidem, modo ne ex Euripide uersus a poeta arcessitos esse statueret, graui inductus errore[1]). Quod uero

1) ‘Eurip. Cresph. frg. apud Plut. cons. ad Ap. c. 15’ dicit uir doctus

Lucretium Epicurum suum exprimentem subito alio auolasse sumpsit, omnino inritus sumpsit. Nos potius fontium eruendorum usu admoniti illum hos uersus apud Epicurum poetarum expilatorem laudatos inuenisse rectius contendemus [1]). Qui uersus quo patre sint orti ἐν παρέργῳ quaesiuimus. Sed nunc ualeat Epicurus.

Metrodori Epicurei illi aetate fere aequalis ab uno Seneca [2]) commemoratur epistula consolatoria ad sororem de optimae indolis filii morte missa.

Ad Plutarchum peruenimus. Is pro ingenii suauitate de hoc quoque genere litterarum optime meritus est libro qui est περὶ εὐθυμίας et tribus consolationibus quae inscribuntur πρὸς τὴν ἰδίαν γυναῖκα, περὶ φυγῆς ad amicum exulantem, πρὸς Ἀπολλώνιον. Accedunt e falsi Lampriae catalogo scriptorum Plutarchi παραμυθητικὸς πρὸς Ἀσκληπιάδην (CXI) post quem παραμυθ. πρὸς τὴν γυναῖκα memo-

---

l. l. p. XLIV adn. 1, cum nisi h. l. hi uersus omnino non adpareant unde auctorem sciamus. Nauckius eos non recepit in tragg. gr. frgg.; Bergkius qui eos in Lyr.[4] III, p. 739 recenset iambographum aliquem recentiorem auctorem esse suspicatur. Equidem cum neutro facio. Euripidi uersus utique abiudicandi sunt et propter sermonem [uerbo δυνάστης plane abstinet; semel dicit Ἠλίδος δυνάστορες J. A. 280. Ne in cantico quidem ἄϊδαν ἦλθον dicere potuit nedum in senario. Nam εἰς Ἅιδου ἐλθεῖν solet dicere. Semel in cantico (Alc. 237 μαραινομέναν νόσῳ) χθόνιον πὰρ᾽ Ἅιδαν habet. Similiter Soph. O. C. 1461 βροντὴ μ᾽ ἄξεται πρὸς Ἅιδην. Forma uero quae est Ἄϊδαν nisi in canticis (Soph. El. 833. Ant. 822) omnino locum non habet] et propter ipsam indolem; neque enim Euripides e rerum gestarum memoria nominatim exempla petere adsolet. Equidem recentiori alicui tragico adsignari uelim uersus quorum argumentum non ad iambographum facere uidetur.

1) Pariter iudico de Lucr. uu. 840–842 qui Trag. gr. frg. adesp. 430 manifesto spectant; et de u. 960 qui ex Eur. Suppl. 1108—1113 et de u. 971 qui indidem (e uu. 534 sq. qui per me licet alius cuiuspiam sint poetae) deriuandus est.

2) Sen. epist. 98, 9. cf. 99, 25, ubi Graecorum uerborum lectio tam dubia est, ut adquiescendum sit in Senecae paraphrasi quae accuratissime ad Metrodori uerba se adplicare uidetur.

ratur (CXII), et quem adhuc omnino non animaduerterunt *πρὸς Φηστίαν παραμυθητικός*. Quod ad illum, pronus statim eram ad coniciendum *Ἀσκληπιάδην* errore exaratum esse pro eo quod est *Ἀπολλώνιον*. Nam consolatio ad Apollonium in catalogo desideratur; et quem non moueat illa uicinitas? [1]) Sed tamen nunc huic commento diffido propterea quod catalogum illum truncum esse constat. De consolatione autem ad Festiam non est cur catalogo, graui certe testi, fidem abrogemus. Eorum enim opinionem qui de Plutarchorum Chaeronensis et saeculi p. Chr. n. IV Platonici confusione cogitauerunt omnino cum Treuio (p. 53 sq.) reiciendam censeo.

Atque ex hoc quidem libro quem postremo posui restituendo huic litterarum generi operam nauaturo proficiscendum est, quia eo longe plurimae huiusmodi scriptorum reliquiae egregie seruatae sunt. Quo magis mireris Volkmannum [2]) uirum doctissimum optimeque de Plutarcho meritum hunc ipsum librum tantae doctrinae speciem prae se ferentem ab illo abiudicasse. Cuius uniuerso iudicio cum adsentiri nullo pacto possim, argumenta quae ille adtulit breuiter perstringam et refutare studebo.

Ac primum quidem negat Wyttenbachium [3]) ullo fundamento nisum adulescenti Plutarcho libellum uoluisse adsignari. At cum eis quae ille prudentissime dixit de libri stilo ratione indole, quae sine dubio magis calidum adulescentem quam moderatum uirum sapiunt, ne uno quidem argumento possit aduersari: nonne potius eum ipsum conicientem quam Wyttenbachium explicantem fundamento carere dicemus?

Pergit (p. 135): sententias in libello prolatas eas esse quas quicunque ad scribendam consolationem adcingatur proferre

---

1) In quam suspicionem neminem in his uersatum non incidisse uideo. cf. Treui de Lampriae qui fertur Plutarcheorum scriptorum catalogo diligentissimam disputationem (Waldenburg 1873) cui ipse catalogus ex eiusdem recensione praemissus est, p. 38 et 54.

2) Plutarchs Leben u. Schriften 1, 129 sqq. Cuius iudicium secutus est Gerckius.

3) Animadu. II, 696.

debuerit, nisi hospes esset in rhetorum praeceptis; constare enim illas locis communibus qui passim a rhetoribus, uelut a personato Dionysio [1]) et Menandro [2]), pronuntientur. Qui loci cum a scriptore ne apte quidem dispositi tractatique sint, libellum Plutarcho indignum esse censendum. — Minus rectum esse quod de locis communibus dicit uir doctus, cognoscet quicunque perpaucos illos et uiles locos qui apud illos rhetores exstant cum huius scriptoris permultis et grauissimis argumentis contulerit, quae non rhetorum artibus sed ipsis scriptorum philosophorum poetarum sacrariis debeantur. Quare nescio an rectius ingentem ueterum litterarum notitiam adgnoscas et admireris.

Disponendi uero argumenti neglegentiam in alia quoque Plutarchi scripta cadere et notum est et ipse fatetur Volkmannus [3]).

Grauissimum autem argumentum censet repetendum esse e ratione laudandi aliorum scriptorum locos a genuino Plutarcho plane aliena: nimium omnino transcribendi amorem efficere ut interdum tota capita aliorum dictis constent; nimiam Crantoris expilationem uituperandam esse; exempla e rerum gestarum memoria deprompta fere deesse, id quod in Plutarcho paene nequeat explicari; falsas esse illas de Pericle Dione Demosthene fabulas, cum a uero Plutarcho in illorum uirorum uitis (capp. 36. 55. 22) prorsus aliter narrentur.

Sed ne unum quidem horum argumentorum stare posse mihi uidetur. Primum quod gaudet scriptor in proferendis cum pedestris orationis scriptorum tum poetarum locis, tantum abest ut debeamus mirari aut reprehendere, ut contra hanc certam consolatorum consuetudinem notemus. Perlustra quaeso eiusdem Plutarchi consolationem ad amicum exulantem missam; perlustra Axiochum libellum ceteroqui tam adstricto et parco stilo conscriptum; Crantorem in consolatione passim Homeri et Euripidis locos laudasse et Diogenes testatur et nos de-

1) In art. rhet. c. VI, 5. 2) *Π. ἐπιδ.* c. IX p. 413 sqq. Sp.

3) In peculiari 'commentatione de consolatione ad Apoll. Pseudoplut.' p. 4.

monstrauimus; Epicurum optima quaeque praecepta e poetis esse furatum disertis uerbis traditur[1]); Ciceronem uidemus debacchantem in laudandis uariorum scriptorum locis in Tusculanis disputationibus: idem eum in Consolatione fecisse pro certo licet adfirmare; neque ipse Hieronymus dubitauit passim ethnicos quos dicebant et philosophos et poetas in partes suas uocare.

Qui mos nonne egregie conuenit cum consilio consolatoris, quippe qui cum maerentis animum hoc suaui blandimento a curis suis ad iucundiores imagines auocare, tum similibus uariorum hominum dictis adferendis quibus calamitates quae in nos incidant mala non esse, immo certe et ferendas et tolerabiles esse consentiant, hoc idem maerenti persuadere studeat? His si addideris Wyttenbachii de Plutarcho iuuene libelli huius auctore sententiam, si nimius uideatur consolator in congerendis aliorum testimoniis: hoc uitium non tam exprobrabis personati Plutarchi sterilitati, quam genuini ignosces iuuenili ardori. — De Crantore inter libelli fontes recensendo supra p. 38 sqq. accuratiora exposuisse nobis uidemur. Quod uero uir ille doctissimus exempla cum alia tum e rerum gestarum memoria petita desiderat, non uideo quo iure ea quidem requirat, quoniam ubique et sententiarum et argumentorum adferuntur testes, quos indicasse satis habeo: Diogenes Cynicus moribundus (p. 107 F), Pausanias Lacedaemoniorum rex, Macedonum Philippus, Theramenes unus e triginta tyrannis (105 A—C), Antimachus poeta (106 B sqq.), Socrates (108 D), Arsinoe regina (111 F sqq.), Anaxagoras Xenophon Pericles Demosthenes Antigonus Gonatas (118 D sqq.); quibus adduntur sexcenta exempla e ueterum fabulis sumpta: ut equidem in proferendis exemplis admodum frequentem esse scriptorem censeam, id quod ipse uidetur sensisse, cum p. 119 D post longam exemplorum enumerationem *πλὴν πολλῶν ὄντων παραδειγμάτων τῶν διὰ τῆς ἱστορίας ἡμῖν παραδιδομένων τῆς τε Ἑλληνικῆς καὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς κτλ.*, in adlatis tamen adquiescendum esse arbitretur.

1) Sext. Empir. adu. gram. 1, 273 Bkk. *ὁ δὲ Ἐπίκουρος φωρᾶται τὰ κράτιστα τῶν δογμάτων παρὰ ποιητῶν ἀνηρπακώς.* u. Excursum IV.

Venimus ad id argumentum quod primo oculorum obtutu grauius uidetur esse, illud dico quod Volkmannus petit ex fabularum illarum narratione, absonam quam putat esse a memoria quam in Plutarchi uitis earum fieri uideamus. Verum tamen ne hoc quidem recte protulisse uir doctus censendus est. Primum enim de Demosthene omnino minus recte docuit, cum de hoc uiro auctor Consolationis et Plutarchus in uita non modo non sibi contradicant sed potius mirifice congruant, si quidem in utriusque narratione idem Aeschinis aduersarii dictum adicitur. Atque ne quidquam dubii resideat: Cicero (III, 26, 63) eandem fabulam narrans eandem Aeschinis criminationem et plane idem de illa iudicium adicit (cf. ad Plut. 119 C med.), ut nos iam sciamus quem fontem uterque adhibuerit. Quod autem in eadem narratione de Philippi regis morte paulo ante nuntiata nihil additur, bene fit. Nam illa quid ad consolationem adtinet? — Quod ad historiolas quae sunt de Periclis et Dionis constantia, hae sane aliter in Consolatione aliter in uitis narrantur, aperta tamen de causa. Fluxisse enim has fabulas quae sunt de Anaxagora Xenophonte, Pericle Demosthene e Crantoris libro et aliis argumentis et Ciceronis cum Plutarcho in his rebus consensu supra (p. 47) demonstrauimus [1]).

Quae cum ita sint, non puto iusto audacius statui item fabulam quae est de Dione quem *ζηλῶσαι λέγεται Δημοσθένης* (p. 119 B med.), Plutarchum consolationem scribentem e Crantore sumpsisse. Et alios nimirum fontes consolator, alios rerum gestarum scriptor etiam aetate prouectus Plutarchus secutus est. Itaque haec potius adnotanda sunt pro exemplis quibus discatur quam uarias commutationes tales de uiris inlustribus fabulae passae sint: nam rursus eis quae in Consolatione et in uitis de Pericle et Dione diuerse traduntur unum subesse archetypum nemo est quin uideat.

Inique uero Volkmannus mihi quidem uidetur iudicasse de fabula me iudice uenustissima quam de luctus origine scriptor

1) De fabula Xenophontis u. p. 100.

facit narrantem Arsinoae reginae *τινὰ τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων* (p. 111 F sqq.). Eandem fabulam Plutarchus Aesopo tribuens non tam narrat quam indicat in consolationis ad uxorem missae capite VI, diuerso plane consilio et aliter si Volkmannum, si me audis plane eodem consilio et pari modo; nisi quod hoc unum interest quod altero loco fabula lepidissimo ornatu uestitur, altero parcissimis quasi delineatur uerbis. Est enim utriusque summa haec: Luctus a quo nutritur et fouetur eum colit neque umquam deserit; aut — ut Sotionis Pythagorei*) ad fabulam eandem spectantis utar uerbis — *ὅτι ἡ λύπη παρ' οἷς ἂν τρέφηται, καὶ αὔξεται παρ' ἐκείνοις ἡδέως καὶ μένει* [1]); siue — id quod eodem redit — amorem quendam luctus *ἄγρια ποιεῖν καὶ μανικὰ καὶ δυσεξίλαστα τὰ πένθη* [2]), contra luctum si non colatur facile coërceri et ad minimum reduci (111 F).

Breuitatis autem illius quam in consolatione ad uxorem data deprehendimus aperta ut opinor causa haec est. Eo tempore quo Plutarchus illam scripsit, neque ipse neque uxor talibus festiuarum fabellarum deliciis delectabantur utpote paucis diebus post filiolae obitum (c. I.); consolatio autem ad Apollonium et scripta et missa est aliquanto post amici orbitatem [3]). Accedit quod Plutarchus ad uxorem quae uidetur fuisse mulier adprime sobria simplexque — ut iam Wyttenbachius monuit — omnino simpliciter et ex imo corde scribit.

Verum quod in cons. ad Apoll. *τὶς τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων* auctor uel potius narrator, altero loco Aesopus auctor inducitur, quis hoc mirabitur qui reputauerit de talibus apud ueteres memoriam ualde fluxam [4]) et hanc potissimum fabulam neglecto auctoris nomine decantatam in hominum ore fuisse.

*) Excursus V.

1) Stob. Flor. CVIII, 59 *Σωτίωνος ἐκ τοῦ περὶ ὀργῆς*. Mull. II, 47.

2) Ad ux. c. VI et ad Ap. 111 F.

3) p. 102 A extr. *ἐπειδὴ δὲ καὶ χρόνος ὁ πάντα πεπαίνειν εἰωθὼς ἐγγέγονε τῇ συμφορᾷ* e. q. s. Etenim tum demum consolatio suo loco est, ut secundum Chrysippi praeceptum (cf. Heusdium p. 71 et Wyttenb. a. l.) praefari solent.

4) Memor sis e. g. Democritei illius dicti quod a Luciano Demonacti amico uindicatur. cf. p. 8.

Etenim ne Sotio quidem habuit quem auctorem nominaret*), et simillima allegoria a Iamblicho[1]) Pythagorae tribuitur. Et quidni Plutarchi ille ‘uetus quidam philosophus’ Aesopi fabulam in usum suum adhibuerit? Mihi quidem constat sub complurium nominibus uulgatam fuisse illam fabellam quam Plutarchus in aliis scriptis et eis fortasse longo tempore distantibus aliis tribuere posset auctoribus.

At contra Wyttenbachium, qui in hoc libro sublimem et Platonicum, saepe adeo tragicum obseruauit stilum, Volkmannus potius frigidam detortam tumidam dictionem reprehendit.

Per me licet: sed cum haec certe *δύσκριτος* sit quaestio, ego satis habeo salua conscientia totum me addicere Wyttenbachio quocum de pretio aurei libelli prorsus mihi conuenit. In quo equidem adgnosco dicendi et disputandi non exiguam uenustatem, cogitandi summam sublimitatem, iudicandi probam sanitatem, profundam Plutarcho haud indignam doctrinam; contra post ipsam primam lectionem non sine admiratione animaduerti miram distribuendae materiae incuriam, quam tamen satis mihi uideor explicare e scribendi quodam inpetu et ardore. Ceterum cum fructu comparatur illa consolatio ad exulantem amicum a Plutarcho missa cuius et uniuersus color totaque ratio et singularum elocutionum indoles lectorem statim de hoc libello admonet.

Quae cum ita sint, ne illud quidem argumentum quod post Benselerum Volkmannus ex hiatus uitandi incuria repetiuit, quippe quae non in uno hoc scripto obseruetur, satis ponderis mihi habet ut a Plutarcho abiudicem *παραμυθητικὸν πρὸς Ἀπολλώνιον;* praesertim cum mihi nequaquam ueri tam dissimile quam Volkmanno l. l. p. 113 uideatur esse illum eam sibi legem inposuisse uirum qua iuuenis nondum adstrictus esset. Sic olim Isocrates hiatus uitandi auctor cum *πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρον* et *Τραπεζιτικόν* orationes scriberet, hiatum passim admisit, unde Benseler ne his quidem ut parceret

*) Excursus VI.

1) Vit. Pyth. 122 sq.

ab animo suo inpetrauit, ipse tamen uirorum doctorum consensu inprobatus. Quamquam hanc rem non prorsus eandem esse haud ignoro. Consolationem autem illam iuuenile esse opus ad amussim demonstrare non possum; sed sunt quae tuto liceat peritorum sensui committere.

Quod adtinet ad huius libelli fontes: de Crantore satis dictum est, et sufficit memorasse Platonem. Ceteros autem fontes (nam uarios auctores uidetur adhibuisse Plut.) uix quisquam adgrediatur aperire. Velut cum p. 113 D *διὰ τὸν ἐκ τῶν ματαίων ἐλπίδων ἀναπλασμόν* luctum augeri doceatur, apud Hipparchum Pythagoreum[1]) eandem doctrinam similibus uerbis (*τὰ δεδομένα αὐτοῖς ἐπὶ τὸ βέλτιον προαναπλάσαντες κτλ.*) proferri uidemus; et multa alia inueniuntur etiam apud alios ut apud Senecam et Boethium, quae tamen ad certos fontes referre non audemus.

Adicienda sunt exili adpendice pauca nomina. Inter Apollonii Tyanei Pythagorei epistulas est consolatoria ad fratrem de uxoris morte missa[2]). Accedit multo maior consolatio ad Valerium de morte filii[3]), sublimitate et ampullis nimia, haud tamen indocta. In Iuliani epistulis[4]) pulchra consolatio quam ad Amerium quendam carissima coniuge orbatum imperator misit nobis seruata est. Exstat Synesii episcopi consolatoria epistula[5]). Inter spurias illas epistulas quae Phalaridis tyranni olim ferebantur et praedicabantur, duae sunt consolatoriae[6]), haud spernendae eae quidem nec doctrina destitutae, quas tamen ut primum a Stobaeo memoratas huc reieci. Idem cadit in Xenophontis epistulas quarum tertia Socraticus ille de morte Grylli filii se consolans fingitur. Nec Byzantini huic generi defuerunt: peruenerunt ad nos una Procopii[7]), una Theophylacti sophistae[8]), IV Ioannis Tzetzae[9]) epistulae consolatoriae, quas commemorasse satis habeo.

---

1) Stob. Flor. CVIII, 81, p. 147 M. 2) Epist. 55 Herch. 3) Epist. 58.
4) Epist. 36. 5) Epist. 126. 6) Epistt. 10 et 103. 7) Epist. 38.
8) Epist. 25.
9) Epistt. 38. 68. 72. 107. (Tzetzae epistulae, ed. Th. Pressel, Tub. 1851).

Age iam breuius perlustremus rhetores, oratores, sophistas qui in hoc genere se exercuerint. Subito in satis antiqua tempora rapimur longis a finibus exules.

Gorgias Leontinus princeps sophistarum scripsit Athenisque habuisse dicitur *ἐπιτάφιον ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων πεσοῦσιν, οὓς Ἀθηναῖοι δημοσίᾳ ξὺν ἐπαίνοις ἔθαψαν*[1]). Sed ex memoriae ipsius indole et inde quod omnino ciues tantummodo ad dicendum publicum *ἐπιτάφιον* admittebantur Athenis[2]), adparet ficta occasione siue in auditorio orationem illam esse prolatam.

Memoratur Alcidamantis rhetoris discipuli Gorgiae *Ἐγκώμιον θανάτου*[3]) quod libri quem inscripsit *Μουσεῖον* partem effecisse uidetur. Nam cum a Stobaeo[4]) ex hoc Museo uersus illi a consolatoribus decantati

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι

exhibeantur, adparet Alcidamantem in eo similem materiam tractauisse. Itaque facile statuitur Museum illud promptuarium quoddam rhetoricum fuisse quod declamationes de uariis rebus habendas contineret, in quarum numero esset ‘mortis laudatio’[5]).

Antiphontem priusquam se oratoriae arti dederet scripsisse *Τέχνην ἀλυπίας* et Corinthi in foro clamitasse *ὅτι δύναται*

1) Philostr. uit. soph. 1, 9. Nec Dionysius accuratius adnotat.

2) Cf. Blassium l. l. I, 55.

3) Cic. Tusc. 1, 116. Menand. *π. ἐπιδ.* p. 346 Sp. Tzetz. Chil. XI, 747.

4) Flor. CXX, 3.

5) Sauppii (in orat. att. II, 155) est speciosa coniectura quam probari uideo etiam a Vahleno (qui in act. acad. Vindob. 1863 de Alcidamante rhetore scripsit, p. 11). De Musei ipsa indole non ita discrepat a Sauppio Nietzschius qui in Mus. Rhen. XXVIII, p. 219 sqq. ubi de Alcidamantis museo disputat in rhetoricarum scholarum usum illud opus compositum fuisse censet. Sed quod idem ib. XXV, p. 536 sqq. de Alcidamante certaminis Hesiodi et Homeri auctore disputans contendit in illo Museo fuisse latam illius certaminis narrationem, ex qua Stob. uersus illos *Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι* e. q. s. excerpserit quamque totam transtulerit in librum suum Certaminis quem legimus auctor Hadriano inperatori aetate aequalis: nequaquam uidetur demonstrasse.

τοὺς λυπουμένους διὰ λόγων θεραπεύειν quod traditur: quiuis ueterum in talibus securitatis non prorsus ignarus turbas odorabitur; unde ut nos extricemus, denuo in altum uela dare disputationem pati necesse est.

Certissimum est fuisse duos Antiphontes, oratorem et sophistam [1]), id quod praeter alios iam Didymus, qui auctor eorum est quae de hac re tradit Hermogenes, statuit e nimia diuersitate scriptorum Antiphontis nomine ornatorum [2]).

Plerumque autem de his duobus uel potius tribus Antiphontibus, de oratore de sophista de tragico poeta omnia susque deque ferebantur. Quod quidem peccatum erat in eo fonte quem exhauserunt falsus Plutarchus in uita Antiphontis et Philostratus [3]). Hoc rerum statu certe quaerendum est sitne adeo quartus adiciendus Antipho τερατοσκόπος καὶ ὀνειροκρίτης quem eundem facit ac sophistam unus Hermogenes consilio, praesertim cum Suidas ab Antiphonte et sophista et prodigiorum interprete somniorum coniectorem secernat. Ille autem (l. l. p. 414, 10 sqq.) ἕτερος δὲ inquit ὁ καὶ τερατοσκόπος καὶ ὀνειροκρίτης λεγόμενος γενέσθαι, οὗπερ οἵ τε περὶ τῆς ἀληθείας λέγονται λόγοι κτλ.

Non est quartus ille sed idem ac sophista. Nam ut Antiphontem sophistam cum Socrate disputantem inducit Xenophon [4]), ita Ἀντιφῶντα τερατοσκόπον cum eodem Socrate certasse aemulum testis est Aristoteles [5]). Inuenitur igitur fidus re uera testis Hermogenes. — Tragicus uero poeta non in censum uenit, quo-

1) Primus Sauppius doctissima de Antiphonte sophista disputatione quae indici scholarum a. 1867 Gott. habitarum praemissa est, eius reliquias ab oratoris fragmentis segregare et inlustrare studuit. Quae scriptio cum Blassio librum I operis saepe a me laudati scribenti non innotuisset, non sine horum studiorum detrimento a uiris doctis neglecta est.

2) *Π. ἰδεῶν* II, 11, 7, p. 414 sq. Sp.

3) Caue credas omni parte Blassio (1, 82) non solum Photium sed etiam Philostratum falsi Plutarchi sectatorem facienti. Hic enim compluria solus habet, uelut memorabile illud *νηπενθεῖς ἀκροάσεις;* praeterea de libello *ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας* (p. 17 K.) narrat, quem *σοφιστικώτερον* recte uocat, si quidem Hermogenes eundem libellum sophistae omnino adsignat.

4) Memor. Socr. 1, 6. 5) In III de poet., apud Diog. II, 46.

niam is posteriori paulo aetati adsignandus uidetur, Dionysio maiori fere aequalis, a quo propter nimiam libertatem necatus esse dicitur [1]).

Quaestio igitur ad oratorem et sophistam ὁμωνύμους redit. Sed ut primum explicemus, qui factum sit ut illi tam mire coalescerent: aetate erant fere aequales, uterque teste Suida Atheniensis, uterque poterat uocari sophista. Sic Lysias alii interdum sophistae audiuerunt, σοφιστήν se professus est ipse Isocrates, sic ni fallor uterque Antipho a Didymo uocatus est. Adtendedum Hermogenem meum: πλείους μέν inquit γεγόνασιν Ἀντιφῶντες, δύο δὲ οἱ σοφιστεύσαντες, ὧν καὶ λόγον ἀνάγκη ποιήσασθαι. ὧν εἷς μέν ἐστιν ὁ ῥήτωρ, οὗπερ οἱ φονικοὶ φέρονται λόγοι ... ἕτερος δὲ ὁ καὶ τερατοσκόπος καὶ ὀνειροκρίτης λεγόμενος γενέσθαι, οὗπερ οἵ τε περὶ τῆς ἀληθείας λόγοι λέγονται e. q. s. Habes opinor omnium turbarum originem et uiam.

Videndum iam est quae utrique scripta tribuenda sint. Nam hoc quoque ambigitur quia unius Hermogenis de hac re testimonium conruptum ad nos peruenit. Hic enim utrique δημηγορικοὺς λόγους, sophistae etiam πολιτικόν tribuit. Illos quidem reapse oratoris esse nemo negat. De politico dissensere. Quem una cum contionibus sophistae eripi, restitui oratori in Hermogenis textu olim iussit Taylor.

Fuit cum Spengelius nihil praeter libros qui de ueritate inscribuntur sophistae relinqueret, plane futtili usus argumento quod bis (in disputatione p. 5) refutauit Sauppius et ille ipse uidetur ualere iussisse, quatenus in textu maluit codicum conruptam scripturam exhibere. Ipse Sauppius δημηγορικοὺς λόγους a sophista abiudicauit solos itaque haec duo uerba in posteriore membro deleuit [2]); in quem inclinat quamuis de totius

1) Pseudopl. uit. Ant. 13 sq. Phot. Bibl. p. 414 a Bkk. Philostr. p. 16 K. Apud Suid. s. u. Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος· (τερατοσκόπος καὶ) ἐποποιὸς (καὶ σοφιστής· ἐκαλεῖτο δὲ Λογομάγειρος) epicum poetam ortum esse e tragico iure mihi uideor concludere. Sauppius de illo Suidae loco sibi non liquere adnotauit.

2) Or. att. II p. 146 a.

loci emendatione interim desperans Blassius[1]). Ego mihi persuasi librarium oculorum aberratione ut fit contiones bis, falso loco posuisse politicum, id est et contiones et politicum postliminio oratori restituendum esse. Quo nihil potest esse probabilius, praesertim cum talia sexcentiens peccauerunt librarii. Sic nunc Spengelii textus typothetae culpa uitiatus est (i. e. priore membro contra codices exstat illud *καὶ ὁ πολιτικός*); nonne pronum ad eiusmodi errores omnino esse operarum genus denuo discimus?

Verum res ipsa clamat. Sophistae politicum tribuere ante hos XXVI annos non dubitauit Sauppius[2]); XVII annis post cum in illum separatim accuratissime inquisiuisset, in hac sensentia satis labefactus est. ‘Mirum’, inquit, ‘cuipiam uideri posse ad sophistam illum libellum a se translatum esse’ p. 15; sed et ‘necessitate quadam (Hermogenis locum illum dicit) et exemplo conplurium sophistarum (Protagoram *περὶ πολιτείας*, Antisthenem et Critonem *πολιτικούς* scripsisse memor est) et natura ac specie aliquot locorum Antiphontis in florilegio Ioannis Stobaei adlatorum’ se dicit esse adductum ut priorem illam sententiam etiam tum teneret.

De Hermogene aliquid mihi uideor extricasse quod turbas remoueat; sophistarum illa exempla per se nimirum nihil ualent; tertiam uero causam cadere totam — bona pace uenerabilis uiri, horum studiorum Nestoris — demonstrare adcingor. Res est praecipue de eis Ioannis locis quos in *ἀπαρασήμοις* Antiphontis uoluit esse III usque ad XI Sauppius quosque in politicum satis quadrare ait. Addo frg. XII. Priusquam hos locos examinemus, necesse est adgrediamur unum locum qui ex Antiphontis politico ab Athenaeo disertis uerbis laudatur[3]). Est hic: *ὅτ᾽ ἄν τις* (Sauppius in disp. p. 16 scribit *ὃς δὴ τὰ*) *πράγματα τὰ ἑαυτοῦ ἢ τὰ τῶν φίλων κατηρίστηκεν.*

Haec certo consilio in certum hominem non sine acerbitate dicta esse rectissime de Wilamowitzius[4]) ex uno uerbo

1) L. l. 1, 97. 102. 2) Or. att. II, 145 sq.
3) X, p. 423 A. Antiph. polit. frg. 1. 4) In Herm. uol. XI, 296.

quod est *κατηρίστηκεν* conclusit. Quod idem istum hominem esse Alcibiadem atque politicum et Antiphontis oratoris libellum qui erat inscriptus *Ἀλκιβιάδου λοιδορίαι* idem opus fuisse conicit (p. 298), haud displicet.

Iste autem locus (de ceteris IV fragmentis politici nihil potest statui) profecto non uidetur in eodem libro fuisse in quo illi Ioannis loci fuerunt, quibus omnibus, ut ipsius Sauppii (p. 15) uerbis utar, 'praecepta continentur quibus obsecuti homines uitam ita instituere queant ut, quantum quidem in hac tanta rerum humanarum infirmitate et fragilitate fieri possit, deuitentur mala et dolores, tranquilla uiuendi aequabilitas obtineatur'. — Ad ipsum rei cardinem tandem peruenimus: Ioannis loci neque ad Antiphontis politicum neque ad *ὁμωνύμου* sophistae *περὶ ὁμονοίας* libellum[1]), sed potius ad eiusdem *ΤΕΧΝΗΝ ΛΑΥΠΙΑΣ* pertinent. Sauppius quidem ut sophistam praeclare rediuiuum reddidit ita hoc unum membrum intermortuum torpere siuit; quod uide reuiuiscatne forte nostra opera.

Sunt de hoc opere locupletissima testimonia ab illo tamen neglecta quamuis non ignorata. Unum est falsi Plutarchi (l. l. § 18) hoc: (*Ἀντιφῶν*) *ἔτι δ' ὢν πρὸς τῇ ποιήσει τέχνην ἀλυπίας συνεστήσατο, ὥσπερ τοῖς νοσοῦσι ἡ παρὰ τῶν ἰατρῶν θεραπεία ὑπάρχει· ἐν Κορίνθῳ τε κατεσκευασμένος οἴκημά τι παρὰ τὴν ἀγορὰν προέγραψεν ὅτι δύναται τοὺς λυπουμένους διὰ λόγων θεραπεύειν· καὶ πυνθανόμενος τὰς αἰτίας παρεμυθεῖτο τοὺς κάμνοντας.*

Quae quod de iuuene oratore narrat, nil ad rem. Ne iste liber omnino est turbarum mirum aliquod receptaculum.

Repetit haec Photius[2]). Philostratus alio ex fonte hausta tradit haec[3]): *πιθανώτατος δὲ ὁ Ἀντιφῶν γενόμενος καὶ προσρηθεὶς Νέστωρ ἐπὶ τῷ περὶ παντὸς εἰπὼν ἂν πεῖσαι νηπενθεῖς ἀκροάσεις ἐπήγγειλεν, ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἐρούντων ἄχος, ὃ μὴ ἐξελεῖν τῆς γνώμης.*

Primum de hac memoria ita recte iudicabimus ut Antiphontem sophistam illum librum re uera scripsisse, fortasse

1) De quo Blassius l. l. p. 99 sqq. et in ed. Ant. p. 132 cogitauit.
2) Bibl. p. 486 a, 17 sqq. 3) p. 15 extr. 16 K.

etiam eiusmodi declamationes protulisse (quis non Prodici meminerit?), illa autem quae de isto quodam ualetudinario narrentur a maleuolis uel a comoediarum scriptoribus adficta esse statuamus. Ipsa autem libri inscriptio ‘ars parandi animum ab omni aegritudine liberum’ quam clare sapit sophistam quamque nos commonefacit similium scriptionum sophistarum, quales sunt Alcidamantis *Ἔπαινος θανάτου*, Prodici de uitae miseriis oratio, Antisthenis *περὶ θανάτου*, Dionis *περὶ λύπης* et Charidemus, Maximi Tyrii *πῶς ἄν τις ἄλυπος εἴη*, Libanii de calumniis consolatio, ut alia omittam. — Quod fuerit libri argumentum quaerimus. Vel inscriptione quae est *τέχνη ἀλυπίας* adducimur ut coniciamus eum ita fuisse comparatum ut uarias de uariis uitae humanae casibus consolationes uel ‘certa de paupertate, de uita inhonorata et ingloria, de exilio, de interitu patriae, de seruitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu in quo nomen poni solet calamitatis’ — quos locos a Graecis elaboratos esse Cicero narrat[1]) — contineret. Et ad hunc talem sophistae librum, nisi omnia me fallunt, sponte ducimur Stobaei locis quos quo relegarent uiri docti haesitabant. — Priore loco commentamur fragmenta quae leguntur VIII VII XII IX.

Εὐκατηγόρητος narrat Antipho *πᾶς ὁ βίος θαυμαστῶς, ὦ μακάριε, καὶ οὐδὲν ἔχων περιττὸν οὐδὲ μέγα καὶ σεμνόν, ἀλλὰ πάντα σμικρὰ καὶ ἀσθενῆ καὶ ὀλιγοχρόνια καὶ ἀναμεμιγμένα λύπαις μεγάλαις.*

1) Tusc. III, 81. Talem consolationum thesaurum complexus est Seneca libro quem de remediis fortuitorum conscripsit, cuius conspectum adponere non a re erit: ‘Morieris’ (II); ‘Decollaberis’; ‘Peregre morieris’ (III); ‘Insepultus iacebis’ (V); ‘Iuuenis morieris’ (i. e. de inmatura morte. IV); ‘Amisi liberos’ (i. e. de orbitate. XIII); ‘Uxorem bonam amisi’ (XVI); ‘Amicum perdidi’ (XV); ‘Aegroto’ (VI); ‘Dolor imminet’ (IX); ‘De caecitate’ et ‘de surditate’ (XII); ‘Male de te opinantur homines’ (cf. ‘de uita inhonorata’. VII); ‘Paupertas mihi grauis est’ (X. Bio cynicus paupertatis laudem scripsit); ‘Exulabis’ (VIII); ‘Naufragium feci’ (XIV); ‘Inimicos graues habeo’ (XV); ‘Pecuniam perdidi’ (cf. infra Antiph. frg. V); — Senecae consolationum promptuario Antiphontis *τέχνην ἀλυπίας* geminam fuisse persuasum habeo.

Habes consolationis principem locum [1]) quo defleatur uita humana. Hic magnam Axiochi partem efficit, hic Aristotelis Theophrasti Crantoris Ciceronis Senecae Plutarchi in consolationibus eximie elaboratus est, denique hic in nulla consolatione omissus est.

Adde quod scriptor aliquem adpellat *ὦ μακάριε*: induxit, crede mihi, in illo libro lugentem quem 'maeroris causis cognitis adloquitur', ut falsus Plutarchus supra (p. 76) nobis narrauit. Videtur igitur totus libellus ita fuisse institutus, ut se fingeret conloquentem cum lugentibus quorum maerendi causas deinceps refutaret consolator. Quae forma consolationi ualde apta reuera saepius usurpata est, ut ab Aeschine, ab Aristotele, praecipue autem a Seneca et a Boethio.

Sed tamen de illius mei fragmenti sede ne dubites, uide quo modo in Axiocho (p. 366 D) idem de uitae miseriis locus a Prodico commodatus surgat: *τί μέρος τῆς ἡλικίας ἄμοιρον τῶν ἀνιαρῶν;* quae quo torrente statim decurrit ingeniosus sophista!

Nec aliter Crates illius imitator, ut supra (p. 16) docui, praefatur: *οὐδεὶς εὐδαίμων γεγονὼς ἂν εἴη, ἀλλ' εἰ θέλει τις ἐκλογίσασθαι ἐν ὅλῳ τῷ βίῳ πάσας τὰς ἡλικίας, εὑρήσει πολλῷ πλείους τὰς ἀλγηδόνας.*

Nonne hi gemelli loci ad gemelli argumenti librum pertinere illud fragmentum indicant, immo clamant? Quodsi illud ita te iubeo interpretari ut sic sophistam in consolatione de morte (quae praeter alias in *τέχνῃ ἀλυπίας* exstabat) illi loco praefatum esse statuas: haud a re mihi uideo consulere. Cuius ipsius (locum de uitae miseriis dico) manifestas reliquias accipe fragmenta a Sauppio VII et XII sedibus posita. Iterum autem sinas te paulisper ad Axiochum reici. Ibi totam uitam miseram esse demonstraturus consolator singulas aetates perstringit l. l.:

---

1) Cf. Democr. frg. 41 M. (e libro *περὶ εὐθυμίας* haud dubie): *Γινώσκειν χρεὼν ἀνθρωπίνην βιοτὴν ἀφανρήν τε ἐοῦσαν καὶ ὀλιγοχρόνιον πολλῇσι τε κηρὶ συμπεφυρμένην καὶ ἀμηχάνῃσι.*

I. *οὐ κατὰ μὲν τὴν πρώτην γένεσιν τὸ νήπιον κλάει...;*
II. *ὁπόταν δὲ εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται* e. q. s.
III. *ἐπειδὰν δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῇ* e. q. s.
IV. (367 A) *ἐπειδὰν δὲ ἀπολυθῇ τούτων* (uirilem indicat aetatem) e. q. s.
V. *εἶτα λαθὸν ὑπεισῆλθε τὸ γῆρας* e. q. s.

Perinde iterum agit Crates nisi quod sex uitae gradus distinguit. Pariter Antipho quoque uitam recensuerat, et seruata sunt narrationis duo membra, quorum unum est magnum frg. VII quod incipit notando schemate hoc: *φέρε δὴ προελθέτω ὁ βίος εἰς τὸ πρόσθεν*; nempe modo perstrinxerat priorem uitam.

Tum autem demonstratur matrimonium quoque miserum esse. Confer Cratetem rursus qui in illo epigrammate quo mortem optandam demonstraturus omnem uitae condicionem increpat: ἔχεις inquit *γάμον· οὐκ ἀμέριμνος ἔσσεαι.* Sic Antipho docet: uoluptatibus nuptiarum mox *ἀκολουθοῦσι λῦπαι καὶ πόνοι. Φέρε δὴ καὶ παῖδες γενέσθωσαν*: nunc uero curis obrueris.

Nimirum nec senectutem intactam reliquit Antipho, et huc pertinere de quo desperauerunt fragmentum XII quod est: *Ἀντιφῶν ὁ ῥήτωρ λέγει· γηροτροφία γὰρ προσέοικε παιδοτροφίᾳ* sic uide.

His uerbis primum praegnanter exprimitur illud *Διὸς παῖδες οἱ γέροντες* siue 'Repuerascit senex'. Nam inter ea dicta quibus illud prouerbium inlustretur et uarietur Antiphontis locus et a Clemente et ab Aristophanis scholiasta excitatur. Tum in Axiocho ubi senectus obiurgatur, ipsum prouerbium arcessitur (p. 367 B extr.): *ἀλλ' οἱ πολλοὶ γήρως ἀπακμάζουσι καὶ τῷ νῷ, καὶ δὶς παῖδες οἱ γέροντες γίγνονται*[1]).

Crates uero eodem loco propius ad Antiphontem: (*ἀνὴρ*) *παρήκμασε* inquit *καὶ ἔρχεται εἰς γῆρας· πάλιν παιδοτροφίαν ὑπομένει.* Num melius potest inlustrari fragmen-

1) Sic C. Fred. Hermannus conruptissimam Platonis librorum scripturam e Stobaeo emendauit.

tum? Illa Antiphontis uerba pertinebant ad eundem consolationis locum, senectutis uituperationem, itaque post frg. VII conlocanda erant. At quaeris, qui illae similitudines quae inter Antiphontis *τέχνην ἀλυπίας* et Axiochum intercedunt, explicandae sint. Spondeo tibi hoc: sophista meus Prodicum sophistam paulo maiorem natu, ad cuius orationem pertinent quaecunque modo ex Axiocho adtuli, audiuit itaque hic illic expressit.

Sequitur egregium specimen argumenti a cunctis consolatoribus triti, frg. dico IX: *τὸ ζῆν ἔοικε φρουρᾷ ἐφημέρῳ τό τε μῆκος τοῦ βίου ἡμέρᾳ μιᾷ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἣν ἀναβλέψαντες πρὸς τὸ φῶς παρεγγυῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἑτέροις.*

Peruetusta haec est Orphicorum [1]) doctrina quam Pythagorei, qui omnino saepius Orphei quae ferebantur praecepta uidentur secuti esse, exceperunt et peruulgauerunt. Quorum placita Socratis fere temporibus Athenas permanarunt auctore in primis Philolao[2]), unde Pythagorea non pauca habet Plato. Et is hac quoque consolatione utitur (Phaed. p. 62 B) illum secutus: *ὁ μὲν οὖν* ait *ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι* e. q. s.[3]).

Hinc in nulla fere absoluta consolatione hic locus defuit[4]), interdum sane sic uariatus ut ipsum corpus animae carcer siue sepulcrum dicatur, uel imagine missa simpliciter eum statum quem nos uocare consuerimus uitam reuera mortem, mortem autem uitam contendatur esse, uel haec omnia coniungantur:

---

1) V. p. 4 adn. 5; adde Plat. Cratyl. p. 400 B. Schol. Phaed. p. 62 B. Matth. II, p. 7.

2) Cf. Zellerum 1, 307 sqq.

3) Cf. Aesch. Ax. 365 E extr. *ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχή, ζῷον ἀθάνατον ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ.* 370 D *ἐκεῖσε γὰρ ἀφίξει ἐκ τῆσδε τῆς εἱρκτῆς.*

4) Plut. p. 115 B. Aristot. Eudem. frg. 36. Cic. Cons. frg. 10. 11. cf. Tusc. 1, 74. Cat. mai. 77. 82. Inc. cons. ad Pol. IX, 6. Plurimis Dio in Charidemo (or. XXX p. 550 R.). Greg. Nazianz. or. X, c. 24 (or. fun. de Caes.). cf. Eurip. frg. 830. 639. 957. Plat. Gorg. 493 A. Sen. ad Marc. XXI, 7

omnibus suis numeris expleuerunt locum in consolationibus inprimis Crantor et Cicero. I nunc et dic Antiphontis geminum locum quem modo commentatus sum ad aliud eius scriptum nescio quod, non ad consolationem siue τέχνην ἀλυπίας pertinere. — Ceterum altera pars sententiae sophistarum more obscurius expressae commentario indiget.

'Vitae spatium', inquit, 'uni diei — ut ita dicam — adsimulandum est quem postquam lucem suspeximus (id est reuersi in aethera, scilicet unde orti sumus[1]) tradimus posteris aliis'. Adgnoscis iterum Pythagoream doctrinam, eam dico quae est de animarum migratione, paulo uariatam eam quidem, quam iterum etiam Plato in Phaedone explicat[2]). Cuius doctrinae summam adsumens sophista, quae est πάλιν γίγνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας siue materiem opus esse 'ut crescant postera saecla' (ut durius pro sua sententia Epicurus apud Lucretium consolantem[3]) — minus accurate pro inferis, quo secundum integram doctrinam mortui redeant, ponit aethera, diuersa scilicet de animae post mortem condicione placita contaminans.

Hac interpretatione simul opinor elucet Sauppium qui (p. 17) pronomen relatiuum ἥν non posse non ad id quod est φρουρᾷ referri arbitraretur, iniuria obelo notasse membrum τό τε μῆκος τοῦ βίου ἡμέρᾳ μιᾷ. Non enim φρουρὰν ἐφήμερον (quam Sauppius p. 16 perperam uoluit esse 'stationem diurnam', re

1) Cf. Pythag. carm. aur. 70 Ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς ἔσσεαι ἀθάνατος. Elocutio ἀναβλέπειν πρὸς τὸ φῶς h. l. re uera uidetur ualere id quod est πάλιν βλέπειν προς τὸ φῶς s. 'lucem rursus adspicere', licet alias ἀναβλέπων sit is cui post caecitatem uisus restituitur. Illud autem tuto posse sophistae inputari consenties si recensueris illius audaciae pauca sed apta specimina quae infra p. 84 sq. composui. Accedit quod sensus illam uerbi notionem flagitat. Ne tamen gemina desideres: ualet Antiphonti ἀναποδίζεσθαι τὸ πάλιν ἐξετάζειν (de uer. frg. V) et ἀναθέσθαι πεττόν quod dicas latine 'rursus ponere tesseram (de conc. ord. frg. I).

2) p. 70 C — 72 D. 3) III, 967 L. cf. 1, 262 sqq.

Haud igitur penitus pereunt quaecumque uidentur, | Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam | Rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.

uera esse intellegendam ‘captiuitatem, custodiam temporariam, breuem’ idem nunc concedet*) sed illam diei instar uitam mortuos posteris tradere dicit sophista. Proinde sartum tectum ut aiunt uelim conseruemus lepidissimum fragmentum.

Neque equidem dubitare possum quin fragmenta quae sunt III IV V VI ad eundem librum sint reuocanda; quorum prioribus duobus docet ‘exemplis uitiorum quaeque notando’ — ut Flaccus dicit — quo modo uita luctus inmunis paranda sit. Non, ait, ei sequendi sunt qui per totam uitam nimis parci atque aerumnosi (*ταλαιπωροῦντες*) se ipsi crucient (*ἀλγοῦσιν ὥσπερ ἀπὸ τῶν σαρκῶν ἀφαιρούμενοι*); nec uero ei qui dum hanc uitam amittunt futuram exspectant, ‘incerta petunt, atque hoc euenit in labore atque in dolore ut mors obrepat interim’ [1]).

Εἰσί τινες inquit *οἳ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα· καὶ ἐν τούτῳ παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται.* Idem ad amussim docet Hipparchus in libro *περὶ εὐθυμίας* paene isdem uerbis: ipsum locum lacunis laceratum sed a me nunc certo suppletum adpono (Stob. CVIII, 81, p. 48, 26 M.): *Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πολλὰ παρασκευαζόμενοι ⟨οὐκ ἐννοῶντι⟩ ὡς οὐκ ἔστι ζῆν μετὰ τὸν τᾶς ζωᾶς χρόνον· ⟨ἡμεῖς δὲ ἐνθυμηθέντες ὅτι οὐκ⟩ ἔξεστι ⟨τεθνηκόσι πάλιν⟩ γενέσθαι, χρησώμεθα παρουσίᾳ τῶν ἀγαθῶν.* — Sed occasione data id quod ib. p. 47, 21 cum magno sententiae detrimento hodie legitur *ἅφνω* non sinam medicina carere: lege *ἄμφω* et acumen habes. Dicit enim: homines, dum quae a natura et casu praebentur, non qualia sunt sed qualia si omnibus numeris perfecta essent possent esse, reputant, utrisque priuati se ipsi uexant. — Iam Democritus, in libro *π. εὐθυμίας* credo, illum locum explicauerat (frg. 21 M.): *‘Η τοῦ πλέονος ἐπιθυμίη τὸ παρεὸν ἀπόλλυσι τῇ Αἰσωπίῃ κυνὶ ἰκέλη γινομένη.* Sed multo propius ad Antiphontem Epicurus apud consolantem Lucretium (III, 957 sqq.):

1) Plaut. Pseud. II, 3, 19 optime contulit Sauppius p. 15.

*) Excursus VII.

Sed quia semper aues quod abest, praesentia temnis,
inperfecta tibi elapsast ingrataque uita,
et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
quam satur ac plenus possis discedere rerum.

Vides, habitat hic locus in his scriptis: redeat postliminio in Antiphontis artem.

Fragmentum autem quintum adprime quadrare in librum cui propositum fuerit aduersus fortuita uitae mortales firmare quis est quin sentiat? si quidem uere uenusta illa fabella aliquem de amissa pecunia consolatur admonens eum cum alia tum hoc: rerum copiae saepe accedere mentis penuriam, ut qui altero (sc. mente) careat, eum utroque esse orbum[1]). Sexto denique fragmento seuere suadet ne spe proprii commodi aliis iniuriam inferre animum inducamus, laudatque eum qui metuendo in talibus et cunctando eo deueniat ut consilio desistat. Plerique enim, inquit, illa spe in inmedicabilia mala detrusi sunt, dum quam facere uoluerunt iniuriam ipsi patiuntur. Itaque caue temere indulgeas libidini ipse malis uiam facturus.

Hucusque in explicandis incertis Antiphontis fragmentis haud inritam poni operam putaui; cetera dubia, nisi quod frg. XIV nescio an paene certo ad oratoris quae erat de ipsius defensione et de rerum mutatione orationem referenda sit.

In illas reliquias quas Antiphontis sophistae *τέχνῃ ἀλυπίας* adsignaui adprime me dius fidius ualent Hermogenis et Philostrati de sophistae genere dicendi. Adparet enim scriptor *σεμνὸς καὶ ὑπέρογκος τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῷ δι' ἀποφάνσεων περαίνειν τὸ πᾶν, ὃ δὴ τοῦ ἀξιωματικοῦ λόγου ἐστὶ καὶ πρὸς μέγεθος ὁρῶντος, ὑψηλὸς δὲ τῇ λέξει καὶ τραχύς, ὥστε καὶ μὴ πόρρω σκληρότητος εἶναι;* adparet etiam *ἀπαγγελία ἐπηνθισμένη ποιητικοῖς ὀνόμασι*[2]).

Quod ad uniuersum sermonis colorem adtinet, confidenter ad lectoris iudicium prouoco; singula quaedam paucis inlustro.

---

1) Nec in Senecae promptuario defuit locus 'de amissa pecunia'. cf. p. 77 adn. 1.

2) Cf. Blassium l. l. p. 100.

In fragmento quinto uerbi *ἀχαριστεῖν* rara testibus ueteribus lexicorum conditoribus notio quae est *μὴ χαρίζεσθαι* uel ‘non commodum esse’ uel ut nostrates ‘ungefällig sein’ obuiam fit. Ecce Harpocratio *ἀχαριστεῖν* inquit *ἀντὶ τοῦ μὴ χαρίζεσθαι. Οὕτως Ἀντιφῶν.* Illud autem frg. V nemo umquam oratori audeat tribuere: sophistam igitur uidetur spectare grammaticus, et illud quidem uix adnotaturus nisi esset memorabile. Itaque et Plato et Aristoteles qui eandem uerbo uim uindicauerunt sophistam uidentur secuti esse. — In frg. VII uelim adnotes elocutionem prorsus poeticam *μὴ τὰ παλίγκοτα λέγωμεν.* Homericam uocem quae est *καταθύμιος* praeter Antiphontem unus inter prosae orationis scriptores admiserunt Herodotus et Democritus[1]) ipsi quasi poetae. Insigne uero sophistae specimen est lepidissima elocutio *νεοτήσιον σκίρτημα* quam mutuatus est doctus Clemens[2]). Nec *λύπημα* sophista illo excepto cuiquam Graeco homini a. Chr. n. prae eo quod est *λύπη* placuit. Pariter quod est in frg. XI *θέλημα* ceteroqui usque ad Noui Instrumenti scriptores inauditum est, immo nisi illic omnino exstare non uidetur. In uno fragmento tot indicia! Sed quis et in his et in ceteris V artis fragmentis non sentiat merum sophistae spiritum? Attamen unum praeterea uerbum uelim praecipue adnotes, uerbum *εὐκατηγόρητος*[3]) dico, quod fere ualet ‘cuiuis adcusationi obnoxius’. Quod praeter sophistam meum hac aetate (p. Chr. n. iterum emergit) unus praebet Thucydides Athenas urbem *εὐκατηγόρητον* uocans et loco (libri VI capitis 77 in prima paragrapho) cuius *κάλλος* et *μεγαλοπρέπειαν* et *δεινότητα* et *πάθος* ualde notanda censuit Dionysius. Hunc autem illorum consensum cur te iubeam notare breui intelleges.

Idem Antipho sophista existit in eis libris quos *Ἀλήθεια*

1) In Stob. flor. 76, 16.

2) De diu. seru. 8. Sed adde ut nobile par fiat de uer. frg. XXV *ἱδρῶτα θερμοῦ*: sic enim mare audit apud sophistam meum qui sane et sententiam et partem elocutionis ex Empedocle (*ἱδρῶτα τῆς γῆς ἐκκαιομένης*) deprompsit: Plut. de plac. phil. p. 897 B.

3) Pariter Hipparchus (l. l. p. 46, 16 M.) mortalium corpus *εὐαδίκητον καὶ ⟨εὔ⟩φθαρτον* (sic lege!) uocat.

et *Περὶ ὁμονοίας* inscripsit. Solus formauit uocem *θεαιδής* (de concord. frg. III); primus *ἀθεώρητος* quod idem atque *ἀθέατος* ualere uoluit (ib. frg. VI); *ἀνδρείαν* (ib. frg. VII) uirilem aetatem significare iussit unus; uocem *βαλβῖδες* (frg. IX) pro eo quod est *ἀρχαί* siue 'initia' usurpare docuit Themistium Philostratumque sophistas; primus per metaphoram adhibuit uocem *εὐήνιος* (frg. X) imitante Platone; ne tritum nomen quo decipiendi notio exprimitur adsumeret, formauit inauditum *φήλωμα* (frg. XIV); ut haberet quo hominem nullius rei indigentem ornaret uerbum sibi finxit *ἀδέητον* (de uer. frg. I); ad exprimendam uiuescendi notionem feliciter inuenit elocutionem *ἔμβιος γενέσθαι* quam de ligno in terra putrescenti (ipse sane poetice dicit 'ligni putorem uiuescere') adhibuit (frg. IV); miram uerbi *ἀναποδίζομαι* notionem ('denuo examino' frg. V) statuit; *δεήσεις* (frg. X) egestatem, *ἄβιον* (frg. XXII) diuitem, *διάστασιν* (frg. XVI) quam licenter dixit ordinem! *γρυπάνιον* (frg. XIV) quasi senem incuruum concussam tremore terram uocauit, nisi forte aliquanto audacius de cruciatibus parturientis mulieris cogitauit; nec praetereunda duo mira nomina et semel usurpata, *ἄοιττα* (frg. VII) et *ἀειεστώ* (frg. XIX, hoc quidem scilicet secundum illud Democriti *εὐεστώ* formatum).

Eodem modulo aestimata incertorum fragmentorum XXXIX[1]) XL XLII[2]) XLIII LIV LVI*) et procul dubio multa alia sophistae tribuemus. Eodem modulo metienti cuipiam rhetoricae artis fragmenta ad sophistam, non ad oratorem, hoc quoque opus reuocandum esse uideatur: cuius in tertio libro uox admodum siue suspecta siue rara *ἀπαρασκεύαστον* legebatur; *ἀπαράσκευος* in libris de ueritate (frg. XXIII); distinctio inter duo argumentorum genera, inter *σημεῖον* et *τεκμήριον*, magis sophistam quam oratorem foro et usu institutum sapit, cum praesertim hunc ipsum ita non distinguere uideamus[3]); denique iam ueteres

1) Conl. Aesch. Agam. 612 *χαλκοῦ βαφάς* et Soph. Ai. 651 D. *βαφῇ σίδηρος ὥς*.

2) Conl. de conc. frg. II et de uer. frgg. III et XV.

*) Excursus VIII.

3) V. or. V § 61. Adnotauit Blassius l. l. p. 103 et adn. 4.

quidam teste Polluce (frg. IV) alienam censuerunt artem rhetoricam ab Antiphonte eadem nimirum et ingenii et stili permoti diuersitate, quandoquidem Rhamnusium tantum Antiphontem memoria tenebant. Exciderat sophista: ita quae scripsit tristi fato ut *νοθευόμενα* oratoris detrectabantur. Equidem artem scripsisse Rhamnusium contemplatus inquietam eius uitam mihi omnino nequeo satis probare. Accedit quod nec Spengelium aliquid pro oratore libri auctore proferre [1]) et Blassium de quaestione haerere uideo. Atque quod Galenus (frg. VI) Antiphontem et ipsum finxisse *ὀνόματα καινά* et qui ea fingenda essent docuisse tradit: quis non sophistae, quis meminerit oratoris auctoris trium illarum de Herodis morte, de saltatore, contra nouercam capitalium orationum, in quibus quae noua aut a consuetudine recedentia inueniuntur [2]) tamen tenuia sunt inmensoque spatio a sophistae licentiis distant?

Haec omnia cuipiam plus ualeant quam Menexeni unus locus (p. 236 A) ubi Rhamnusius Antipho artis rhetoricae praeceptor commemoratur.

Iam cadantne una cum arte eueniantque sophistae declamationes illae III quas *τετραλογίας* consueuimus uocare (quas partem artis effecisse suspicatus est l. l. p. 117 sq. Spengelius non inprobatus a Sauppio) — necne, diiudicare non ausim donec de illis potero iudicare. Ansam fortasse praebent Philostrati uerba *Λόγοι δ' αὐτοῦ* (Antiphontis) *δικανικοὶ μὲν πλείους, ἐν οἷς ἡ δεινότης καὶ πᾶν τὸ ἐκ τέχνης ἔγκειται, σοφιστικοὶ δὲ καὶ ἕτεροι*: quibus quidni tetralogias innui suspicemur?

Denuo surgit disputatio. Quaeritur quid rei fuerit Antiphonti cum Thucydide. Tradunt enim complures et diuersis fontibus usi scriptores Antiphontem Rhamnusium illius praeceptorem fuisse [3]). Quam memoriam e Caecilii coniectura re-

1) In libro quem inscr. *Συναγωγὴ τεχνῶν* p. 115 sqq.

2) Quae uide enarrantem Blassium l. l. p. 115 sqq. Ceterum quod Dionys. ad Amm. 1, 2 cum Theodoro Byzantio et Thrasymacho Chalcedonio Antiphontem laude dignum censet, incertum est utrum indicet. u. ib. p. 103.

3) Plut. fals. l. l. (i. e. Phot. l. l. et Suid. s. u. *Ἀντιφ.*) Caecilii sectator rem inuertit: nempe sua, non illius culpa. — Marcell. uit. Thuc. 22.

petendam censuit de Wilamowitzius[1]) recte usus falsi Plutarchi loco[2]) quippe quo statim addatur 'hac de causa Antiphontem a Thucydide[3]) laudari'. Ita autem rem explicari arbitror: cum fama esset — *ἀκούω πολλῶν λεγόντων* dicit Hermogenes — Antiphontem Thucydidis praeceptorem fuisse, Rhamnusium intellegendum esse illo loco inductus coniecit Caecilius. Perperam, ut de Wilamowitzius monuit, ego demonstrabo. Sed ut statim sententiam meam dicam: certissimum uidetur Thucydidis praeceptorem fuisse Antiphontem sophistam. Quod adumbrare in animo est, sed paucissimis, ne iusto longius a proposito aberret disputatio. Primum accipe hanc meam obseruationem cuius fidem praesto: fragmenta Antiphontis sophistae quae sunt librorum *περὶ ἀληθείας* et *περὶ ὁμονοίας* et quae ex incertis ad eundem pertinent, multa uel obsoleta uel rara uel insolentia uel inaudita continent quibus saepe unus Thucydides gemella adicit. Haud mirum hercle, quoniam ueterum de dicendi genere utriusque tam mire inter se congruunt iudicia ut hoc non possimus non exspectare.

De Antiphonte quidem plerumque ad ea quae supra iam adscripsi et ad fragmenta te relegabo: quae sunt de historico conferam. Sunt autem notabilia certe fere haec. Videmus utrumque adamare uerba obsoleta[4]) et poëtica[5]) et noua[6]), utrumque gaudere sophisticis schematibus e quibus inprimis *παρίσωσις* notatur[7]); denique apud utrumque *ἡ ἐξαλλαγὴ τῆς συνήθους χρήσεως*[8]); de Thucydidis artificiosa illa breuitate et obscuritate non est quod addam: Antiphontis supra (p. 80 sq.) inlustraui exemplum; ille quoque *ἔχει χαρακτῆρα ὑπέρσεμνον*

Ἀ. ῥήτορος et Hermog. l. l. Didymo auctore. Accedunt Suid. s. u. *Θουκυδ. (μαθητὴς Ἀντιφῶντος)* et Anon. uit. Th. 2.

1) In Herm. uol. XII, p. 335 'Die Thukyd.-legende'. 2) Vit. Ant. § 7.

3) Libri VIII caput 68 innuit. 4) Dion. ad Amm. II, 3. Marc. 52.

5) Ibid., quae u. inlustrata a Poppone, de elocutione Thuc. p. 253 sqq.

6) Uterque igitur *ἐφευρετής ἐστι τῶν καινῶν ὀνομάτων* Marc. 52.

7) *Ταῖς παρισώσεσι χαίρων* Hermog. l. l. de sophista A. cf. Dion. ad Amm. II, 2, Marcell. 36, Popponem p. 257.

8) Dion. l. l. 3.

καὶ μέγαν estque interdum ὑπέρογκος καὶ ὑψηλός[1]); laudatur eius τὸ γνωμολογικόν[2]); adde utrumque nonnumquam sublimitatis fines egressum tendere ἐπὶ τὸ τραχύτερον μᾶλλον καὶ τὸ σκληρότερον[3]) — et per omnes credo numeros iuit comparatio.

Sed hanc Antiphontis sophistae cum Thucydide cognationem omnino non primus uidi: notauit olim Hermogenes adhuc neglectus decantato illo loco cui fortasse ipse Didymus subest. Audiamus. Θουκυδίδην γάρ ait Ἀντιφῶντος εἶναι τοῦ Ῥαμνουσίου μαθητὴν ἀκούω πολλῶν λεγόντων, καὶ τὸν μὲν Ῥαμνούσιον εἰδὼς ἐκεῖνον οὗπέρ εἰσιν οἱ φονικοί, τὸν Θουκυδίδην δὲ πολλῷ κεχωρισμένον καὶ κεκοινωνηκότα τῷ εἴδει τῶν τῆς ἀληθείας λόγων, πάλιν οὐ πείθομαι.

Dicit igitur — ut explicem partem loci fortasse non omnibus numeris integram (post ea quae sunt Θουκυδίδην δέ nescio an inserendum sit τούτου, quod post πολλῷ fecisse iam Blassium nunc uideo), certe difficilem —: ‘et eum intellego Rhamnusium cuius sunt orationes capitales, a quo quidem multum distat Thucydides qui potius multa communia habet cum specie librorum qui de ueritate inscripti sunt’, id est cum Antiphonte sophista, cuius notissimum opus nominare maluit.

Manifestum tamen est in huius potissimum scriptionis reliquias inquirendum esse euenireque magnam prioris disputationis confirmationem, si illa similitudo adeo in paucis illis XXV fragmentis cernatur. Cernitur, et mirifice. Discimus enim eum in illa scriptione ἀνήκει ἀντὶ ἁπλοῦ τοῦ ἥκει ἢ οἷον ἀναβιβάσθη καὶ προελήλυθεν (frg. VI) usurpasse. Et unum uidetur habere comitem Thucydidem qui in libri III capitis 45 § 3 docet: poenae initio molliores plerumque paullatim ἐς τὸν θάνατον ἀνήκουσι, scilicet ‘progressae sunt’, licet scholiasta interpretetur ἀνέρχονται. — Sophista (l. l. frg. VIII) ἀπαθῆ ἀντὶ τοῦ τὰ μὴ ὡς ἀληθῶς γεγονότα πάθη posuit: quid quod

1) Marcell. 50. 53. μεγέθους ἐφιέμενος Hermogenes de Thucyd. p. 422 Sp.

2) De A. sophista Hermog. l. l. et Philostr. γνωμολογίαι τε λαμπραὶ καὶ φιλόσοφοι.

3) Dion. ad Amm. II, 2 et Hermog. p. 422.

historicus in V libri capitis 16 § prima Niciam ἀπαθῆ (ubi scholiasta adscripsit εὐτυχής, propter id quod sequitur ἠξιοῦτο διασώσασθαι τὴν εὐτυχίαν) uocat; quasi dicas τὸν μέχρι τοῦ μηδὲν πάθος πεπονθότα siue 'adhuc cladis expertem'. Postremum ille (l. l. frg. XXI) τοὺς νόμους μεγάλους ἄγοι ἀντὶ τοῦ ἡγοῖτο scripsit plane poëtica[1]) et his temporibus inaudita in sermone licentia quam probauit unus Thucydides qui in libri VIII capite 81 § 2 narrat Alcibiadem opibus suis gloriatum esse ἵνα τιμιώτερον αὑτὸν ἄγοιεν. — Hactenus de elocutionis cognatione, cuius exempla quin harum rerum peritiores cumulare possint nullus dubito. Quibus consideratis si addidero ad triumuiratum illum notissimum praeceptorum Thucydidis, Anaxagoram et Gorgiam Prodicumque sophistas dico[2]), melius quartum accedere sophistam quam oratorem et sophisticarum artium uestigia apud Thucydidem passim re uera adparere: obseruatione illa et Hermogenis et mea ita utaris ut inter Thucydidis magistros fuisse statuas Antiphontem sophistam*).

Ad calcem disputationis fere peruenimus; unum restat Nestoris cognomen. Hoc autem rhetoricae artis auctori a falso Plutarcho (l. l. § 6) et a Photio, ei qui νηπένθεις ἀκροάσεις professus sit a Philostrato, Rhamnusio a Suida in tertio de Antiphonte commentariolo tributum ad sophistam, qui re uera fuisse uidetur Graeca Siren, non ad seuerum illum et tenuem oratorem spectare mecum quiuis opinor et sentiet et contendet.

Sed tempus est ex hac digressione in rectam narrationis uiam reuerti.

Isocratis oratio IX quae inscribitur *Εὐαγόρας*, cuius apud filium Nicoclem Salaminis tyrannum haberi fingitur, perperam a quibusdam antiquis rhetoribus ἐπιτάφιος λόγος uocata est[3]),

---

1) Aesch. Suppl. 924 et Eur. Bacch. 1037 D. Adiectiuum, non aduerbium intellego cum Kruegero ad Thuc. l. l. Plura adtulit Wyttenb. ad Plut. Mor. p. 36 E.

2) Dion. de Thuc. iud. c. XXIV p. 869 Rsk. Marcell. 22. 36.

*) Excursus IX.

3) cf. argumentum ad orationem et Menandr. π. ἐπιδ., p. 419 Sp.

cum octo fere annis post Euagorae obitum circa annum 370 scripta esse uideatur [1]). Idem in Gryllum Xenophontis filium — de quo sexcentas laudationes funebres scriptas esse Aristoteles [2]) testatur — *ἐγκώμιον*, scilicet post illius mortem composuisse dicitur [3]).

Eius discipulus Isocrates Apolloniates cum Theodecte, Theopompo Chio, Naucrate Erythraeo de laudatione funebri in Mausolum regem habenda certamen iniit [4]).

Archini *ἐπιτάφιος* [5]), contra quem Menexenum suum se scripsisse Plato p. 234 B ipse indicat, eo tempore quo hic *ἐπιτάφιον* suum habitum fingit (a. fere 387) re uera uidetur dictus esse, id quod pluribus exposuit Krueger [6]). Cuius orationis pauca fragmenta eruit Ruhnkenius.

Feruntur duo *ἐπιτάφιοι*, Lysiae alter, alter Demosthenis, qui tamen pro spuriis pridem habiti sunt et, quamuis Lysianum nonnulli uiri docti defenderint [7]), hodie habentur. Cum autem haec ipsa oratio adeo distributione et compositione plane ad Platonici epitaphii exemplum facta sit, utriusque

1) u. Blassium l. l. II, 246. 260. 2) Apud. Diog. II, 55.

3) Ibid. ex libro Hermippi qui erat de Theophrasto.

4) Suid. s. u. cf. Harpocr. p. 76, 11 D. Vicit Theopompus (Gell. X, 18, 6).

5) Phot. Bibl. p. 487 b, 32. or. att. II, 166.

6) In stud. histor.-philol. 1, 342 sqq. ('Hat Platos Menex. eine Beziehung auf d. Epit. d. Lysias?')

7) Cf. Blassium II, 433 adn. 2. Cuius ex argumentis ego hoc unum grauissimum quod p. 436 adfertur libentissime repeto: 'ualde mirum est quod laudationis pars consolatoria quam Plato praecipit praebetque (de quo uide infra) Hyperides, ita tota deest ut adeo in luctum disertis uerbis excitentur in conclusione superstites. Sic in arte sua non peccasset Lysias. Ceterum Lysiae *ἐπιτάφιοι* memorantur a falso Plut. uit. Lys. § 13. Post Blassium tamen J. Girardus in annalium qui Révue archéologique inscribuntur uol. XXIII p. 373 sqq. et XXIV, p. 4 sqq. (Sur l'authenticité de l'oraison funèbre attribué a Lysias) et Kluegmannus in libro quem de Amazonibus scripsit (1875) p. 65 sqq. defensores exstiterunt. Isocratis Panegyricum ad illam orationem contulerant: uide nunc Girardum et Kluegmannum l. l. p. 67 sqq. qui premit ante Panegyricum Lysiae epitaphium scriptum esse. Isocratis Areopagiticum uno certe loco exprimi demonstrauit Reussius (in Mus. Rhen. uol. XXXVIII p. 149) ubi de Pseudolysiae epitaphio disputat, qui praeterea addidit compluria utilia.

orationis prima pars quae est de laudibus maiorum tota e Platone pendet [1]). — Pseudodemosthenicam uero orationem post Dionysium et Libanium ad unum omnes damnauerunt ut partim fatuam et pinguem partim e Menexeno Isocrate ipso Demosthene consutam [2]). — Dionysio [3]) debemus complurium nomina, Olorum Naucratem Hyperidem, qui praeter eos quos modo enumeraui in talium orationum auctoribus ab eo referuntur.

Ex quibus omnibus longe maximi momenti est Hyperides, cuius orationis usque ad medium fere hoc saeculum (cum tota fere oratio in papyro Aegyptio inuenta est) nihil nisi ultima pars quae est consolatoria Stobaei excerpto [4]) innotuerat. Hanc autem potissimum orationem inuentam esse eo magis gaudendum est, quod ita unam certe Graecam laudationem quae re uera sit dicta [5]) possidemus. Epilogus uero ille pulcherrimus, quo propinquorum superstitum consolatio continetur, probam ueramque philosophiae scientiam prae se fert qualem in nulla alia Graecorum aut Romanorum oratione funebri offendimus. — Transmittimur statim in I p. Chr. n. saeculum quo Dio Chrysostomus nobilissimus ille rhetor genus consolatorium coluit III orationibus quae sunt XXX, XXVIII, XXIX. Quarum in prima quae inscribitur Χαρίδημος Dio sibi Timarchum Charidemo filio orbatum conuenienti a Timarcho consolationem quam ipse filius ille moribundus patri tradiderit recitari fingit. Proferuntur perantiquae doctrinae, pleraeqae quidem Platonicae, et Socraticorum morem [6]) sapiunt qui in-

1) A Platone falsisque Lysia et Demosthene eadem praedicantur: 1. Amazonum ingruentium clades. 2. iusta facta eis qui cum septem illis ducibus Thebas adgressi occiderunt. 3. Heraclidae Athenis recepti. — Plato 239 B et Isocrates (Paneg. § 68. Panath. § 193) soli et primo loco Eumolpi inuasionem memorant.

2) Cf. Blassium l. l. III, 356. Singulis locis comparatis hoc demonstrauit Westerm. p. 56 sqq.

3) De art. rhet. VI, 1. 4) Flor. CXXIV, 36.

5) Sub hiemem a. 323, in honorem eorum qui in obsidione Lamiae cum Leosthene duce occiderant.

6) Sic in Axiocho (p. 371 A) Gobryas magus Orcum pulcherrime

seruntur *λόγοι*, alter *ἀνδρὸς ἀγύρτου* (I, 335, 29 sqq. ed. D.). alter *ἀνθρώπου γέωργοῦ ἐν ἀγροίκῳ τινὶ ῥυθμῷ καὶ μέλει* (p. 337, 20 sqq.). — In libelli qui inscribitur *Μελαγκόμας Α* (or. XXVIII) altera parte Dio senem Melancomae mortem plangentem consolatur; hic exstat ille locus e Xenophontea Apologia transscriptus.

Oratio XXIX quae inscribitur *Μελαγκόμας Β* est *ἐπιτάφιος* in eundem Melancomam fictus.

Aelii Aristidis rhetoris Marco Aurelio fere aequalis duae ad nos peruenerunt laudationes, or. XI et XII, altera in discipulum (*εἰς Ἐτεώνεα ἐπικήδειος*), altera in praeceptorem (*ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος*). Cum autem Menander rhetor[1]) Aristidem III epitaphios scripsisse tradat, Volkmannus[2]) hos tres periisse uno fragmento excepto contendit; nam orationes XI et XII ad consolationum genus pertinere. Quod ualde uereor ut recte statuerit uir doctissimus. Nam etiamsi orationem XI, quae post merum *θρῆνον* saltem epilogum *παραμυθητικόν* praebet, ad consolatorium genus pertinere concedi aliquo modo potest, tamen orationem XII quae ne unum quidem habeat argumentum consolatorium, sed tota in celebrando defuncto uersetur, nullo iure consolationem uocaueris. Quare tantum unam Aristidis orationem funebrem periisse statuo[3]).

---

describit. — Notamus obiter Persicum illud nomen esse: Gobryas e. g. Mardonii pater audiuit (Herod. VI, 43) idemque nomen saepius apud Herodotum et Xenophontem obuiam fit. Quid sibi uelit Argentarius qui in epigrammate (A. P. X, 18) *Γωβρυ* cum Baccho et Venere componit plane ignoramus.

Sic apud Platonem in Republ. X p. 614 B Er Armenius qui cum in proelio occidisset duodecimo die reuersus in uitam de inferis narrans inducitur. Sic illos imitatus Dicaearchus in sermone Corinthiaco, quo nihil omnino esse animum docuit, Pherecratem quendam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem induxit (u. supra p. 35). Solebant ueteres seueras tristesque quaestiones eiusmodi suauibus coloribus et quasi gemmis inluminare et distinguere, in primis autem et optime hi mei consolatores.

1) l. l. c. XI p. 418, 10 Sp.

2) Volkmannus, Rhetor. d. Gr. u. Röm. p. 305 adn.

3) Inter orationes funebres etiam Westerm. l. l. p. 43 eas enumerat; easdem Fr. A. Wolfius ad Demosth. p. 361 spurias esse iudicauit.

Luciani mirus libellus inscribitur *περὶ πένθους*, quo id agit scriptor ut (acerbe simul et lepide ut eius est mos) describat 'ea quae a lugentibus agantur et dicantur et ea quae rursus a consolatoribus promantur, quamque intolerabilia lugentes ea quae acciderint putent esse, quamuis neque hilum sciant sintne illa mala luctuque digna an contra iucunda et eis quibus acciderint meliora; uerum omnino consuetudini et ritui luctum concedunt' (§ 1).

Quod cum demonstrandum sibi proposuerit, primum ea quae ab inferis timeant homines perstringit, tum inducit patrem gementem (c. 13), quem increpat respondens filius defunctus (c. 16—19); extrema parte acerbam inrisionem suo nomine addit. Libellus igitur — ut est quaedam *παρῳδία* — haud exigui momenti est ad refingenda ea quae inridentur, itaque hoc loco recensendus erat.

Fauorinus Arelatensis, uir uaria doctrina instructus et Gellio aequalis, in declamationibus hanc quoque materiem tractauit, uelut *περὶ γήρως*[1]) disputauit et *ἐπὶ ἀώρῳ λόγον*[2]) scripsit quem periisse non satis potest doleri, si quidem dubium esse nequit, quin argumenta consolatoria quibus de inmatura morte adlocuturi umquam usi sint philosophi et poetae, in eo diligentissime congesta fuerint.

Sequitur rhetorum triumuiratus a Iuliano imperatore admodum celebratus, qui constat ex Himerio, Themistio, Libanio, orationum funebrium auctoribus. Et Libanius quidem auctor

---

1) Stob. Flor. CXV, 17 fragm. seruauit.

2) Philostr. uit. soph. I *η'* p. 11 K., si quidem sic pro eo quod traditur *ἐπὶ τῶ ληρῷ* legendum est. cf. adn. crit. p. XXII. — Sed priusquam ex his regionibus decedam, Luciani de luct. 18 init. tangam. Ibi mortuus filius increpandi et docendi finem sic facit: *ἂν ταῦτα λέγῃς, ὦ πάτερ, οὐκ οἶει πολὺ ἀληθέστερα καὶ γελοιότερα ἐκείνων ἐρεῖν*; Nempe illud *καὶ γελοιότερα* expellendum aut *γελοιότερα* mutandum. Neque enim ille potest praecepta sua ueriora et magis ridicula uocare, quia supra § 17 init. promisit: *διδάξομαί σε θρηνεῖν ἀληθέστερον* et quia aliud in uoce *γελοῖος* nec h. l. inesse posse liquet conl. § 24 extr. (inridendi fine facto), ubi notio aperta est: *ταῦτα καὶ πολὺ τούτων γελοιότερα εὕροι τις ἂν ἐπιτηρῶν ἐν τοῖς πένθεσι γινόμενα* eqs.

epitaphii in ipsum Iulianum (or. X) scripti inmensis chartis debacchatur in canendis illius uita factisque. 'Haec certe deserta loca et taciturna querenti!' Nec plus nobis inpertiunt Himerii oratio II et Themistii εἰς τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐπιτάφιος (or. XX Dind.).

His adiungo Nazianzenum Gregorium patriarcham illum doctum et disertum. Qui licet alias haud rudem se praebeat in litteris ueteribus, in tribus orationibus funebribus quas habuit de Caesario fratre (or. X), de Gorgonia sorore (or. XI), de Basilio Magno (or. XX) et in consolatione ad matrem Nonnam de morte mariti (or. XIX), ueterum argumenta fere spernere uidetur.

Quo doctiorem se praestat is quem ultimo loco sum memoraturus, Choricius Gazaeus saeculi VI sophista [1]). Is in ἐπιταφίῳ quem habuit in Procopium Gazaeum uarios ueterum fontes et consolationes non sine iudicio adhibuit. Nullius tamen pretii est eiusdem ἐπιτάφιος Μαρίας corruptissimus.

Alios laudationum auctores extremae antiquitatis enumerat Westermannus l. l. p. 44 sqq.

Ad Romanos scriptores transgressis nobis longe breuior occurrit series nominum. Primas consolationes, quae quidem ad nos peruenerint, debemus Tulliae Ciceronis filiae morti, qua ita fractus est uere anni a. u. c. 709 pater ut fortunae se succubuisse ipse fateretur. Nihil igitur eum adiuuerant consolationes quae illo tempore undique ad eum confluxerunt [2]), a Bruto [3]), a Dolabella [4]) genero, a Caesare [5]) ipso, a L. Lucceio [6]), a Seruio Sulpicio [7]). Et huius quidem pulcherrima

1) Ed. Boisson. 1846, p. 1 sqq. 37 sqq. 2) Plut. Cic. c. 41.

3) Ad Att. XII, 14, 4. ad Brut. 1, 9, 1. Idem post mortem Hortensii consolatorias litteras ad Cic. miserat (Brut. 96, 330).

4) Ad fam. IX, 11. 5) Ad Att. XIII, 20, 1.

6) Ad fam. V, 13 est Ciceronis responsum.

7) Ad fam. IV, 5 est eius epistula.

consolatio nobis ipsa seruata est; L. Luccei epistula e Ciceronis responso fere eruitur[1]).

Sed Tullius noster, antequam maior pars illarum consolationum ad eum peruenit — ut erat ingenio feruido — in ipso doloris aestu fecit quod ante ipsum fecisse neminem paulo post mense Martio gloriatus est[2]), ut se ipse per litteras consolaretur, id est ad luctum sedandum componeret librum nunc deperditum quem inscripsit M. Tullii Ciceronis Consolatio. Ad quam restituendam qui adcingitur, in primis inquirere debet in rationem quae intercesserit inter ipsam et Tusculanas disputationes, id est fere in Tusculanarum disputationum fontes. Equidem dissentio ab eis qui adhuc de hac re scripserunt, et ab Heinio qui l. l. Panaetium Chrysippum Platonem secutum esse Ciceronem, et a Petro Corsseno[3]) qui Posidonium stoicum, et ab Hirzelio qui (l. l. III, p. 479 sqq.) omnium Tusculanarum disputationum librorum auctorem uoluit esse Philonem academicum.

Totum enim me bona pace Hirzelii uiri doctissimi eis addico, qui Ciceronem uariorum philosophorum uaria opera perlegisse et in illis disputationibus adhibuisse arbitrari audeant: quos quidem ille ipso initio disputationis (p. 342) uno uerbo ualere iubet.

Et primum quidem mihi persuasi Ciceronem in Tusc. disp. eam materiem quam in Consolatione adstrictius et sine iusta distributione non tam elaborauerat quam conlegerat — erat uere tumultuaria scriptio Consolatio — doloris ipso impetu, animi tranquillitate recuperata accuratius uberius latius uoluisse ita tractare ut quasi ex illius fundamento surgeret Tuscul. disputationum aedificium[4]). Quae opinio ut uel propter magnam

1) Luccei epistulam quae exstat ad. fam. V, 14 scriptaque est m. Iunio, Schulzius l. l. p. 13 pro eiusdem epistula consolatoria uendit: nempe ad hanc epistulam quae omnino non est consolatoria iam mense Aprili Cicero responsum praeoccupat (V, 13).

2) Ad Att. XII, 14, 3.

3) De Posidonio Rhodio M. Tullii Cic. in l. I Tusc. dispp. et in Somn. Scip. auctore, Bonnae 1878 et in Mus. Rhen. uol. XXXVI, p. 506 sqq.

4) Cf. Schneiderum de Cons. Cic., Heidelb. 1835, p. 30.

argumenti similitudinem probabilis est, ita fulcitur inde quod Cicero post confectam eiusdem anni a. u. c. 709 mense Martio Consolationem statim Tusc. disp. incohauisse uidetur[1]), si quidem mense Maio in Tusculano agens Dicaearchi duos περὶ ψυχῆς[2]) arcessiuit, quorum usum diligentissimum in primo Tusc. disp. libro cum ipse profitetur Cicero, tum nos uidemus. Sed priusquam rem adgrediar, praemittendum est mihi non rem esse cum omnibus Tusc. disputationum libris sed tantum cum libro I qui est de contemnenda morte et cum libro III quo de aegritudine lenienda quaeritur: hi enim complectuntur totam materiem consolatoriam.

Quos libros partim e Crantore, quem secutus est Cicero in Consolatione[3]), partim ex uariis fontibus quos scripturus Consolationem tantummodo inspexerat[4]) (ut erat inter filiae mortem et scriptionis initium breuissimum temporis spatium) haustos esse, ita tamen ut complures, uelut Dicaearchi Chrysippi aliorum libros adderet: hoc probasse uidebor, si et Crantoris et ipsius Consolationis locos passim per Tuscul. disp. libros I et III sparsos esse partim simplici enumeratione partim singulis quaestiunculis demonstrauero. Qua in re ubi Ciceronis locos cum Plutarchi aut Aeschinis locis tacitus composui, putato me priore disputatione fultum indicare rediuiuum meum Crantorem. Possum autem omnino iam breuius agere, quia pro rei natura grauissimae quaestiones supra profligatae sunt.

Tusc. disp. liber I.

I. 12, 18 = Cons. frg. 14 Bait.

II. Cicero 9, 19—11, 22 philosophorum de animo sententias componit adnotatque in fine enumerationis § 23: 'Harum

1) Ad Att. XII, 14, 3 (scr. m. Martio): 'Quin etiam feci quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer; quem librum ad te mittam si descripserint librarii ... Totos dies scribo' e. q. s.

2) Ad Att. XIII, 32, 2. cf. p. 35 adn. 4 et 5.

3) u. Cons. frg. 8 Bait. supra p. 47 et 48 adn. 2.

4) Ad Att. XII, 14, 3: 'Nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est quod ego non domi tuae legerim'.

sententiarum quae uera sit, deus aliqui uiderit; quae ueri simillima, magna quaestio est'. Idem fecit in Consolatione et conclusit: 'Quoniam utraque earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit diuinari potest'. Hoc enuntiatum ad Cons. pertinere ex una illa similitudine sane manifesta coniecit Schulzius[1]), non adsentiente nunc C. F. W. Muellero. Recte tamen ille. Quamquam ipse, nisi prius in libello illo catalogum istum fuisse demonstretur, rem non prorsus constare concedo. Potest autem demonstrari ex Hieronymi illa epistula ubi (cap. IV A) haec Ciceroniani catalogi uestigia exstant: 'Immortalem animam et post dissolutionem corporis subsistentem, quod Pythagoras somniauit, Democritus non credidit, in consolationem damnationis suae Socrates disputauit in carcere'.

Haec pauca ex illo loco Tulliani libelli excerpsisse satis habuit Hieronymus; Cicero totum locum, ut supra memoraui, in Tusc. disp. I transtulit ubi 10, 20 (cf. 16, 38) Pythagoras, 12, 22 Democritus, Socrates siue Plato passim per illam enumerationem redeat.

III. De eisdem sententiis usque ad 30, 72 in utramque partem disputans 27, 66 e Cons. disertis uerbis locum excitat.

30, 72 iterum transcribit Consolationis quamuis non laudatae locum: u. frg. 15.

Tota igitur haec regio (9, 19—30, 72) Cons. parti respondet.

IV. 31, 76 et 34, 83 ad Consol. reuocat lectorem.

V. Totius c. 34 summam e Crantore hausit (u. s.).

VI. 35, 85 ('hic si uiuis' e. q. s.) = Plut. 113 F (*αὐτὸς εἰ κτλ.*).

VII. 35, 86 et 37, 89 cf. ad frg. 20.

VIII. 38, 90 = Axioch. 365 D cf. 369 C (u. s.).

IX. 38, 91 = Plut. 109 F Ax. l. l.

X. 38, 91. 92 (cf. 97 sqq.) = Plut. 107 D (cf. 109 E).

Cicero et Plutarchus ob oculos habuerunt argumentationem de morte tripartitam quam Crantor — siue memoriae lapsu

1) L. l. p. 41. cf. Cons. frg. 9.

siue consilio — Socrati uidetur supposuisse, qui tamen re uera bipartitam illam et notissimam posuit[1]).

XI. 39, 93. 94. 95 init. = Plut. 116 B. 113 CDF. 111 CD.

Exscripserunt hos locos recto ordine tamen neglecto Heinius et Corssenus l. l. p. 511.

XII. 41, 98. 99 = Plut. 107 DF. 109 E. (Plat. Apol.).

XIII. 46, 111 = Plut. 111 E.

XIV. 47, 112 = Axioch. 370 DE. cf. 366 C.

XV. 47, 113—115 = Plut. 108 E sqq.

Tusc. disp. liber III.

I. 1, 2 fortasse conferendum ad Crantoris fragmentum apud Plut. 104 C extr.

II. 6, 12 eiusdem dictum laudatur.

III. 13, 28 extr. eiusdem est (u. s.).

29 = Plut. 112 D (Eur. frg. 392 N.).

IV. 14, 30 Terenti (Phorm. 241 sqq.) octonarios iambicos ad Euripidis quorundam uersuum exemplum expressos — etiam in consolatione fuisse credideris propter uersum 4:

'... aut uxoris mortem aut morbum filiae'.

V. 16, 34 = Crantor apud Plut. 114 C. 118 C.

VI. 22, 54 Clitomacheae consolationis euersa Karthagine ad ciues missae locus adfertur. Eundem librum Cicero in Consolatione adhibuerat (Hieron. l. l.).

VII. 24, 58 cf. Plut. 118 D et u. s.

VIII. 26, 63 = Plut. 119 BC et u. s.

IX. 28, 66 = Plut. 112 C.

X. 28, 70 Cons. locum exhibet disertis uerbis.

XI. 28, 71 Crantoris dictum laudat.

XII. 28, 71. Versus qui adiunguntur Oïlei Sophoclei[2]):

---

1) Plat. Apol. p. 40 B (c. XXXII). cf. Wyttenb. ad Plut. l. l. Schneiderum de Crantore l. l. p. 844 Heusdium p. 47, Corssenum l. l. p. 513 sq. Negat unus Gerckius p. 35 sine idonea causa.

2) Ipsius Sophoclis uerba u. in tragg. frgg. 662 N.

Nec uéro tanta praéditus sapiéntia
Quisquam ést qui aliorum aerúmnam dictis ádleuans
Non ídem quom fortúna mutata ímpetum
Conuértat, clade súbita frangatúr sua,
Ut illa ad alios dicta et praecepta éxcidant

in Cons. adtulisse Ciceronem non possum non suspicari. Scripserat enim Seruius Sulpicius ad illum consolatoriam epistulam in qua sic eum exhortatus erat (ad fam. IV, 5, 5 extr.): ‘quae aliis tute praecipere soles ea tute tibi subice atque apud animum propone’.

Ad hanc exhortationem, quam procul dubio multi consolatores haud iniuria tum in patrem lugentem increpuere, respondit hic in Cons. cum fateretur ‘pugnasse se semper contra fortunam eamque a se esse superatam .... Tum autem cum amisisset filiam, uictum se a fortuna turpiter. Cedo inquit et manum tollo’. — Itaque inter illos quos infra (Tusc. 30, 73) indicat ‘plerosque consolatores qui ipsos se miseros confiteantur quom ad eos impetum fortuna conuerterit’ se ipsum numerare Ciceronem quamuis inuitum nunc nobis liquebit. Optime autem certe illi Cons. loco (frg. 16) adiungere potuit istos uersus in ipsius scilicet excusationem. Immo uero idem respondentem audimus Ciceronem exulantem[1]) Philisco cuidam exprobranti muliebrem animi habitum apud Dionem: *ἀλλ᾽ οὐδέν τοι* inquit *ὅμοιόν ἐστιν, ὦ Φιλίσκε, ὑπὲρ ἄλλων τέ τινα λέγειν καὶ ἑαυτῷ συμβουλεύειν .... ὅθεν που πάνυ καλῶς εἴρηται ῥᾷον παραινέσαι ἑτέροις ἐστὶν ἢ αὐτὸν παθόντα καρτερεῖν* — quae uerba illum Tusc. locum mirifice resipiunt.

XIII. 30, 73 cf. Plut. 118 B extr. C init.

XIV. 31, 76 rationem indolemque Consolationis suae prodit.

Iam si feliciter adhibui hanc argumentationem qua probari uolui eosdem fere in Cons. et in Tusc. disp. libris I et III scribendis exhaustos esse fontes[2]): uideor simul demon-

1) Dio Cass. XXXVIII, 18.

2) Videmus in Tusc. Tullium satis amplos ueterum suorum poetarum flores de suo adicientem; quanto uberius eosdem in Consolatione delibatos esse putabis!

strasse Consolationem in eis fere contineri, ita sane ut quaedam fuerint in illo libello quae in Tusc. disp. non repetiuerit Tullius. In his fuisse illa Delphica dicta illasque de Anaxagora Xenophonte Pericle historiolas supra (p. 47 sqq.) demonstraui; addo iam alia quaedam ab eodem Hieronymo suppeditata. Primum non satis est illarum fabularum commemorationem Ciceroni reddidisse: unius saltem ipsam narrationem Tullianam ex Hieronymo enucleatam praestare queo:

Hieron. c. V.	Plut. 118 F sq.
Xenophontem Socraticum . . cum sacrificans filium in bello audisset occisum deposuisse coronam dicitur et eandem capiti reposuisse postquam fortiter in acie dimicantem repperit concidisse.	*Ξενοφῶντα δὲ τὸν Σωκρατικὸν θύοντά ποτε παρὰ τῶν ἀγγέλων ἀπὸ τοῦ πολέμου πυθόμενον ὅτι ὁ υἱὸς αὐτοῦ Γρύλλος ἀγωνιζόμενος ἐτελεύτησε, περιελόμενον τὸν στέφανον ἐξετάζειν, τίνα τρόπον ἐτελεύτησε· τῶν δὲ ἀπαγγειλάντων ὅτι γενναίως ἀριστεύων . . . ἐπιθέμενον πάλιν τὸν στέφανον κτλ.*

Nota in Hieronymo colorem ad amussim Tullianum, immo merum Tullium adgnosce; in Plutarcho autem in tanta similitudine lepidam illam garrulitatem quam identidem notauimus.

Legimus in eadem ad Heliodorum consolatione (c. XIV C): ‘Naeuius[1]) poeta:

‘Pati’ inquit ‘necesse est multa mortalem mala’.

Unde et Niobam, quia multum fleuerit, in lapidem et diuersas bestias commutatam finxit antiquitas. Et Hesiodus natales hominum plangens gaudet in funere; prudenterque Ennius[2]):

‘Plebs’ ait ‘in hoc regi antistat loco, licet
Lacrumare plebi, regi honeste non licet’.

Primum manifestum est Naeuii et Ennii locos ab Hieronymo ex Ciceronis Consolatione translatos esse, quippe qui ceteroqui non adpareant neque ex ipsorum poetarum notitia fluxerint; reapse enim negandum est Hieronymum illorum uolumina manibus triuisse[3]). Ceterum satis habeo adnotasse

1) Naeu. inc. com. 106 R. 2) Enn. Iphig. frg. VII R.

3) Cf. Aem. Luebeckium, Hier. quos nouerit scriptores et ex quibus hauserit, Gryph. 1871, p. 6.

utrumque locum egregie in consolationem quadrare, praesertim in Ciceronis, quem ut in Tusculanis disputationibus aliisque libris ita in Consolatione multum fuisse in ueteribus poetis Romanis excitandis et omnino probabile est et probare nos studuimus.

Locum autem illum quo Nioba commemoratur conruptum esse iam Vallarsius suspicatus est, cum conlata epistula LXIX subsequenti anno 397 ad Oceanum data, ubi (c. II A) legimus: 'Niobam putares quae nimio fletu in lapidem conuersa est', doctiorem in ueterum fabulis sanctum patrem fuisse ratus in illa epistula aut post uoculam 'et' inserendum uerbum *alios* et porro scribendum esse 'commutat*os*' aut uerba 'et diuersas bestias' expellenda esse censeret. Sed potest certius iudicari et de ulcere et de medicina.

Est certissimum neque Hieronymum neque Ciceronem in memoranda notissima illa fabula (quae quod ad Niobes commutationem adtinet numquam uariata est) tale quid quale apud illum legimus potuisse peccare. Adde quod in Tusc. disp. (III, 26, 63), e Consolatione nimirum depromens, repetiuit idem nimium lugentis exemplum Cicero: 'Et Nioba fingitur lapidea, propter aeternum credo in luctu silentium'. Addit autem statim: 'Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem in canem esse conuersam'. Iam si reputauerimus quot locos Cicero ex Cons. conpluriens ad uerbum in Tusc. disp. transtulerit, si contulerimus illud Hieronymi 'finxit antiquitas' cum Ciceronis uerbis 'putant fingi': utique Hecubae nomen in conrupto Hieronymi loco e Ciceronis Cons. hausto excidisse intellegemus. Post quod nomen aut uox 'alios' aut alia nomina quae huc pertinent, uelut Alcyone Cycnus Daedalion, exciderunt[1]).

Aemilius Luebeckius dein l. l. p. 20 conruptelam odoratus est in uoce 'Hesiodus' quam Susemihlium secutus mutari iussit ut fieret 'Herodotus', cuius similem sane sententiam[2]) apud Clementem Alexandrinum[3]) legisse Hieronymum ponit.

1) Hyg. p. 63. 27. 127 Schm. 2) I, 32 ubi de Cleobide et Bitone narrat.
3) Clem. Alex. II, p. 253 D. = p. 185 Sylb.

Perperam. Etenim adparet ex uno fonte totum locum haustum esse minimeque est probabile illum Naeuii Enniique locis Herodoti sententiam e tam longinquo fonte admiscuisse. — Idem longissime uidelicet a uero aberrauit cum (p. 8) illos Naeuii et Ennii uersus 'in Varronis aut Suetonii aliquo libro deperdito' fuisse sine ullo fundamento ariolaretur. Quidni tandem 'in Ciceronis aliquo libro deperdito' dixit? Dixisset profecto, si diligentius in totius epistulae indolem inquisiuisset, cuius unus ille fons tam clare proditur recte quaerenti.

Nunc pauca de Hesiodo. Equidem et incertus haereo liceatne conruptum censere uerbum neque ausim certi quidquam de ipso dicto statuere. Versatur sane Hesiodus in deflenda uita humana loco notissimo et in consolationibus saepius laudato[1]); sed tamen hunc locum his uerbis indicasse Ciceronem nullo pacto licet statui. Nec melius cogitaueris de carminis quod est de Hesiodi et Homeri certamine uersibus his[2]):

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἄϊδαο περῆσαι,

quia omnino negandum uidetur esse carmen illud Hesiodi nomine laudari potuisse, atque adeo hi uersus non illi sed Homero tribuuntur. Adde quod eos, si rem acrius paulo adtendas, non ita bene in Hieronymi uerba quadrare nequis infitias ire. Rem acu tangunt uersus illi decantati:

---

1) O. et D. 95 sqq. quos uersus laudat Plut. cons. ad Ap. 105 DE. 115 A. Spectat haud dubie ad hunc quoque locum Aesch. Ax. 367 D. Venia sit paulisper digredienti. Ibid. p. 370 A difficilis argumentatio exili conruptela ex toto obscuratur: *ἀρχὴν γάρ*, inquit, *ὦ Ἀξίοχε, μὴ συνποτιθέμενος ἁμῶς γε πῶς μίαν αἴσθησιν κατὰ τὸ ἀνεπιστῆμον οὐκ ἂν ποτε πτυρείης τὸν θάνατον.* Corrige *νέαν*. Increpat enim: 'Qui fiat, ut ad indolentiam quae non admittit luctum accedat luctus? omnino enim, nisi — qua nunc es inprudentia — quodam modo nouum (i. e. alterum) sensum simul poneres, haud timeres mortem'. cf. geminum illum locum (de quo u. supra p. 13) p. 365 D *ἅμα μὲν ὀδύρει τὴν ἀναισθησίαν, ἅμα δὲ ἀλγεῖς ἐπὶ σήψεσι καὶ στερήσει τῶν ἡδέων, ὥσπερ εἰς ἕτερον ζῆν ἀποθανούμενος.*

2) Ed. Goettl.[3] p. 360. De quorum uersuum uariis fatis non adtinet dicere. Principem fere locum consolatores eis concessere.

Ἔχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅς᾽ ἔρχεται κακά,
τὸν δ᾽ αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων

qui quin in Ciceronis Consolatione non minus quam in Tusc. disp. locum habuerint dubitatio nulla admittitur[1]). Sed non is sum qui crassa Minerua apud Hieronymum substituam pro Hesiodo Euripidem. Quare aut ipsum Hieronymum calami lapsu nomina illa confudisse aut eius locum in Hesiodi fragmentis conlocandum esse censuerim.

Agedum narremus quo consilio quoque loco Ennium patrem in Cons. excitauerit Tullius. Eius quidem uersus procul dubio arcessiuit quibus se grauiter admoneret ne dignitatem suam in luctu laederet. Etenim non unus ex multis sibi uisus est homo ille humanissimus. Ex hoc autem loco Hieronymus colores duxit, cum statim (ibid. D) illos uersus sic commentaretur: ‘In te oculi omnium diriguntur, domus tua et conuersatio quasi in specula constituta magistra est publicae disciplinae. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant’. Sed forte fortuna accidit ut ipsum Ciceronem eundem locum simillimis coloribus distinctum proferentem legamus in epistula consolatoria qua haud multo post proprium luctum a. a. u. c. 709 Brutum suum de uxoris morte adlocutus est[2]): ‘ac mihi’ inquit ‘tum, Brute, officio solum erat et naturae, tibi nunc populo et scaenae, ut dicitur, seruiendum est; nam cum in te non solum exercitus tui, sed omnium ciuium ac paene gentium coniecti oculi sint, minime decet propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum uideri’. Hinc Hieronymum non pendere uix opus est adnotare; restat ut utrumque ad Consolationem redire concludamus. Et cui mirum uideatur Tullium largam illam ma-

1) Eur. frg. 452. Commentatur et uertit Cic. in ea Tusc. disp. parte (1, 113—115) quam totam et Crantoris et Ciceronis consolationi in disp. p. 51 sq. uindicaui.

2) Ad Brut. 1, 9, 2. — Idem argumentum fusius expressit garrulus auctor cons. ad Pol. c. VI.

teriem, quam illo libello semel conlegisset, postea si quando usus esset adhibuisse?

Ex eodem Ciceronis libello parauit Hieronymus Platonis notitiam quam c. XIV E prae se fert: 'Platonis' inquit 'sententia est omnem sapientium uitam meditationem esse mortis. laudant hoc philosophi et in caelum usque ferunt'.

Nos quidem hos sancti patris philosophos unum Ciceronem esse sentimus, qui illud Platonis dictum[1]) ut in Tuscul. disputationibus[2]) ita in Consolatione protulerat et uerterat.

Ex Crantoris Tulliique libellis deriuaui supra (p. 49 sq.) illud 'Ne quid nimis', quod c. VII A Heliodoro intime commendat Hieronymus. Quae statim adiungit uerba: 'nec doleas quod talem amiseris, sed gaudeas quod talem habueris' indidem esse profecta nunc uide. Pertinent haec ad tritissimum consolatoribus locum quo is qui luget admonetur ne ingratus, si quando Fortuna uel Natura uel Deus quod benigne non tam donauerit quam in incertum tempus commodauerit subito repetat, sibi crudeliter eripi illud queratur[3]).

Illum autem locum paene ad uerbum repetitum legimus in Ambrosii consolatione de obitu Satyri fratris[4]): 'accedit' iuquit 'quod ingratus diuinitati esse non possum. Laetandum est enim magis quod talem fratrem habuerim quam dolendum quod fratrem amiserim'. Patet autem nullos Ambrosium in consolationibus nisi Latinos auctores, id est Ciceronem fere et Senecam adhibuisse, ut infra

---

1) Plat. Phaed. p. 64 A. 67 D *τὸ μελέτημα τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος.* ibid. p. 67 E *οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι.*

2) 1, 30, 74: tota enim philosophorum uita ut ait idem (sc. Plato) commentatio mortis est.

3) Plut. p. 116 B i. e. Cicero Tusc. 1, 93: Crantor. Sen. ad Marc. X, 1. Accius 421 R. Lucr. III, 971 L. (i. e. Epicurus. cf. Eur. Phoen. 555 sqq. Suppl. 535. Menandrum in Com. IV, 247 M.). Hinc Publ. Syr. 220 W. Hor. Epist. II, 2, 171 sq. Cons. ad Liu. 369 sq. Ambros. de ob. Satyri or. IV p. 308 M ed. Par. Boeth. de cons. phil. II, 1 pros. et. carm. 1. u. Excursum X.

4) De obitu Satyri l. l.

ostendam. Itaque cum nulla sit causa cur hunc unum locum ex Ambrosio sumpsisse statuamus Hieronymum, eundem autem neglecto Seneca se totum Ciceroni suo addixisse satis superque demonstrauerimus: illum locum ab utroque e Ciceronis Consolatione transcriptum esse cogimur statuere[1]).

Finem faciant IV loci qui tam mire Ciceronis potius quam Hieronymi ingenium redolent, ut nullus dubitem illius Consolationi eos uindicare. Quorum unus qui est: 'Quid non potius replico tibi uicinas regum miserias et nostri temporis calamitates, ut non tam plangendus sit qui hac luce caruerit quam gratulandum ei qui de tantis malis euaserit' egregie quadrat in eam Consolationis partem, qua Tullius[2]) uitam humanam defleuit. Et fuisse ibi re uera hanc tristem cogitationem mirifice inde probatur, quod eodem fere tempore quo se ipse consolatus est Cicero in epistula consolatoria quam ad Titium amicum misit eandem prompsit[3]): 'neque hae' inquit 'neque ceterae consolationes quae sunt a sapientissimis uiris usurpatae memoriaeque litteris proditae, tantum uidentur proficere debere quantum status ipse nostrae ciuitatis et haec perturbatio temporum perditorum, cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minus autem miseri qui his temporibus amiserunt'. Atque, id quod rei probabilitatem ualde auget, quantopere Tullio displicuerint illa tempora reipublicae quantumque contulerint ad penitus frangendum lugentis animum discimus ex ea epistula qua Seruio Sulpicio consolatori (de quo cf. supra p. 94) respondit[4]) tum ipsum, cum aut scriberet aut paulo ante perfecisset suam Consolationem. Ibi longiori argumentationi hanc inponit clausulam: 'non enim' inquit 'ut tum (scil. cum Tullia uixit) me a re publica maestum domus excipiebat quae leuaret, sic nunc domo maerens ad rem publicam confugere possum ut in eius bonis acquiescam. Itaque et domo absum

1) Similes loci sunt Sen. ad Marc. XII, 1 extr. epist. 63, 7. inprimis 99, 3 extr. auct. cons. ad Pol. X, 1, 2.

2) Hunc locum testatur ipse in Tusc. 1, 76. 83. cf. frg. 7 Cons.

3) Ad fam. V, 16, 3.

4) Ad fam. IV, 6 (§ 2 extr.).

et foro, quod nec eum dolorem, quem e re publica capio, domus iam consolari potest nec domesticum res publica'.

Alter locus qui est: 'quotidie morimur, quotidie commutamur et tamen aeternos nos esse credimus' (quem apostoli aliquo dicto longe superari Hieronymus addit) quamuis simillimus sit Senecae[1]) illi 'Cotidie morimur, cotidie enim demitur aliqua pars nostri' — tamen nequaquam ex hoc deriuari debet, praesertim cum constet ipsum Senecam in consolationibus ad Ciceronis et Tusculanas disputationes et Consolationem respexisse.

Tertium locum qui in calce epistulae legitur quod Ciceroni uindico, etsi in ipsius scriptis hodie non adparet, neminem confido mihi uitio uersurum esse.

Legitur autem cap. XVIII A:

'Excessimus consolandi modum et dum unius mortem flere prohibemus, totius orbis mortuos planximus. Xerxes ille rex potentissimus qui subuertit montes, maria constrauit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem uidisset exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat superfuturus esset'.

Mitto colorem esse prorsus Ciceronianum, utpote quem ab illo etiam alias non infeliciter adfectatum esse recte interpelles. Sed optime hanc narratiunculam facere in eum consolationis sollemnem locum qui est 'de breuitate uitae' nemo non concedet. Est autem prolata haec fabula primum a prisco historiae patre Herodoto[2]), unde in litteris ubi de rerum humanarum exilitate sermo esset locum suum obtinuit. Sic Valerius Maximus eam minus accurate eius capitis quod est 'de cupiditate uitae' initio posuit[3]); rectius Stobaeus in Florilegio[4]) Herodoti ipsius totum locum exhibet in titulo qui est *περὶ τοῦ βίου, ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελὴς καὶ φροντίδων ἀναμεστός*; sic Plinius in epistula quae est de Silii Italici morte ad Caninium Rufum[5]) eam memorat; sic narrat in epitaphio Procopii Choricius[6]), quem complures nunc amissas consolationes adhibuisse supra monui.

1) Epist. 24, 20. 2) VII, 45. 3) IX, 13, 1 ext.
4) Flor. XCVIII, 73. 5) III. 17, 13. 6) c. XXIV, p. 20.

Manifestum igitur est historiolam in aliis quae ad nos non perdurauere huiusmodi scriptis narratam fuisse: quidni in Crantoris, in Ciceronis?[1]) Itaque cum aliquem certe eam Hieronymo suppeditasse sumendum sit: egone cessem Ciceroni calculum adicere?

Restat unus locus me iudice ex eiusdem, non ex Hieronymi ingenio repetendus, quo hic utitur cap. XIV extr. (iuxta ea quae certissimis rationibus mihi uideor Ciceroni supra restituisse): 'desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus: ut illum exspectare, non amisisse uidearis' — cuius similes loci passim in consolationibus ueterum leguntur. Et quis omnino non sponte Graecum ingenium adgnoscit?

His proximis tribus locis audacius me egisse si quis dicat, concedo; ne minus recte non uereor. Eo enim egi quasi proloquio nisus quod nunc θέσεως loco confidenter edo: uideri nullum argumentorum consolatoriorum quae non sint christiana sibi debere unamque Ciceronis Consolationem exhausisse Hieronymum.

Ceterorum fragmentorum turbam, quae pridem a uiris doctis conlecta apud Baiterum et Muellerum locum tenent, recensere non ad hanc disputationem pertinuit, qua nouam uiam monstrare studuimus.

Quod autem Schneider et qui eius uestigia pressit Schulzius ab illis fragmentis haud ita multis profecti uniuersum habitum coniectura adumbrare conati sunt: parum profecisse utrumque iudico.

Arta cognatione et cum Consolatione et cum Tusculanis disputationibus coniunctus est qui uno anno post (a. u. c. 710) prodiit lepidus libellus quo — ut Attico suo confessus est — se ipse de senectute consolabatur Tullius, Catonem maiorem dico. Ea scriptio inde a capite XIX, qua parte quartam quoque causam, quae maxime angere senectutem uideatur, ad-

1) Ecce is qui nothum suum (M. Tulii Cic. Consolatio. Liber nunc primum rep. et in lucem editus, Colon. 1583) pro Tullii ingenuo fetu uoluit tolli, idem sensit. Posuit enim hanc historiolam c. XVI, 59 Klotz.

propinquationem mortis, inanem esse dicit, in eodem quo illi peculiares libri argumento uersatur. Itaque quae illic sunt praecipua et propria de consolanda morte lumina et τόποι ea hoc loco repetuntur. Quae breuiter conferre non alienum a re erit:

I. Cato XIX, 70 = Tusc. I, 109. cf. V, 5.
II. „ XX, 73 = Tusc. I, 117.
III. „ XXI, 77 = Cons. frg. 10. 11. (cf. Somn. Scip. III, 2).
IV. „ XXI, 78 = Tusc. I, 61—63. 68—70.
V. „ XXIII, 84 init. = Tusc. 1, 75 extr. 76. 83! Cons. frg. 7.

Inter Ciceronis epistulas tres inuenio consolationes, unam ad Torquatum [1]), ad M. Brutum [2]) de morte Porciae uxoris anni a. u. c. 709 alteram, 'incerti anni' tertiam ad Titium de morte liberorum qui occiderant; quam post Consolationem et eodem anno a. u. c. 709 scriptam esse [3]) sic concludo: lugebat de compluribus (cf. § 4 'ut eorum qui occiderunt miserias lugeas'), et de filiis (solatur enim § 3 'cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt') Titius. Itaque ueri non est simile simul illos morbo occubuisse. Deinde 'perturbatio temporum perditorum' (§ 3) quibus ultima reipublicae inpendeant (§ 4 med.) et 'hic grauissimus et pestilentissimus annus' faciunt ut de morte ui inlata cogitemus. Annus autem in quem illa eximie quadrent praesto est qui fuit a. u. c. 709 cuius uere (a. d. XVI Kal. Apr.) atroci illa ad Mundam pugna Pompeium tandem debellauit Caesar. Eodem ducit indoles epistulae, quae tota consolatoria studia sapit; qua de re in primis quaeso uideas paragraphum tertiam.

Succedit, quantum quidem scimus, proximus Seneca quem pro sexcentis consolatoribus esse haud absurde dixeris. Neque enim quemquam in latissimis illis ueterum litterarum finibus conspicor qui sic per totam uitam hanc philosophiae partem

1) Ad fam. VI, 3. 2) Ep. ad Brut. I, 9.
3) Ad fam. V, 16. Idem Gerckium uidisse et omissa sane argumentatione adnotasse inuenio p. 64 adn. 2.

coluerit, qui sic undecumque sermonum disputationumue profectus sit certo gradu ad mortem deueniat, denique cuius uita sic re uera et proprie fuerit mortis commentatio.

Cuius tres feruntur consolationes, ad Marciam de filii morte, ad Heluiam matrem de ipsius exilio, ad Polybium de fratris obitu, quarum una quaeque libellum efficit. Ex ceteris dialogis huc toti pertinent libri qui sunt de breuitate uitae, de tranqillitate animi, de remediis fortuitorum, quorum tamen tertium nisi excerptum non habemus[1]).

In epistulis[2]) plurimas esse obseruabis quae aut totae aut magna ex parte in genere consolatorio conlocandae sint. Et praecipue quidem in censum ueniunt quae sunt XIII XXIV XXVI XXX XXXVI sq. XLIX LIV LXIII LXXVII sq. XCI XCIII sq. XCVIII sq. CVII, e quibus separandae sunt tres uerae consolationes, epistulae XCIII ad Lucilium de morte Metronactis, in primis autem LXIII ad Lucilium de morte Flacci amici et XCIX qua ad Lucilium refertur consolatio ad Marullum puerulo orbatum[3]). Quae quidem epistularum et modum et prouinciam ita excedunt ut plenas efficiant disputationes.

Accedunt ex Senecae scriptis[4]) nunc amissis compluria fragmenta quae ecclesiasticis scriptoribus debemus[5]): ex libello qui erat de immatura morte et ex Exhortationibus. — In his scriptis cum uaria uariorum immo diuersarum scholarum argumenta loci colores promiscue saepe et paene inepte congerantur, tanta fit obuiam uarietas ut facile credamus adfirmanti omnia clarissimorum ingeniorum monumenta ad compescendos moderandosque luctus composita se euoluisse[6]). Quod ad formam adtinet: sunt dialogi quatenus per totam disputa-

1) De hoc libello u. Haasii praef. ad ed. uol. III, p. XVI sqq.

2) De nonnullarum epistularum quae huc pertinent fontibus stoicis u. Gerckium p. 61 sq.

3) Cuius causam fictam esse non uideo quo iure contendat Gerckius p. 62.

4) Cf. Teuffelii hist. litt. Rom.[4] § 289, 1.

5) u. Haasii ed. uol. III, p. 421 sqq.

6) Cons. ad Helu. 1. 2.

tionem, quemadmodum Aristoteles in scriptis ἐσωτερικοῖς, Seneca se ipse interpellat ut quasi duo conloquantur.

Age ad singulas accedamus quaestiones. Priore loco dicendum est de consolationis ad Marciam tempore, cum de eo in nouissima quae est de hac re disputatione [1]) perperam plane, et in Teuffeliani operis nouissima editione [2]) recte sane, sed non sine dubitatione statuatur. — Primus Lipsius cum in tempora Senecae scriptorum inquireret, hanc consolationem sub Claudio imperatore et post exilium scriptoris compositam esse censuit; desperauit de temporis certa computatione Ruhkopfius [3]), inclinauit tamen in illius sententiam. Exstitit Heidbreedius [4]) qui de exilio missum esse libellum studuit probare. Cui uehementer oblocutus Michaelis [5]) rursus exilio defunctum Senecam hoc opus esse adgressum noua ratione adcinctus est demonstrare.

Aliquanto demum post is qui recte rem perspiceret et obiter indicaret prodiit Lehmannus [6]). Non liquere sibi rem fassus est Frid. Jonas [7]). In Lipsii sententiam redire nos iubet Martensius argumentis usus prorsus futtilibus. Contemplemur rem. Marcia, nobilis matrona et olim Iuliae Augustae amica, filia erat Cremuti Cordi (I, 2) liberi illius annalium scriptoris, qui anno post Chr. n. 25 a Tiberio mori iussus uitam inedia finiuit. Cuius libros crematos, 'ut aliquam occasionem mutatio temporis dedit' (I, 3), filia edidit, id est anno p. Chr. n. 37 quo Caligula Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassii Seueri scripta senatus consulto abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit [8]). Quis fuerit eius maritus plane nescimus [9]);

1) Martensii, de L. Annaei S. uita et de tempore quo scripta eius phil. . . conpos. sint, Alton. 1871, p. 31 sqq.

2) l. l. § 288, 2. 3) In Sen. ed. uol. I, p. 238 (Lips. 1797).

4) Disputatio de L. A. S. cons. ad. Marc., Bielefeld 1839; ipsa non parabilis e Michaelis libro fere eruitur.

5) Sen. cons. ad Marc., Harlem 1840 (ed. cum comm. et proll.).

6) L. A. S. u. s. Schrr. in Phil. VIII p. 311.

7) De ordine librorum L. A. S. philosophi, Berol. 1870, p. 37.

8) Suet. Cal. XVI.

9) Nulla eius mentio in cons. fit; nam c. XVII, 1 'iam patri' stare

neque enim Senecae Marcia eadem est atque illa a Tacito memorata quae Fabii Maximi mariti necem loquacitate adduxerat, ut Michaelis p. 19 coniecit. Nam Philippi filia illa disertis uerbis uocatur [1]). Ceterum cum hac coniectura argumentationis illius prior pars hoc fundamento nixa concidit; alterum hoc peccauit Michaelis quod mire lapsus falsi illius patris annum fatalem, qui fuit annus p. C. n. 14, confudit cum filii natali, quamquam cap. XXIV § prima nihil legitur nisi pupillum eum relictum esse et sub tutorum cura usque ad XIV aetatis annum fuisse. Quidni potuit esse tum puer VI uel VII annorum?

Pergo. Cum illo marito genuerat cum tres alios liberos tum Metilium filium carissimum, de cuius obitu triennio post [2]) Seneca matrem consolatur. Quodsi filii annum fatalem possemus enucleare, teneremus certissime annum quo ille liber conscriptus sit; nunc cum ne umbram quidem adminiculi suppeditet dialogus, aliter rem adgrediamur necesse est.

Elucet autem ante exilium, id est ante annum p. C. n. 41, scriptam esse hanc consolationem uel ex eis locis quibus describuntur aliorum mala, capitibus II sq. IX, 3. XXII, 1, praecipue autem ex eis quibus exilii mentio fit uelut c. XVII, 5: 'erit Dionysius .. tyrannus ... dominationis cupidus etiam post Platonem, uitae etiam post exilium' et c. XXII, 3 (ubi enumerantur uitae miseriae): 'adice incendia, ruinas, naufragia .... post haec exilium — non fuit innocentior filius tuus quam Rutilius' e. q. s. Quid? Si propriae calamitatis iusta erat causa, num ultro exilii mentionem iniecisset, siue inter exilium siue post hunc librum scripsisset? sin iniusta, nonne et exul et exilio functus illis locis gloriatus esset se ipsum

---

non posse propter c. XXIV, 1 'Pupillus relictus sub tutoribus' e. q. s. recte iam Michaelis monuit. Nimirum de uitrico nullo pacto potest cogitari. Sed nihil emendandum (ut illi est uisum), sed ut alia in hoc libello glossema quod est [iam patri] expellendum est.

1) u. Nipperdeium ad Tac. Ann. 1, 5.

2) I, 7 'Tertius iam praeteriit annus cum interim nihil ex primo illo inpetu cecidit'.

non fractum esse?[1]) non se ipsum pro exemplo adtulisset? Et fauet temporum computatio; a. 37 Marcia edidit patris annales: non potest decessisse ante hunc annum filius, quoniam post hanc orbitatem ea mulier quae triennio post nihil luctus exuit, hoc tempore illi muneri uix par fuisset[2]). Eo igitur deducimur ut post annum 37 illum mortuum esse statuamus.

Hoc autem potissimum tempus indicatur ipso narrationis ordine quem in cap. I obseruo quod est de Marciae uita:

§ 2 Marciae uiuo patre condicio,
pietas eius in illius morte,
§ 3 et 4 in uisum hominum reduxit patris libros.
§ 5 'Haec magnitudo animi tui uetuit me ad sexum tuum respicere' e. q. s. — His uerbis transit ad illius luctum.

At Lipsius, cum (XXIV, 3) legeret 'hac sanctitate morum effecit ut puer admodum dignus sacerdotio uideretur, materna sine dubio suffragatione', sub Tiberio Metilium honoribus auctum esse minime probabile ratus (rectissime id quidem)[3]) sub Caligula id factum esse censuit; unde conclusit (iterum rectissime) sub eodem Caligula non potuisse illum et sacerdotio fungi et mori et Senecam interiectis tribus annis consolationem scribere. At tamen falsam uocis 'puer' statuens notionem perperam argumentatus est. Iam Heidbreedius et Michaelis uocis huius liberiorem apud Senecam Plinium alios huius aetatis scriptores usum obseruauerunt[4]). Sed iam pridem de ipsis iuuenibus proprie ad significandam laudabilem quan-

1) 'Illi (scil. sapientes uiri) me iusserunt stare adsidue uelut in praesidio positum et omnis conatus fortunae et omnis inpetus prospicere multo ante quam incurrant. Illis grauis est quibus repentina est: facile eam sustinet qui semper exspectat' e. q. s. cons. ad Helu. 1, 3 sq.

2) Cf. Michaelem p. 22.

3) XXIV, 3 '... dignus sacerdotio uideretur, materna sine dubio suffragatione, sed ne mater quidem nisi pro bono candidato ualuisset'. — Ergo non exigua auctoritate uel potentia fruebatur Marcia, qua certe caruit sub Tiberio patris necatore. Hoc non satis aestimauit Jonas p. 36.

4) Unum exemplum admodum memorabile addo. Ipse Seneca philosophia se esse inbutum a Sotione puerum ep. 49, 2, ep. 108, 17 iuuenem profitetur.

dam animi simplicitatem et innocentiam a Cicerone[1]) de Octauiano tum XIX annos nato, a Catullo blande de Asinio[2]), de Octauiano iterum ab auctore carminis quod inscribitur Culex[3]), de Scipione Africano plus XX annos nato a Silio[4]) haec uox adhibebatur. Quam notionem hoc loco usurpatam esse quiuis intellegit uel e loci colore; accedit quod paulo ante idem Metilius uocatur ‘adulescens’. Sacerdotium uero illud a Metilio postremo loco et prope uitae finem susceptum esse concludo ex enumeratione dignitatum, ut ita dicam, Metilii quam certo ordine procedere nemo non uidet (XII, 3):

‘iuuenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos, omnia tamquam praepropera’.

Itaque cum etiam sic iuuenem eum fuisse sacerdotem uideamus et sciamus eum decessisse iuuenem[5]), Senecam autem ante exilium consolationem scripsisse concluserimus: Metilium illo munere et uita paulo post paternorum annalium editionem defunctum, itaque triennio post, aut a. 40 aut initio a. 41 p. Chr. n., consolationem ad Marciam missam esse euincitur. Accedit argumentum quod Lehmannus (p. 313) recte uidetur conlegisse locis duobus consolationum quae sunt ad Marciam et ad Heluiam conlatis: illic[6]) inter aduenticia bona Seneca commemorat coniugem et liberos, et ex enumerationis indole uix potest dubitari quin ad sua bona spectet; hic XX diebus ante ipsius exilium filium suum in manibus Heluiae, auiae puta, non matris, mortuum esse disertis uerbis dicit neque ullam in toto libro uxoris mentionem facit; unde concludas

1) Ad fam. XII, 25, 4 ‘Puer egregius praesidium sibi primum et nobis — parauit’. cf. ib. II, 1, 2. Philipp. IV, 1, 3.

2) XII, 9 ‘Est enim leporum disertus puer et facetiarum’.

3) u. 25 ‘Octaui uenerande, meis adlabere coeptis, sancte puer!’

4) Pun. XIII, 704. XV, 33. 46. Scipionis pater et patruus iam mortui sunt.

5) u. XI, 2. XII, 3. XIX, 3. XXI, 1—7.

6) ad Marc. X, 1 ‘Quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex aduenticio fulget, liberi, honores, opes ... clara nobilis aut formosa coniux’ e. q. s. cf. ad Helu. II, 5.

ante a. 41 (uel 42, quo fere tempore cons. ad Helu. scripta est) illam esse mortuam[1]). Postremum ne quis dicat inprobabile esse Senecam inminentem calamitatem ita non diuinasse ut consolationem tam firmo tamque tranquillo animo scriberet, necopinantem se perculsum esse ‘subitis ruinis’ ipse testatur quarto quod est super exilio epigrammate.

Haud ita multo post, et ante annum p. Chr. n. 44[2]) Consolatio ad Polybium scripta est uel potius scripta esse fingitur; neque enim possum hoc monstrum scriptionis pro ueri Senecae opere habere.

In quo ut Seneca indigno antiquitus uiri docti offenderunt: postquam enim Lipsius exclamauit male meritum esse de Seneca quicumque libellum istum ab illo editioni non destinatum publici iuris fecisset, Diderotus[3]) adeo disputatione haud inscita quamuis non omni ex parte probanda demonstrare conatus est illum fetum ingenioso suo philosopho non esse inputandum. Quam sententiam repetiuit prudens Senecae editor Ruhkopfius in praefatione quam huic consolationi praemisit l. l. p. 206. Schlosser[4]) ab hoc libello profectus Senecam turpissimum adulatorem putandum damnandumque esse censuit.

Contra Volkmannus[5]) peculiari disputatione Dideroti argumenta refutare et libelli ingenuitatem cum purgando ipso Polybio tum perpendendis temporibus ipsiusque huius litterarum generis indole et magnifico ampullarumque amanti dicendi genere probare studuit. Frustra me quidem iudice.

Ionas adulescens cautissimus refutato uno infirmo Ruhkopfii argumento, ut solet, quasi de tripode iactat ‘sese plane

1) Quae Martens p. 32 contradicit, non flocci. — Alteram autem uxorem postea duxit (Tac. Ann. XV, 62. 65) Pompeiam Paulinam quae ei superstes fuit. Pluribus hoc firmauit Jonas p. 17 sqq.

2) Recte sic iam statuit Diderotus p. 239, firmauit Jonas p. 32.

3) Essai sur les règnes de Claude et de Néron et sur les moeurs et les écrits de Sénèque, Londr. 1782, II, 236 sqq.

4) Universalhistor. Uebersicht, III 1, 410 apud Volkmannum p. 104.

5) Ueb. Sen. Trostschrift an Polybius, in Mageri annal. paedag. 1858, p. 104.

nullam uidere causam cur quis dubitet quin Seneca huius libelli auctor fuerit[1]). Atqui de eo argumento in quo ipsa litis cardo uersatur sibi non liquere statim minus caute fatetur. 'Satis, inquit, habeo controuersiam ipsam exposuisse quam argutiores diiudicent (p. 33)'. Iam nobis, quandoquidem iste ne illo quidem munere functus est et propter ignorantiam earum disputationum quae sunt de hac re fungi omnino non potuit, adeo grauissimum uidetur esse officium et examinandi ipsius quaestionis statum et iudicandi de argumentis quae adhuc utrimque prolata sunt. Qua in re quae noua habuimus huic quaestioni apta singulis locis adiunximus.

Exstat, ut a grauissimo incipiam, apud breuiatum Dionem (LXI, 10) locus quo de Seneca praeter alia haec narrantur: *τοὺς δὲ κολακεύοντάς τινα διαβάλλων αὐτὸς οὕτω τὴν Μεσσαλῖναν καὶ τοὺς Κλαυδίου ἐξελευθέρους ἐθώπευεν, ὥστε καὶ βιβλίον σφίσιν ἐκ τῆς νήσου πέμψαι ἐπαίνους αὐτῶν ἔχον, ὃ μετὰ ταῦτα ὑπ' αἰσχύνης ἀπήλειψεν.* — Sed ut statim mihi uiam praemuniam aduersus eum quem iam audio me interpellantem 'non consolationem sed laudationem Senecae a Dione indicari': nemo credo umquam Graecus aliquem *ἐγκώμιον* scripsisse dicturus eum *βιβλίον ἐπαίνους τινὸς ἔχον* scripsisse maluit dicere. Praesto enim erat sollemnis significatio quae est *ἐγκώμιον*. Itaque si Dio illo eloquendi circuitu usus est, sequitur eum non tam librum qui certo illi litterarum generi esset adsignandus quam eum qui aliud habuisset nomen, alia (scilicet adulationes) re uera continuisset, uoluisse significare. Hoc igitur loco rectissime usus Diderotus (p. 239 sq.) hanc famam obtrectatori alicui Senecae ansam dedisse tale opus supponendi contendit. Volkmannus illam suspicionem stare posse negat, propterea quod libellus ad ipsum Polybium missus non memoretur et in ea de qua agimus consolatione de Messalina ceterisque libertis sileatur. Perperam ut opinor. Quanam re famam illam quae de Senecae libello

1) l. l. p. 32. Magniloquentia male tegitur ignorantia: nam neque Diderotí nec Volkmanni disputationes in eius conspectum uidentur uenisse.

ferebatur tam stricte seruare falsarius cogebatur, facilius contra fidem habiturus si certum quendam et inpudentissimum illum unum Claudii libertum elegisset cuius adulatorem fingeret Senecam? Quid quod libertum 'a studiis' potissimum sibi sumpsit quippe quem aptissime Senecae amicum fingi putaret? Omitto famae naturam uera falsa in maius celebrantis. Videsne nunc me non ad deperditam partem libelli capite trunci confugere? — 'Inpudentissimum libertum' autem modo dixi, quia uehementissime negandum censeo Volkmanno defensionem istius scelerati liberti feliciter cessisse (p. 125 sqq.): neque enim tollere potuit duos Dionis locos quorum altero [1]) Polybium eiusdem farinae ac ceteros libertos fuisse, altero uero (LX, 29) inauditae inpudentiae eius testimonium locupletissimum continetur. Adde quod in Senecae satura Menippea Polybius libertorum istam lepidam turbam adeo ducit. Et ad talem seruulum eundem Senecam penitus fracto animo descendisse putemus, qui paulo ante (anno uel 41 uel 42) tam fortiter tamque speciose et apte de eodem exilio matrem consolatus esset? de quo tam honorifice audimus iudicantem Tacitum[2]) et posteros? de quo cur diuerse sentiamus non habemus? Nec maiore iure a Seneca homine certe non inhonesto tam turpes partim, partim ridiculas adulationes exspectamus quales libelli auctor et Polybio inpertit et Claudio a quo tam male tractatum se esse ipse fingit. Immo de Senecae illo turpi libello ipsam famam quam Dio secutus est uanam fuisse nisi omnia me fallunt statuendum est.

Sed ut talem libellum scribere animum induxerit Seneca: idem bene deleuit, id quod ipse Dio testatur qui praesertim illum non iam cognitum habuit. Atque certe non tuto posse statui 'unum exemplar commune excidium effugisse' uel Jonas (p. 33) concedit.

Alterum graue argumentum quod primus animaduertisse

1) LX, 31. — In Sen. apocol. 13 libertorum agmen ducit Polybius; indidem discimus eum a Claudio postea necatum esse, stimulante quidem Messalina (Dio l. l.).

2) Cf. Ann. XIII, 2. XIV, 52. XV, 61 sq.

mihi uisus eram, ingeniosus ille Francogallus[1]) mihi praeripuit.

Quid? Seneca Phaedri fabulas ita non cognitas habuit ut lugentem (VIII, 3) adhortaretur, ut post doloris primum impetum 'fabulas quoque et Aesopeos logos, intemptatum Romanis ingeniis opus, solita uenustate conecteret?' — Quae Volkmannus contra hoc argumentum scripsit, hodie cum nemo dubitet quin Tiberio imperatore Phaedrus ediderit fabulas suas, uix repetat. Scripsit autem (p. 134) illum exstitisse aut sub Caligula aut demum sub Claudio, itaque Senecae nondum innotuisse. Quod autem addit non ad singulas fabulas uertendas sed ad conficiendam maiorem conlectionem[2]) uocari Polybium: uereor ut existat cui persuaserit. Equidem haereo de interpretatione huius perplexae elocutionis et uolo eam notari.

Nimirum nec data illa Volkmanni interpretatione stare potest illud 'intemptatum Romanis ingeniis opus'. Denique et Senecae et Polybio poetam illum nisi aliunde certe Seiani calumniis[3]) notum fuisse statuamus necesse est. — At, inquit, cur ille personatus Seneca Phaedrum non habuerit cognitum? Respondet Diderotus: quia eo tempore iste scripsit quo ex hominum memoria ille poeta euanuit. Non possum non plaudere. Nam Phaedrum haud diu uixisse et inde quod omnino bis, a Martiale et ab Auiano fabularum conditore et ipso, commemoratur, et quod uno Pithoei codice truncusque ad nos peruenit clare elucet.

Cetera Dideroti argumenta quae h. l. salva fide omitto, recte refutauit Volkmannus p. 131 sqq.*). Videamus iam qualia hac consolatione contineantur. Tota scriptio, si adulationes

1) Diderotus l. l. p. 249.

2) p. 134 'er solle sie an einander reihen, das heifzt er solle eine grofzere Sammlung dichten'. Utique notionem latine uertendi quam exspectamus, in illa elocutione obscuriore frustra quaerimus.

3) Phaedr. III. prol. 41 sqq.

Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, index alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis.

*) Excursus XI.

excipis, uidetur consuta esse cum e Ciceronis et Plutarchi consolationibus tum ex Senecae scriptis, ut ne unum quidem locum nec unum colorem proprium inueniri pro certo adfirmem. Atqui ueri Senecae consolationum una quaeque pro auctoris inmensa copia noua et propria adfert uariatque.

Sed nunc hanc rem agamus. Velut cap. X §§ 2 et 3 descriptae sunt ex epistulae XCIX § quarta partim eisdem seruatis elocutionibus:

Epistula	ad Polyb.
Anguste fructus rerum determinat qui tantum praesentibus laetus est: et futura et praeterita delectant.	Nimis angustat gaudia sua qui eis tantummodo quae habet ac uidet, frui se posse putat... in praeteritum tempus animus demittendus est.

Conferas uelim praeterea hos locos:

VIII, 2 ad cons. ad Helu. XVII, 3. — IX, 1 ad cons. ad Marc. XII, 1. IX, 3 ad ibid. XXV, 1. 2. IX, 6 ad Cic. Cons. frg. 10. Plut. p. 115 B. IX, 7 ad epist. LXXIII, 3. IX, 9 ad epist. LXIII, 14. — X, 4. 5 ad Plut. 116 A. — XI, 1 ad cons. ad Marc. IX, 4 extr. Plut. 112 C extr. — XI, 2 ad Cic. Tusc. III, 13, 28. — XVIII, 5. 6. ad Sen. epist. XCIX, 15. 16 et alia; — quamquam omnes fere locos exhausi qui sunt paulo exquisitiores; tritissimum quemque conferre taeduit.

Sed tamen nusquam uera doctrina adparet, quam cur Seneca apud Polybium ut doctum libertum ‘a studiis’[1]) non adhibuerit quomodo explicemus? — ‘Si uelis credere’, inquit, ‘altius ueritatem inspicientibus’ e. q. s. (IX, 6): cur hos non nominat? ‘Quanto ille iustior qui nuntiata filii morte’ e. q. s. (XI, 2): quidni nominauit Ennianum Telamonem? Et ecce, quid mihi nunc Seneca? Laudat et commentatur tam fuse tamque seuere uersum Ennii, Ennii dico, quem ubicumque nominat, inridet; quem sibi displicere identidem adfirmat? Mireris in ueterum contemptore tam fastidioso. — ‘Et scio inueniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae uiros’ (XVIII, 5): sic arioletur Seneca de stoicis sodalibus suis, quibus alias ita se solet adnumerare ut eorum causam suam profiteatur?

1) Suet. Claud. XXVIII.

Uno uero loco se prodidisse uidetur simulator, cum capite II sententiam quae est ‘nihil prodesse dolorem’ explicaturus ad exemplum cons. ad Marc. capitis VI id quod h. l. § 1 extr. exstat ‘si fletibus fata uincuntur, conferamus!’ imitatus ponat § 2 init.:

(§ 1 inueniam etiamnunc ... per hos oculos quod effluat, si modo id tibi futurum bono est.) ‘Quid cessas? conqueramur, atque adeo ipse hanc litem meam faciam’.

Utroque loco ponitur quam apud poetas saepius legimus[1]) mollior sententia eorum qui lugentis curas leuari alicuius amici lacrimantis societate doceant.

Cum autem constet notionem quam nostrates exprimunt ‘zusammen klagen, weinen, Schmerz empfinden, (leiden)’, ingenui sermonis aetate a Romanis numquam uerbis quae sunt ‘conqueri, conlacrimare, condolere s. condolescere, (compati)’ significatam esse, in quibus potius praepositio ‘con’ simplicium uerborum (queri lacrimare, dolere) semper uim augeret — nec minus adpareat uocem ‘conqueramur’ illo loco ut ex imitatione loci qui est in cons. ad Marc. profectam usurpari pro eo quod est ‘questus conferamus’: libelli auctorem reiciamus necesse est ad eam aetatem qua primum uerbis illius farinae sociandi notio tribuitur, id est ad exitum II fere uel ad initium III p. Chr. n. saeculi*).

Memorabile certe est uocem aduenticiam quae est ‘logus’ quam capite VIII admittit scriptor (‘Aesopeos logos’) nisi a uetustis poetis comicis et a scriptoribus ecclesiasticis excepto uno fragmento Ciceronis[2]) omnino non uideri usurpatam esse,

1) Sen. Agam. 664 L.

Lacrimas lacrimis miscere iuuat:
magis exurunt quos secretae
lacerant curae, iuuat in medium
deflere suos.

cf. Stat. Silu. II, 1, 35 (cons. ad Atedium Meliorem de morte Glauciae): ‘confer gemitus pariterque fleamus’.

Nota eloquendi circuitum quo opus est ad flendi societatem significandam (*συνδακρύειν*).

*) Excursus XII.

2) Cic. frg. apud Non. p. 63, 13 M.: ‘ego te certe scio omnes logos

numquam autem ad significandum certum illud poematum genus quod ipsi Graeci uocibus quae sunt *μῦθος* et *λόγος* (*μῦθος, λόγος Αἰσωπεῖος*), Romani in uniuersum quidem uernacula uoce 'fabula' notabant. Iidem tamen si ad accuratius significandam fabulae illam speciem aduenticia uoce utebantur, non 'logus' sed 'apologus' dicebant*). Unde fit ut hae duae uoces 'fabulae et apologi' saepissime compositae legantur, numquam 'fabulae (fabellae) et logi', quae sunt plane synonyma.

Peccauit igitur simulator cum hoc faceret.

Quid quod et ipsum sermonem et narrationem saepius abhorrere ab elegantia et acumine quae in ceteris Senecae scriptis obseruentur etiam Volkmannus defensor cogitur fateri (p. 134)? Me saepe elocutio inpeditior et obscurior atque comprehensio ambitusque uerborum, a Senecae faceta simplicitate et perspicuitate illa quidem aliena, offenderunt[1]) — nec me primum nec opinor postremum.

His potissimum de causis facere non possum quin a Seneca abiudicandam esse censeam consolationem ad Polybium.

M. Cornelius Fronto cum nepote orbatus scriptione quae est de nepote amisso[2]) luctum leuare studeret, tam fracto animo fuit ut raro ad fortem consolationem surgeret. — Longum nobis temporis spatium emensis occurrit Ambrosius cuius quae exstant huius generis scripta, de obitu Satyri fratris liber et duae orationes funebres, altera de Valentiniani, altera de Theodosii imperatoris obitu habitae,

---

('sermones uel dicta ridicula et contemnenda' Non.) qui ludis dicti sunt animaduertisse'.

*) Excursus XIII.

1) Confer praecipue salebrosam conclusionem (c. XVIII, 9) cum elegantibus illis consolationum ad Marciam et ad Heluiam clausulis. Deinde me quidem quod antecedit enuntiatum semper primorum Plutarchei epilogi uerborum (p. 121 E) commonefacit:

Haec utcumque potui longo iam situ obsoleto et hebetato animo conposui. | *Ταῦτά σοι συναγαγὼν ... καὶ συνθεὶς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπειργασάμην τὸν παραμυθητικόν σοι λόγον.*

2) In ed. Naberi p. 232 sqq. Magnis lacunis epistula misere lacerata est.

praeter paucos locos communes qui Ciceroni et Senecae debentur, nihil praebent ueteris doctrinae. — Varias consolationes scripsit Hieronymus quae in epistulis inueniuntur: XXXIX de obitu Blaesillae ad Paullam; LX de morte Nepotiani ad Heliodorum; LXVI ad Pammachium de morte Paulinae; LXXVII ad Oceanum de morte Fabiolae; IV ad uirginem in exilium missam. Quae quidem nos nihil iuuant excepta una ad Heliodorum illa consolatione, quam scripturus quod 'ingenium inrigauit', si minus ex omnibus illis fontibus quos enumerat, certe e Ciceronis Consolatione, gratiam habeo quam maximam uiro uenerabili.

In ipso antiquitatis limine surgit mirum opus, Boethii dico Philosophiae consolationis libros V, quos in carcerem coniectus admirabilis uir inminente morte intrepidus scripsit anno p. Chr. n. 524. Verum longe aliter atque illae quas adhuc perlustrauimus consolationes Boethii libri comparati sunt, cum in eis non de ipsa morte — hanc non curat summus ille uir — sed de rerum diuinarum et humanarum bonitate paene desperantem adloquens fingatur ipsa uetus Philosophia[1]). Quare seuera disputatio non gaudet ueterum ueneribus leporibus suauisonis locis — talia frustra quaesiueris; interdum tamen ad relaxandum animum intentum carmen et ipsum quidem seuerum interrumpit difficilium tristiumque quaestionum fluctum. Ceterum in fine libri V exodium lacuna deuoratum esse existimauerim, propterea quod priores libri IV ad unum omnes in carmen exeunt.

Laudationum funebrium ratio alia apud Athenienses alia apud Romanos erat; non enim apud hos ut apud illos publice, sed a priuatis in singulos plerumque propinquos habebantur. Sic Q. Fabius Maximus mortui filii in honorem et dixit et scripsit laudationem, cuius magnam partem fuisse consolatoriam e Ciceronis uerbis concludo[2]).

1) De ipsis praeceptis e Platonis potissimum et Aristotelis sacrariis sumptis u. Zellerum III 2, p. 858 sqq.

2) Cat. mai. IV, 12 'Multa in eo uiro praeclara cognoui, sed nihil admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulerit, clari uiri et consu-

Memorantur M. Varronis et Ollii cuiusdam laudationes [1]).

Non satis doleri potest quod interiit Ciceronis Laudatio Porciae [2]) M. Catonis sororis, quae paulo post Consolationem anno a. u. c. 709 ab oratore tum his argumentis pleno composita quantum heu doctrinae studiorumque continuit thesaurum quem amissum lugemus. — Nec Sulpicii Apollinaris doctissimi uiri laudationes [3]) funebres aetatem tulerunt. Seruatae sunt lapidibus inscriptae trium Romanorum orationes funebres [4]): Lucretii Vespillonis in Turiam uxorem; Hadriani imperatoris in Matidiam maiorem [5]); laudatio in Murdiam [6]), in quibus tamen locus qui est de consolatione totus omittitur. Et haec quidem hactenus.

---

laris. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus?' Idem *ἐγκώμιον* Plut. Fab. XXIV, 6 uiri in luctu temperantiam miratus (*ἤνεγκε μετριώτατα* dicit) memorat et ib. 1, 8 illud usque ad aetatem suam perdurare diserte adnotat. — Ceterum de orationis indole a me dissentiunt nec Wyttenb. nec Schneider p. 13. Hic adeo illam laudationem a Cicerone in Cons. scribenda adhibitam esse arbitratur. Fortassis recte. Utique et in Cons. et in Tusc. disp. (u. III, 28, 70) inter eos qui fortissime luctum uicissent Fabius locum inuenit.

1) Cic. ad Att. XIII, 48, 2 (scr. m. Sextil.).

2) Ib. XIII, 37, 3 (uidetur scr. mens. Quint.). 48, 2. cf. Cic. ed. Bait. uol. XI p. 69.

3) Gell. XIII, 20, 17.

4) Volkm. eas enumerat in libro quem inscr. Rhetor. d. Gr. u. Römer p. 305 adn.

5) Utramque edidit Mommsenus in act. acad. Berol. a. 1863, p. 455 sqq.; alteram etiam in C. I. L. VI, 1527; quam omnino non habitam, sed scriptam esse censet intra annos a. Chr. n. VIII et II l. l. p. 464.

6) Tertia pertinet ad Frontonis aetatem (Rudorff in act. acad. Berol. 1869).

EXCURSUS.

Excursus I. (ad p. 6).

De consolandi notionum significationibus.

Qui illi fuerint qui *παθολογικόν* dicerent consolationem non liquet, quoniam hac uoce unus Galenus usus est ubi Mnesithei medici *παθολογικόν* memorat. De quo haec habet (tom. XIX, p. 485, 4 Kühn.): *ἐν τῷ παθολογικῷ τῆς ἰατρικῆς μέρει περιέχεται τί τε καὶ ὁποῖόν ἐστι καθόλου καὶ τί τὸ κατὰ μέρος πάθος καὶ νόσημα.* Chrysippo in libris *περὶ παθῶν* hanc uocem in usu fuisse haud absurde conieceris. Cetera haec sunt. Graeco *παραμυθία* respondet ‘adlocutio’ (Catull. XXXVIII, 5. 7. Sen. cons. ad Marc. 1, 8. ad Helu. 1, 3. inc. ad Pol. XIV, 2); *παραμυθητικός* adsimulo uoci ‘adloquium’ (Hor. Epod. XIII, 18. Ou. Trist. 1, 5, 3. 8, 17; ex Pont. 1, 16, 18). Consolandi uim uel proprie inesse in uerbo ‘adloqui’ testatur Varro de l. l. VI, 57: ‘hinc adlocutum mulieres ire aiunt, quom eunt ad aliquem locum consolandi causa’ (‘ad aliquam locutum consulandi causa’ superstitione quadam obstrictus nunc retinuit Spengelius). Et clarissime adparet hic usus: Sen. epist. 26, 4 extr. 54, 6. 98, 9. id. Troad. 619 L.: ‘alios parentes adloqui in luctu decet’. Val. Max. II, 7, 6. IV, 6, ext. 3.

Ceterum aliquem consolatus est et consolauit homo Romanus teste Varrone (in frg. Oedipothyest.) et Gellio (XV, 13, 1). ‘Consolatio’ pro ‘argumento consolatorio’ dixit Cicero (ad fam. V, 16, 2. 3); unus Hieronymus (epist. LXII) formauit ‘consolamen’. — *παράκλησις* Dioni Chrysostomo (or. XXX, p. 549 Rsk.) et Gregorio Nazianzeno (or. XX, cap. 23) est *παραμυθία*; idem Dio (or. XVIII, p. 481 extr.) et Teles (Stob. Flor. CVIII, 83) *παρακαλεῖν* perinde dixerunt; nec aliter praegnanti elocutione uoces *ἐπᾴδειν* et *ἐπῳδός* Plato (Phaed. p. 77 E. 114 D) adhibuit, unde apud Phliasium Timonem Socrates *Ἑλλήνων ἐπαοιδός* uidetur audire (Mull. frg. phil. II, p. 88, u. 55). *ἐπῳδάς*

argumenta consolabilia (sic quoque dicere fas est, ‘consolabile’ enim ‘illius sui casus carmen’ Arionem in mare praecipitaturum Gellius XVI, 19, 12 narrat cantasse, *νόμον ὄρθιον* Herodotus 1, 24) uoluit esse Iulianus (or. VIII p. 316 A Hertl. [244 Sph.] quae est *ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ τοῦ ἀγαθωτάτου Σαλλουστίου παραμυθητικὸς εἰς ἑαυτόν*); idem (ib. p. 316 B 322 C [248] 324 D [250]) *ψιχαγωγεῖν* uoci consolandi uim inpressit, solus Graecorum ut uidetur; unde etiam p. 326 D [252 A] dixit (*ἀπαραμυθήτως οὐδὲ*) *ἀψυχαγωγήτως* (*ἐννοῶ*), prorsus inauditam notionem statuens. Hoc autem uerbum cui proprie delectandi notio inest, hinc apud Polybium adnotante Thesauri auctore docto delabitur in exhortandi sensum; de Iuliani usu siletur. Similiter aliquis opinor poeta *λόγοις παιάνειν* dixit pro eo quod est *παραμυθεῖσθαι* teste Phrynicho in Bekk. anecd. 51, 6. Praeparauerunt quodam modo ad hunc memorabilem usum illud uerbum Aeschylus et Pindarus (imitante Themistio or. VII, p. 90 D.), cum (Agam. 277. 1669 D. — Pyth. II, 101) ei laetificandi notionem inprimerent. Postremum Flaccus (Epist. I, 14, 7) ‘insolabiliter’ maerentem facit Lamiam, scilicet graecissans [= *ἀπαραμυθήτως πενθοῦντα*; similiter carm. 1, 16, 27 uoci ‘recantare’ uim *παλινῳδεῖν* Stesichori memor uindicauit semel et unus; similiter epod. XVI, 25 Phocaeorum iusiurandum imitatus Herodoti illud *ἀναφανῆναι* de plumbo emergente dictum uoci ‘renare’ inauditam emergendi notionem dedit; idem VI fere saeculis post Iordanis (Get. 16) ausus est cum uas aureum ‘quod in profundum cecidit ... et longe post emergit’ faceret ‘renatans’] et comite carens, si Orellio ad h. l. et Thesauri uel nouissimae editioni credis; sed caue, nam Ennodium idem aduerbium formasse uideo (epist. VIII, 41 in. Hartel.). ‘Inconsolabilis’ Ouidio (Met. V, 426) et exitum saeculi p. Chr. n. IV uersus Optato Afro (de schism. Donatist. 1, 2) placuit. — Apud horum temporum Graecos *παραμύθιον* et *παραμυθέω* (*παραμυθεύω*) uoces ad fabulae et narrandi fabulas notiones delapsae sunt, aperta quidem uia ei qui nutricum in sedandis clamoribus infantium moris memor est. Neque omnino Graecis ueteribus populisque

orientis absurdum uidebatur lugentis curas fabulis aenigmatibusue promendis diducere: de qua re, si iuuat, adi Rohdii gr. Rom. p. 411 et 414 adn. 1.

Excursus II. (ad p. 46).

Apud eundem igitur Crantorem legisse uidetur Cicero alterum Callimachi epigramma de Ambraciota Cleombroto Socratis discipulo (cf. Plat. Phaed. 59 C) quod indicat Tusc. 1, 34, 84, legimus hodie bono casu in Anth. Pal. VII, 471 seruatum:

Εἶπας Ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος ὠμβρακιώτης
ἦλατ᾽ ἀφ᾽ ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀΐδαν,
ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ᾽ ἀναλεξάμενος.

(cf. Callim. epigr. XXV Schn.).

Totum enim illud cap. XXXIV partim ad Crantorem ipsum partim ad Tullii consolationem pertinere uidemus. Et quam gratum cum Cleombroti philosophi mortem petentis exemplum tum clari poetae de eo testimonium consolatori erat! Accedit quod nusquam alias hic poeta a Cicerone uidetur adhibitus esse; nam quod de or. III, 33, 132 ad significandam Alexandrinorum quos dicimus aetatem una cum Aristophane nominatur, nihil adtinet; inter consolatoria studia ei ille forte obuiam factus est: de quo loco maiore cum probabilitate cogitemus quam de Crantoris libello?

Excursus III. (ad p. 46).

Secuntur l. l. (Tusc. III, 6, 12) haec: 'Ne aegrotus sim' inquit (Crantor) e. q. s.; sunt latine uersa Crantoris uerba quae Plut. in fine cap. III habet. Ergo concludamus necesse est: aut discerpsisse sententias Ciceronem aut contraxisse Plutarchum. Et illum quidem discerpere solere altero exemplo eluceat hoc. Quod Plut. p. 113 F indicato illo Callimachi epigrammate pergit: (*Πρίαμος*) *εἰ προετελεύτησεν ἔτ᾽ ἀκμαζούσης αὐτῷ τῆς βασιλείας καὶ τῆς τοσαύτης τύχης ἦν ἐθρήνει,*

profecto quiuis uel propter artum sententiarum conexum concedet haec coniuncta fuisse etiam in fonte Plutarchi, i. e. apud Crantorem. Sed quid mihi Cicero? Priusquam ipsum epigramma proferat (1, 93), propinat nobis illam argumentationem (1, 85): 'Priamum tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Hic si uiuis filiis incolumi regno occidisset (intercedunt uersus ex Ennii Andromacha): utrum tandem a bonis an a malis discessisset? Tum profecto uideretur a bonis'. — Pronus est transitus ad Plutarchi illum locum conruptum. Quem qui adhuc emendare nisi sunt si quid uideo ad unum omnes ad inritum ceciderunt. Velut Wyttenbachii commentum quod est *ἢ Πρίαμος· ⟨οὗτος δ' εἰ ἐτελεύτησεν⟩ .. βασιλείας, προετελεύτησε καὶ τῆς τοσαύτης τύχης, ἣν ἐθρήνει* et probabilitate caret quamquam sano fundamento nititur, et laborat falsa interpretatione uocis *τύχη*. Est calamitas, inquit. At pace uenerabilis uiri dico: conrupta est uox, pro qua postulandum esse id quod prolis notionem designet Ciceronis illud 'uiuis filiis' cum eo quod est 'incolumi regno' coniunctum clamat; ut mittam grauissimam omnino calamitatem Priami esse illam orbitatem (cf. Ciceronis 'Priamum tanta progenie orbatum'). Tale uerbum uoci *τύχη* substituendum circumspicienti se obferunt quae sunt *φύτλη* (Hesych. s. u.· *γέννα, γένεσις γένος*) et *γενεή* (qua uoce utitur Callimachus qui Plutarchi loco latet) et *γενέθλη* e quibus quid eligendum sit ambigi potest.

Infelicissimum uero Schneideri conamen (u. ad frg. 363) (qui adeo ipsum fragmentum seruato pessime illo Plutarcheo 'γὰρ ὄντως' Dauisium secutus in trimetrum iambicum claudum cogere ausus est) omnino contra grammaticae leges pugnat. Citra probabilitatem plane sunt coniecturae Dilthei (Anal. Call. p. 31) et Gerckii (p. 57), qui non debuit reuerti ad ineptam illam distinctionem quam iam pridem expulit Wyttenbachius quamuis uel ab Herchero editore neglectus. E Ciceronis locorum comparatione (1, 85 conl. 1, 93) proficiscitur opinor certissima emendatio: *Μεῖον γὰρ ὄντως ἐδάκρυσεν Τρωίλος ἢ Πρίαμος· ⟨καὶ⟩ αὐτὸς ⟨ἂν μεῖον ἐδάκρυσεν⟩ εἰ προετελεύτησεν*

ἔτ᾽ ἀκμαζούσης αὐτῷ τῆς βασιλείας καὶ τῆς τοσαύτης γενεῆς(?) ἦν ἐθρήνει.

Dein argumentationem illam quam apud Ciceronem et Plutarchum legimus item ad Callimachi epigramma pertinere cogor statuere conlato Propertii loco (II, 13, 45 sqq. B.) quem ad p. 113 E olim alio consilio adnotauerat Wyttenbachius. Quem cum scriberet Propertio Callimachi sui illud epigramma obuersatum esse ausim adseuerare. Vide:

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaeuis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae seruetur spiritus horae?
Nestoris est uisus post tria saecla cinis,
Cui si tam longae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi uidisset corpus humari,
Diceret aut: O mors, cur mihi sera uenis?

Nunc eat aliquis et iactet cum Gerckio argumentationem illam non decere poetam; hoc credo refutaui. Nec quod de Propertio conieci inprobabis: Callimachei carminis certe eadem sententia erat.

Excursus IV. (ad p. 67 adn. 1).

Sextus ad inlustranda Epicuri furta e. g. eius quam supra exposui de morte sententiam ὅτι οὐδέν ἐστι πρὸς ἡμᾶς repetit, perperam uidelicet, ex Epicharmi hoc uersu deprauato

Ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει

quem sic ab illo non esse profectum etiam e Ciceronis interpretatione (Tusc. 1, 8, 15) adparet:

'Emori nolo; sed me esse mortuum nil aestumo',

unde Ahrens emendationis periculum fecit quam uide apud Mull. l. l. I, 146 a.

Eadem ad amussim sententia legitur et in Ribb. Trag. Rom. frgg. inc. inc. 203 haec:

'Mors misera non est, áditus ad mortem ést miser',

et, si lectionem traditam prudenter seruas recteque adgnoscis

enuntiatum optatiuum (quo cognito apage omnia conamina), in Anth. Pal. X, 123:

Πῶς τις ἄνευ θανάτου σε φύγοι βίε; μυρία γάρ σου
λυγρά· καὶ οὔτε φυγεῖν εὐμαρὲς οὔτε φέρειν.

'Utinam', inquit, 'sine morte, i. e. ita ut mors non sit obeunda, liceat uitam fugere!' Totius enim lepidi epigrammatis argumentum hoc est: tot molestiae iuxta paucissimas delicias in uita obuiam fiunt ut haec sit fugienda; sed nec *φυγεῖν εὐμαρές*. — In talibus enuntiatis optatiuis, quae a *πῶς, τίς* uel a similibus surgant, posteriore graecitatis aetate potuisse omitti particulam *ἄν* discimus his locis: Anth. Pal. V, 246, 5 *καὶ τίς ὑποτλαίη*; IX, 359, 1 *Ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον*; sic enim e codice pro Stobaei quod etiam Duebner recepit *τάμῃ* restituendum, ut docet Agathiae parodia (V, 302, 1): *Ποίην τις πρὸς ἔρωτας ἴοι τρίβον*; — Theocr. XXVII, 24 *Καὶ τί, φίλος, ῥέξαιμι*; ut uel inconstanter se gerant editores cum XV, 51 id quod recte traditur: *Ἀδίστα Γοργοῖ, τί γενοίμεθα* cum Schaefero conrumpant in id quod exhibent *γενώμεθα*. Proinde etiam Anth. Pal. XI, 133, 5 *Ποῖ τις ἀπέλθοι λοιπόν*, non *ἀπέλθῃ* (quod iterum habet Stobaeus), eruamus e cod. conrupto *ἀπέλθει*.

Hos locos Schaefer in melet. p. 97 sqq. non potuit tollere.

Excursus V. (ad p. 69).

In Pythagoreorum caterua per me licet recenseat hunc Sotionem Mullachius l. l. II, 47. Ex tribus enim illis Sotionibus qui omnino distinguendi sunt (cf. Zellerum l. l. II 2, 931 adn. 3 et III 1, 676 adn. 3) de eo h. l. cogitandum est qui Senecae praeceptor (Sen. ep. 49, 2. 118, 17. 20. Lactant. diu. instit. VI, 24) et Sextiorum quasi interpres (Sen. ll. ll.) erat, natione Alexandrinus. Quod sic euincitur. Seneca de ira libros III scripsit. Cum autem sciamus illius praeceptorem Sotionem quendam fuisse, inueniamusque *περὶ ὀργῆς* scripsisse Sotionem, illum et hunc unum esse concludemus. Sic olim Nietschius in Mus. Rhen. XXIII, p. 639. Cuius suspicioni fundamentum dedit Dielsius in Doxogr. prolegg. p. 256 conferendo Sotionis

fragmentum (*Σωτίωνος ἐκ τοῦ περὶ ὀργῆς β'* (apud Stob. XX, 53) cum Sen. de ir. II, 10, 5.

Habeo quae addam. Primum perperam in Meinekiana Stobaei editione l. l. sub lemmate LIV duae Sotionis sententiae prorsus diuersae inter se componuntur. Sunt duo fragmenta e satis diuersis libri II partibus, id quod per se manifestum adeo Senecae comparatione demonstrabo. Distinguenda igitur sunt lemmata LIV[a] et LIV[b]. E quorum priore radicem ducit imago quae et in Senecae libro II (obserua interuallum quo ea ab altera illa sententia dirimitur) et in Plut. *περὶ ὀργῆς* libri (quem uix iure eundem ac superstitem *περὶ ἀοργησίας* librum censuit esse Treuius l. l. p. 37 ad catalogi titulum XCIII *περὶ ὀργῆς*) unico fragmento (Stob. Flor. XX, 70) legitur haec:

Sot. *ἐκ τ. π. ὀ. β'*	Sen. de ir. II, 10, 8	Plut. *ἐκ τοῦ π. ὀργῆς*
	Numquid ille cuius nauigium multam undique laxatis conpagibus aquam trahit, nautis ipsique nauigio irascitur? occurrit potius et aliam excludit undam, aliam egerit, manifesta foramina praecludit, latentibus et ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit. nec ideo intermittit, quia quantum ex haustum est subnascitur. Lento adiutorio opus est contra mala continua et fecunda, non ut desinant, sed ne uincant.	*Λόγον οὖν ἡγεμόνα χρὴ ποιησάμενον οὕτως ἐπιχειρεῖν τοῖς κατὰ τὸν βίον ἔργοις, τὰς ἑκάστοτε προσπιπτούσας ὀργὰς διωθούμενον καὶ διανεύοντα, ὥσπερ οἱ κυβερνῆται τὰ κύματα προσφερόμενα. ἔστι γοῦν οὐκ ἔλαττον τὸ δέος ὀργῆς ἀντιπρώρου κυλινδομένης αὐτόν τε καὶ σύμπαντα οἶκον ἀρδην ἀπολέσαι καὶ ἀναστρέψαι μὴ διαπλεύσαντα δεξιῶς.*
Ὥσπερ δὲ πλοῖα γενναῖα οὐχ ὅσα ἐν εὐδίᾳ πλεῖ, ἀλλ' ὅσα πρὸς χειμῶνα ἀντέχει καὶ σώζεται, οὕτω καὶ ἄνθρωποι ὀργῇ καὶ κινήσει ἀντεχόμενοι μεγάλοι καὶ ἀνδρεῖοι.		

His tribus locis sane non ad amussim geminis manifesto ut eadem imago ita una sententia subest: uariare amant ueteres dum imitantur. Post haec et apud Sotionem et apud Senecam leguntur (l. l. 54[b] et de ir. II, 17, 1):

(ab ira esse abstinendum exponitur.) 'Orator' inquit 'iratus aliquando melior est'. Immo imitatus iratum. nam et histriones in pronuntiando non irati populum mouent, sed iratum bene agentes.

Ὑποκριταῖς μὲν οὖν καὶ μὴ ὀργιζομένοις ὑποκρινομένοις ὀργὴν συνήνεγκεν, οἱ δὲ σπουδαῖοι ἄνδρες, οὐδ' ἐὰν ὡς ἀληθῶς ὀργίζωνται, οὕτω χρῶνται τῷ σχήματι.

Videmus igitur, si quidem e librorum congruentia et locorum singulorum ordine (ad librum II utriusque loci pertinent, et apud Stobaeum 53 = Sen. II, 10, 5; 54[a] = II, 10, 8; 54[b] = II, 17, 1) licet coniecturam facere, Senecam in libris de ira praeceptoris scriptionem — ut Tullius ait — 'secutum esse'.

Excursus VI. (ad p. 70).

Μῦθός τις, ait Sotio, *περιφέρεται γυναικός, ὅτι ἡ λύπη* e. q. s. Quod uocem *γυναικός* conruptam esse ratus Meinekius (praef. ad Flor. IV, p. X) scripsit *λιβυκός* profectus a Plut. cons. ad ux. c. VI, ubi eadem fabula Aesopea uocatur; Bergkius hanc coniecturam pro librorum testimonio uendidit (in hist. litt. gr. 1, 372 adn. 184); Leutschius (in Philol. XXXIII, 417) ante *γυναικός* inserendum proposuit *Κυπρίας*, ut fabella illa adeo in Cyprium *μύθων* genus relegetur; Mullachius uero fortiter *ἀστεῖος* substituit: parum prudenter egisse omnes uidentur. Neglexerunt enim locum Plut. ad Apoll. consolationis (p. 112 A) quo idem *μῦθος* qui a Sotione et in consolatione ad uxorem indicatur a uetere quodam philosopho Arsinoae reginae narratur.

Ex hoc loco quippe quo mulieris in usum fabula dicatur ficta esse, Sotionis uerba sic explico: 'Fertur de muliere (siue ad mulierem) fabula qua discimus luctum apud eos manere a quibus colatur. Obscuriorem loci breuiloquentiam satis explicari ex consuetudine qua nos quoque in rebus tritis elocutionis diligentiam remittere solemus dudum mihi persuasi. Sed interim ipsi ueteres geminum exemplum suppeditant: *Ἀλκίνου ἀπόλογος* prouerbii loco dicebant de nimis uerbosa narratione. Sic e. g. Plato in republ. X, p. 614 B, ubi uide doctum schol. cf. Diogen. prou. cent. 1, 79 et locos quos praeterea indicat Spengelius ad Arist. Rhet. III, 16. Nimirum *Ἀλκίνου*

ἀπόλογος proprie erat longa illa Ulixis ad Alcinoum Phaeacum regem narratio quae Odysseae libris IX—XIII continetur. Perinde est μῦθος γυναικός fabula quae mulieri narratur. Quis postulat exempla quale est ἀνέρος αἴθονος ἀγγελία alia quae omnino liberiorem genetiui graeci usum testantur? De uno tamen exemplo paucis. Plutarchus p. 118F celebratam illam de Periclis in morte filiorum constantia fabulam narrans illum μετὰ τὴν προσαγγελίαν ἀμφοτέρων τῶν υἱέων animo tranquillo in contione uerba fecisse non dubitauit breuissime dicere. Nam iniuria haec uerba Hercheri obelo notata esse recte monuit Dinsius (Beitr. z. Kritik d. Trostschr. Plut. an Apoll., in libro miscellaneo qui inscribitur Festschr. z. dritten Säcul.-Feier d. Berl. Gymn. z. gr. Kloster, 1874, p. 150 sq.) qui genetiuum illum insuper Thucydidis (1, 61, 1. IX, 15, 1) et Xenophontis exemplis (u. Mem. II, 7, 13) firmare non supersedit. — Idem Dinsius p. 146 se ex genere dicendi libelli ingenuitatem probaturum esse pollicetur, huic meae qualicunque opellae certe aptissimum supplementum additurus.

Excursus VII. (ad p. 82).

Vox φρουρά non solum τὸν φρουροῦντα (statio, custodia) sed etiam τὸ(ν) φρουρούμενον (carcer, captiuitas, custodia) denotat, ut apud Plat. etiam in Gorg. p. 525 A. Phaedonis locum illum spectans dicit Cicero (Tusc. 1, 30, 74) de sapiente: 'nec tamen illa uincla carceris ruperit'. Dio uero (or. XXX, p. 550 Rsk.) ἐπὶ τιμωρίᾳ inquit γεγόναμεν ἐν φρουρᾷ δὴ ὄντες ἐν τῷ βίῳ. Deinde ἐφήμερος Antiphontis l. l. non ualet proprie id quod est 'diurnus' sed praegnanter 'temporarius, breuis, zeitlich', uelut Thuc. II, 53, 1, quocum tam mire in exquisitis ille concinit. Adde quod Aeschines loco illo p. 80 adn. 3 exscripto de eadem re dicit θνητὸν φρούριον, poetae autem passim ἐφήμεροι pro eo quod est θνητοί usurpant — et quod Hesychius ἐφήμερα explicat εὐμετάβολα εὔφθαρτα. Sic enim recte olim conrexisse codicis quod sensu caret ἀμετάβολα Musurum quamuis a Schmidtio inprobatum disco ex Etymologico magno ubi legitur ἐφημερία... λέγεται δὲ καὶ ἡ τῆς ἡμέρας

λειτουργία διὰ τὸ εὐμετάβλητον πρὸς τὴν ἑκάστης ἡμέρας κατάστασιν. — Unice uero placet Photii ἐφήμερος· πρόσκαιρος.

Habes denuo delicatum meum sophistam. Qua data occasione non sino conruptum manere aliam Hesychii glossam: ἀμφιμήτορες inquit οἱ ἐκ πολλῶν μητέρων γεγονότες ἀδελφοί. Αἰσχύλος Ἡρακλείδαις, ubi scribe ἐξ ἄλλων μητέρων, si quidem Suidas ἀμφιμήτωρ explicat ἑτερομήτωρ, nec aliter Aeschyleum nomen ἀμφίπτολιν (sc. ἀνάγκαν Cho. 75 D.) commentatur doctus scholiasta τὴν ἐκ διαφόρων πόλεων ἀνάγκην, ὅ ἐστι πόλεμος, inquinatus ille quidem ab indocto interpolatore qui cum διαφόρων ualere ‘inimicarum’ (non ‘diuersarum’) perperam putaret, illud [ὅ ἐστι πόλεμος] inculcauit. Illa autem interpretatio recta est; etenim captiuus chorus dicit eam necessitatem quae inde fit quod ex alia urbe oriundus est, i. e. seruitutem. — Voluisse autem scholiastam diuersas intellegi urbes certissimum est; aliter non addidisset ὡς ἀμφιμάτορας κόρους φησὶν ὁ Εὐριπίδης. Dicit autem Androm. 465 D, ubi rursus recte interpres adnotat τοὺς ἐκ διαφόρων μητέρων, ἐξ ἑνὸς δὲ πατρός.

Excursus VIII. (ad p. 85).

Antiph. inc. frg. LVI admodum memorabile paucis commentari lubet. Narrat Pollux 1, 98 nauis ducem ab aliis aliter, ab Antiphonte uoce ποδοχῶν significatum esse. Erant autem qui grammaticorum ueterum fere omnium ipsiusque Pollucis in his rebus ignorantia inducti crederent uocem πούς non modo eum funem quo uelum regitur (pedem, Schote) sed etiam posse notare gubernaculum (οἴακα), duobus ut uidetur locis nisi, uno Odysseae (κ 32) et Pind. Nem. VI, 57. Sed utroque loco illud uerbum significare funem quem diximus, nil amplius, ad amussim nunc demonstrauit Breusingius uir harum rerum peritissimus in libro quem de ueterum re nauali inscriptum nuperrime edidit (Die Nautik der Alten, Bremen 1886, p. 59 sq.). De hoc fune eis quae ille p. 58—60 conlegit haec habui addenda. Eodem uerbo quo Antipho, metaphorice usus est Aeschylus in Persarum u. 656 ubi chorus Dareum praedicat: θεομήστωρ

δ' | ἔσκεν ἐπεὶ στρατὸν εὖ ποδούχει, quod duce Tanaquilo Fabero Dindorfius tandem reduxit (ὑποδώκει M).

Idem uerbum testatur grammaticus in Bekk. Anecd. 1, p. 297 sic emendandus: ποδοχεῖν (sic recte Dind., ποδοκεῖν cod.)· τὸ τῷ ποδὶ κυβερνᾶν· ποὺς γάρ ἐστι τοῦ ἱστίου τὸ σχοινίον τὸ ⟨κατέχον⟩ κάτω πρὸς τῇ νηί. Haec recta uerbi πούς explicatio est cui similem praebent schol. ad Lucian. Charont. 3 et primus schol. ad Odyss. ε 260 (u. apud Breusingium l. l. p. 59). Quae pro illis quae ego posui leguntur τοῦ ἱστοῦ τὸ ἀντίον sensu carent. Verum ut ad Antiphontem reuertamur: ποδοχῶν est gubernator, non quatenus ὁ ἐπὶ τῶν οἰάκων καθήμενος est, ut Pollucis inscitia uult, sed quatenus is qui nauem regit simul ueli pedem (ναὸς ἐγκρατῆ πόδα Soph. Ant. 715) tenet uel seruat (ἔχει). Neque enim gubernandi et regendi ueli officium distingui potest: pedem tenet; ita gubernator est.

Excursus IX. (ad p. 89).

Miratus sum cum Bothium, qui 'de Antiphontis et Thucydidis genere dicendi' disputationem Marburgae h. s. a. LXXV edidit, Antiphontis sophistae omnino nescium oratoris et sophistae fragmentis ex toto neglectis illorum scriptorum dictionis comparationem ita inuenirem instituisse ut tetralogias et orationes susque deque ferret.

Ecce inuitus iste tetralogias illas non oratoris sed sophistae esse mihi nunc probauit. Nam ex Antiphonte quaecunque aut inaudita aut insolentia et poetica adtulit et quaecunque eiusdem notae cum Thucydidis propriis contulit, ea non ad tres illas capitales orationes sed ad declamationes tetralogias quas uocamus pertinent! Et ea quidem ad amussim quadrant ad sophistam cuius imaginem effingere studuimus. Quae ex orationibus ad instituendam cum Thucydide comparationem deprompsit talia sunt qualia eiusdem aetatis scriptores et soleant et debeant habere communia. De insigni uerborum notione et usu agitur. Huc pertinent qualia sunt haec: ἀνθρώπινον φῦλον (IV α 1), ἀσπαίρω (II δ 5), ζῶν καὶ βλέπων (III γ 1), ποίνη (II α 3), πράκτορες (III β 6 i. e. 'qui aliquid exsecuntur',

quo uerbo alias Atheniensium quidam magistratus denotatur; sed illam uerbi uim statuunt Aesch. Agam. 112. Soph. El. 251. Arist. Ran. 1289) a poetis commodata; *ἀπολύσιμος* (IV *δ* 9), *διαγνώμων* (III *γ* 3), *ἀναποκρίτως* (!) *λέγειν*, *ἀναγιγνώσκειν* (i. e. *ἀναπείθειν*, II *β* 7), *εὐσεβεῖν* passiua constructione usurpatum (III *γ* 11), *καταλαμβάνειν* (i. e. *καταγιγνώσκειν* damnare II *δ* 11. IV *δ* 9), *ἀπελογήθην* (pro eo quod est *ἀπελογησάμην*, II *γ* 1. *δ* 3. IV *γ* 1), *συλλήπτωρ* (III *γ* 10) partim semel partim excepto Antiphonte a posterioris tantum aetatis scriptoribus admissa sunt. Elocutiones autem *ἄωρος τελευτή* et *ἄωρος συμφορά* (III *α* 2. *β* 12) atque totum tertiae declamationis primae orationis proemium, nisi sophistam illum quem in disputatione enarrauimus ex toto spirant, lateres me lauisse dico. Accedunt iterum ab aliorum consuetudine remota quae declamationum scriptori cum Thucydide communia sunt. Sic hi soli interfectorem dixerunt *αὐθέντην* (III *γ* 4. 11. *δ* 4. Thuc. III, 58, 5). Vocem poeticam (quamuis neque a Platonis neque a Xenophontis usu alienam) *γηραιός* utrumque adhibuisse Poll. II, 13 memorat: IV *α* 2 *τῆς γηραιοῦ τελευτῆς*, ut adeo generis masculini forma feminino seruiat, et Thuc. VI, 54, 2 *γηραιοῦ τελευτήσαντος* legitur. Multo memorabilior est apud utrumque uocis *ἐνθύμιος* mirus usus quem illa aetate praeter Herodotum et poetas nemo admisit. Luna deficiente Athenienses cessant *ἐνθύμιον ποιούμενοι* (Thuc. VII, 50, 4. schol.: *ἀποδεισιδαιμονήσαντες ἢ ἐκλογισάμεροι, κατὰ νοῦν σχόντες τὸ τῆς σελήνης*, scil. 'religione obstricti'); Antipho (II *γ* 10) minatur iudicibus mortuum *ἐνθύμιον γενήσεσθαι* i. e. eum conscientiam illorum uexaturum esse; III *α* 2 *τῷ ἀποθανόντι οὐδὲν ἐνθύμιον* ualet 'mortuo non curae illud est'; III *δ* 9 *τὸ ἐνθύμιον* substantiuum bis factum ualet fere 'mala conscientia'; ibidem mirifice substantiuum *προστρόπαιον* formatum, quod ualet fere 'contagium caedis'. Ceterum uox *ἐνθύμιος* bene comparatur cum illo *καταθύμιος* quod pariter a poetis mutuatum esse Antiphontem sophistam (inc. frg. VII) supra exposui.

Aceruum translationum elocutionum schematum poeticorum ex Antiphonte declamationum auctore et Thucydide congessit

Bothius (p. 24sq., cui etiam quae supra scripsi partem debeo), qualia sunt (II γ 3 extr.) *σωφρονίσαι τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης* et (Thuc. VII, 68, 1) *ἀποπλῆσαι τῆς γνώμης τὸ θυμούμενον* (Bothius p. 36 cf. Eur. Hec. 299 D.); *ὑπερόπται* (h. l. et Soph. Ant. 130) *τῶν εἰωθότων* (Thuc. III, 38, 3) et (II β 13) *ἰατροὶ τῆς ἀτυχίας* et alia multa. Sed haec nunc sufficiant.

Excursus X. (ad p. 104 adn. 3).

Aegre fero quod adhuc Boëthii carminum pulchrorum multi loci conrupti iacent. Vide egone nonnullorum medicus existam.

I. Boeth. cons. phil. II, carm. 1, 8.

Hoc carmine et quae antecedit pedestri oratione demonstratur neminem sanum de inconstantia fortunae queri debere cuius in mutabilitate summam sitam esse constantiam. Itaque in fine increpat: ‘At omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, fors esse desistit’. De eadem re est carmen, cuius conclusio haec est:

Sic illa ludit, sic suas probat uires
Magnumque † suis monstrat ostentum, siquis
Visatur una stratus ac felix hora.

Futtilia medendi quae exstant conamina, profecta ea quidem ab eis qui totius disputationis sumamm omnino non ceperunt, bene ad inferos editor relegauit, ubi uideas. Flagitatur: ‘Magnumque *stultis* monstrat ostentum’ e. q. s., i. e. nisi stultis nemini uidetur mirum fecisse, si eum qui modo felix splendebat in puluerem detrusit. Sic poeta supra stolidissimum uocauerat qui fortunae uices miraretur.

Positionem neglexit poeta ad exemplum poetarum Augusteae aetatis et Horatii qui cum passim tum h. l. u. 3 Boethii menti obuersatur et exprimitur. Omnino autem facile et saepe propter sibilae exilitatem ante uerba quae a sp st sc (sq) incipiunt ab omnium aetatum poetis praecedentis uerbi breuem exitum non productum esse notissimum est; nempe ualde facile in uocula ‘que’. cf. L. Muellerum de re metr. p. 317 sqq. Unde exempla quae huc pertinerent e re uisum excerpere haec:

Lucil. VII, 28 segetem immutassĕ statumque, Lucil. XXVIII, 52 pro statura Acciŭ᾽ status. Lucr. IV, 772 L. Indĕ statu prior, Lucr. VI, 943 manantibŭ᾽ stillent. Hor. Serm. I, 2, 30 fornicĕ stantem, Hor. Serm. I, 2, 71 Velatumquĕ stola, Hor. Serm. I, 3, 44 fastidirĕ strabonem, Hor. Serm. I, 10, 72 Saepĕ stilum uertas, Hor. Serm. II, 3, 43 Quem mală stultitia, Hor. Serm. II, 3, 296 Haec mihĭ Stertinius. Prop. IV, 5, 17 B. Consuluitquĕ striges. Stat. Ach. 1, 348 sparsosquĕ studet (ubi utinam tenero admodum colori ne intrusissent crassum illud ‘tumet’).

II. Sequentis carminis quo hominum insatiabilis auaritia perstringitur uersus 19 et 20 ut sensus restituatur sic emendandi sunt:

Numquam diues agit qui*n* trepidus gemens
Sese cred*a*t egentem

cum praesertim optimus omnium cod. Tegerns. superscriptam praebeat litteram ‘n’ (quī^{N}).

III. Pessime Peiper in sequentis carminis (II, 3) uersu 16 eiusdem libri optimam scripturam (a conrectoris manu non spernenda cui adstipulatur antiqua cod. Goth. manus) ‘Donis’, quae et exquisitior est et spondaïcam basin format, postposuit ceterorum librorum lectioni ‘Bonis’, sic iambicam basin statuens qua abstinuit prorsus Flaccus, fere Catullus (XXXIV, 2 et 4 pŭĕllae et ib. 1 Dīānae) et Seneca, Boethius frequentissimus in glyconeis caret nisi quod ter (III, 12, 29. V, 4, 11. 13 et 38 nŏtīs) inuitus eam admisit.

IV. Sequentis carminis in u. 18 sollemni cuidam errori indulsere librarii, cum id quod poetam scripsisse contendo ‘aethera’ conrumperent in id quod legimus ‘aequora’. Nam cum de periculoso mari uu. 4—8 dictum iam esset, u. 18 repetitio inepta fuisset; contra si h. l. reponimus *aethera*, uersus 22 ‘Ridens a e t h e r i s iras’ habet quo respiciat.

V. Ad subsequens carmen pergo. In eo inertem temporum suorum luxum conquestus felicem praedicat frugalitatem aureae aetatis:

Facili quae *v*era solebat (u. 4)
Ieiunia soluere glande.

Sic ‘sera’ ieiunia conrigenda sunt. Veram enim famem opponit ei quae gulae deliciis incitari uomituque reconciliari solebat. Atque Bonnensis liber, post Tegerns. optimus testis, habet lacunam quae superscriptis litteris ‘se’ suppleta est (quae[se]ra).

VI. In libri III carminis VIII uersu 1 Peiper quod scripsit

Eheu quae miseros tramite deuio*s*
Abducit ignorantia!

fecit contra usum cum cunctorum poetarum Romanorum tum ipsius Boethii. Nempe cum plurimis codicibus — in Tegerns. quoque s erasa est — restituendum:

Eheu quae miseros tramite deuio
Abducit ignorantia.

Ecce adeo in pedestri oratione hanc elocutionem multo magis praegnantem praefert consolator: III, 2 pros. (p. 52,14 P.) ‘Est enim mentibus hominum ueri boni naturaliter inserta cupiditas, sed ad falsa deuius error abducit. cf. III, 8 pros. init. ‘ad beatitudinem uiae deuiae’. Hiatum illum in ordinibus inconexis omnino probum poeta non fugit. u. II, 3, 9. III, 10, 5. 8. IV, 1, 25.

VII. Ibidem carminis XI uersum 15 sic equidem censeo restituendum:

Quod si Platonis musa personat uerum,
Quod quisque discit *id* memor recordatur.

pro eo quod legitur immemor. Spectat enim Plat. Phaed. p. 76 A *ὕστερον, οὓς φαμεν μανθάνειν, οὐδὲν ἀλλ᾽ ἢ ἀναμιμνήσκονται οἵτοι.*

Excursus XI. (ad p. 117).

Volkmannus in refutando argumento a Dideroto et a Ruhkopfio l. l. p. 206 ex auctoris cum Stoicorum doctrinis pugna petito ad locum qui est in cons. ad Pol. c. XVIII §§ 5 et 6 neglexit comparare grauissimum locum qui est epist. XCIX §§ 15 et 26.

Sed quid rei sit explicemus. Ait Ruhkopfius, si libellus qui est ad Polybium ingenuus esset, Senecam sibi sine ulla

ratione contradicere, si quidem in c. XVIII § 5 (‘et scio — compulisset’) detrectaretur Stoicus, quem Seneca semper profiteretur. Perperam. Primum enim illum fugerunt quae § 6 adiunguntur:

‘Fluant lacrimae, sed eaedem et desinant. trahantur ex imo gemitus pectore, sed iidem et finiantur’. Et nunc compara quae uerus Seneca epist. XCIX § 15 profitetur:

‘Quid’, inquit, ‘nunc ego duritiam suadeo et in funere ipso rigere uoltum uolo et animum ne contrahi quidem patior? Minime. Inhumanitas est ista, non uirtus, funera suorum isdem oculis quibus ipsos uidere ...’ et § 26: ‘Hi (Metrodori sectatores dicit) sunt qui nobis (scil. Stoicis) obiciunt nimium rigorem .... aucupari. Nos quod praecipimus, honestum est: cum aliquid lacrimarum adfectus effuderit et, ut ita dicam, despumauerit, non esse tradendum animum dolori’. Vides ut nihil de sententia peccauerit qui Senecae personam induit.

Verum omnino et illud profiteri potuit et Stoicus esse Seneca. Nam cum in aliis tum in hac re inter se dissidebant Stoici: sitne postulanda fera illa *ἀναλγησία* necne.

Audi Caluisium Taurum Platonicum philosophum (apud Gell. XII, 5, 10): ‘Haec ergo (mala) uir sapiens tolerare et cunctari potest, non admittere omnino in sensum sui non potest: *ἀναλγησία* enim atque *ἀπάθεια* non meo tantum, inquit, sed quorundam etiam ex eadem porticu prudentiorum hominum, sicuti iudicio Panaetii, grauis atque docti uiri, inprobata abiectaque est’.

Inter illos quosdam nimirum Seneca fuit. Idem postea censuit Marcus Aurelius imperator et stoicus *πρὸς ἑαυτόν* V, 26 *πρὸς μέν* ait *τὴν αἴσθησιν φυσικὴν οὖσαν οὐ πειρατέον ἀντιβαίνειν*. Meministine eiusdem Crantoris et Epicuri praecepti? u. supra p. 46 et 61.

Excursus XII. (ad p. 119).

Graeci plurimi sunt in eis uerbis praepositione συν compositis quibus significetur complures simul id facere quod simplicis uerbi notione exprimitur; quaecunque autem uerba ad

hoc genus pertinent, absolute (et cum objecto quatenus transitiua sunt) usurpari possunt. Talia sunt — ut ad propositum statim accedam — e. g. *συναλγεῖν, συνάχθεσθαι, συμπενθεῖν, συνδακρύειν, συνθρηνεῖν, συμπάσχειν, συνήδεσθαι,* quibus quae uernacula opponant Romani non uidentur habere. Apud eos enim praepositione con̄ teste exemplorum legione potius augetur et intenditur simplicis uerbi notio. Itaque si complurium in idem agendo societatem indicare uolebant, aut uocem ‘simul’ adsumere aut loquendi circuitu uti cogebantur. Ea uerba quae hac norma non uidentur adstringi, aut graecissant aut omnino labante demum Latini sermonis integritate ingruerunt. Latine igitur nemo commoriebatur cum aliquo, nam Plautus Commorientes suos e graecis *Συναποθνήσκουσι* uortit barbare; nec minus Ter. Andr. 645 ‘Postquam me amare dixi, complacitast tibi’ ad graecum *συνήρεσε* redire uidetur, nisi forte ut Haut. 773 et saepius apud comicos omnino intellegendum est ‘ualde placuit’. Apud Gellium (XVII, 9, 4) uoce ‘complacebat’ uariatur id quod (§ 3) praecedit ‘conuentum est’, i. e. inter eos conuenit. De uno uerbo ‘compascere’ quod et semel apud Ciceronem et in quadam inscriptione adparet, possit dubitari sitne uere Latinum an descendat a graeco *συμβόσκω.*

Nam omnino huc non quadrant cetera quae sunt ‘condicere conspondere compromittere’ (con̄ = inter se), neque ‘consusurrare (semel dictum est graecissanti Terentio in Haut. 473 ‘Syrus cum illo uestro consusurrat: conferunt consilia’) conloqui concinere ‘utpote in quibus con̄ non ‘simul’ sed iterum ‘inter se’ ualeat; neque uero ‘concumbere’, quippe quo uerbo loci, non temporis communitas notetur.

Reliquus grex aduenticius est: ‘commilitare (Flor.), competere (Iustin., Aur. Vict.), complaudere, condiscere (Apul.), conspatiari (Petron.), correcumbere (Tertull.), congaudere conuesci corregnare (Tertull.). — Nunc ad singula.

a) ‘condoleo’ ualet ubique ‘penitus doleo’; u. Plaut. Truc. II, 8, 2. Cic. Tusc. II, 22, 52. de or. III, 2, 6. Hor. Serm. I, 1, 80. Ou. Tr. V, 3, 32. Primus Tertullianus uocem adhibet ad

significandam notionem 'simul dolendi'; de poen. 10: 'Non potest corpus de unius membri uexatione laetum agere: condoleat uniuersum necesse est'.

Idem ualet in raram uocem 'condolescere'.

b) 'conlacrimo' siue 'uehementer fleo'; et ecce Plaut. epigr. apud Gell. 1, 24, 3 (e Varrone):

simul omnes conlacrumarunt.

adde Ter. Andr. I, 1, 82. Cic. Somn. Scip. 1. pro Sext. 58.

c) 'compati' omnino nisi apud Tertullianum (adu. Prax. 29. anim. 5) et apud Augustinum (epist. 40, 6. Confess. III, 2; utrisque locis scil. id quod est 'cum aliquo p.') non legitur.

d) 'conqueri' ubique est 'uehementer queri'. Perperam enim Sil. Ital. VIII, 94 excitatur:

Conqueriturque tibi et sperat responsa remitti

cum hoc loco Anna Didonis soror ad Iuli imaginem questus mittens sperat fore ut ab illa responsum remittatur; igitur non cum eo (ut Forcellinus ariolatur) sed ad eum conqueritur. — Perinde caue ne Pacuu. 365 R. 'simul una enicarier conprecamur' de notione simul precandi cogites. Inpense precantur alter pro altero Pylades et Orestes.

Excursus XIII. (ad p. 120).

Plaut. Stich. 538 'praesente ted apologum agere unum uolo'. Narrat fabulam. cf. 541. 570.

Qui oratorem instituunt, passim 'apologorum uel fabellarum' narrationem ad recreandos defessos auditorum animos commendant: Rhet. ad Her. 1, 6, 10 'apologo, fabula'.

Cic. de inu. 1, 17, 25 'uel apologum uel fabulam'. de or. II, 66, 264 (Caesar de facetiis disserens) 'ad hoc genus... narrationes apologorum'.

Quint. inst. or. VI, 3, 44 'in apologis et quibusdam interim etiam historiis'.

Suet. de rhet. 1 (p. 121 Reiff.) 'nam et dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponere' e. q. s.

Hic quidem locus emendatricem manum desiderat. Nam 'casus' neque 'historiae siue ueri euentus' sunt, id quod Ernestius et Oudendorpius dubitanter statuerunt, recte detrectauit Fr. A. Wolfius, neque uero h. l. possunt intellegi nominum casus per quos pueruli singula uerba declinent uarientque, quoniam non de triuiali disciplina sed de institutione oratoria res est. Atque ut possit per se h. l. de casibus grammaticis cogitari: quis homo sanus audeat coniungere' praeclare dicta per casus et apologos exponere?' Itaque ex eo quod legitur 'casus' elicio quae optime et saepe iuxta apologos ponuntur '*fabulas*'. — Pergo.

Gell. II, 29, 20 'Hunc Aesopi apologum'. Fortunatian. art. rhet. II, 23 (Rhet. Lat. min. p. 115 H.) 'Circa rem quot loci sunt? addunt quidam et apologos, ut sunt Aesopi fabulae'. Mart. Cap. de rhet. c. 49 idem scribit.

Victorin. p. 199 H. 'Apologi sunt ex rebus humilibus compositae quaedam formae ac species ad uiuendum, ut exstat illa de mure et leone'. Iul. Victor p. 399 'apologo, i. e. fabula'.

EPIMETRUM

de

Philodemi περὶ θανάτου libro.

Dum disputatio mea typis inprimitur, nuper a Sigfrido Meklero Philodemi e libro quarto *περὶ θανάτου* quae exstant fragmenta eduntur. E cuius praefatione cum discerem fragmenta illa iam anno h. s. XLVIII in Herculanensium uoluminum collectionis prioris tomo IX ab Octauiano academico Herculanensi edita esse, primum sane aegre tuli quod liber qui ad meum propositum tanti esset momenti prorsus me fugit. Mox tamen ubi ipsam Neapolitani editionem diligenter examinaui, feliciter uertisse inscitiam meam non sine gaudio animaduerti. Etenim, ut omittam academici neglegentiam et ridiculam quandam graeci sermonis ignorantiam, Neapolitanum illud apographum, quemadmodum nunc cognouimus, ab homine qui neque oculos satis intendit et saepe, ut ipse Philodemus ait, in utramque aurem dormiuisse uidetur exaratum est. Quibus subsidiis si usus essem, laborem meum ad inritum cecidisse nunc uidissem. Sed ubi Mekleri editionem paraui, feruore quodam in reliquias illas incubui inuenique eum quem exspectaueram scriptorem qui totus in consolationum materie uersaretur itaque, si quisquam, mihi tractandus esset. Et iam quae disputationi meae addenda essent animo formaueram, cum alterum papyri apographum, Hayterianum dico a Scottio nuper editum[1]), quo ipso ne Mekler quidem uti potuerat Gardthauseni nostri singularis humanitas mihi suppeditauit. Quo conlato et Mekleri apographum parum fidum esse adparuit et multa ad emendandum supplendumque scriptorem apta uerum schedarum habitum ob oculos habenti se obtulerunt, quorum sane complura Dielsium[2])

1) Scott, fragmenta Herculanensia, Oxford 1885 (adpendix).

2) In censura Meklerianae editionis: Deutsche Litteraturzeitung 1886, No. 15 p. 516.

et Blassium[1]) praeoccupasse breui post comperi. — Totius libri *περὶ θανάτου* locos discernere, fragmenta enarrare et commentari adnotationemque criticam adicere in animo erat: quod tanta temporis breuitate non satis accurate fieri posse cum mox intellexissem, quae noua haberem inuenta cum maxime delibanda constitui, cetera non ita multo post deprompturus.

Addendum ad p. 64.

Epicureorum agmen claudit Philodemus Ciceronis temporibus nobilissimus Epicuri sectator[2]), qui praeter plurima alia *περὶ θανάτου* quattuor ut uidetur libros composuit. Is primis III libris de mortis natura in commune disputasse censendus est; quarto, cuius ampla exstant fragmenta, mortis percenset solacia mortalesque adsidue monendo nihil ad eos pertinere mortem omnem eius metum radicitus exstirpare nititur. Ita hic liber quartus proprie dici potest *θεραπευτικός*, quemadmodum Chrysippus operis *περὶ παθῶν* librum quartum (in quo multa consolatoria infuisse supra p. 37 monui) inscripsit; et reputanti mihi quales intercesserint inter Epicureos stoicosque rationes suboritur suspicio haec scripta Chrysippi et Philodemi indole et materiei distributione inter se similia fuisse[3]).

Quanti autem momenti sit Philodemi libellus ad restituendum grauissimum Epicureae philosophiae de morte eiusque solaciis locum facile adparet. Deinde, cum Epicuri doctrinam a sectatoribus paene integram propagatam esse sciamus, in Philodemi *περὶ θανάτου* libro Epicurum quodam modo eiusque consolationes habemus. Itaque uel ideo in restituendis his fragmentis opera ponitur utilissima. Accedit quod uix adhuc tam clara imago neque sermonis philosophi qualis illa aetate uiguerit neque ipsius qua Philodemus usus sit dictionis disputandique rationis uniuersae in lucem prodiit. Qui scriptor quamuis graeco sermone utatur qui haud raro ad infimae aetatis

1) In censura Scottiani operis: Göttinger gel. Anzeigen 1886, 13. Juni.

2) Ascon. in Cic. or. in Pis. 68, p. 14 Kiessl.

3) Chrysippi *τὸν περὶ παθῶν θεραπευτικόν* ipse Philodemus laudat de ir. col. I, 18 sq. Gomp.

sordes accedat, quamuis plerumque tam inplicite tamque inpedite sententias componat et exstruat ut quid dicere uoluerit aegre extricetur: tamen graeci ingenii spiritu et lepore non plane destitutus est. Sed iam quae me quasi in antecessum soluturum esse promisi adiungam.

Primae columnae initio Epicuream cantilenam illam qua magnum solacium in eo ponitur quod sensuum priuatio morte effecta nihil ad nos pertineat, facile eruimus. Post haec sic fere scripsit (u. 7 sqq.): *εὐομολόγητον (δέ ἐστι) τὸ τὴν στέρησιν τ(ῶν τοῦ ζῆν ἀγα)θῶν μετ᾽ ἀναισθησί(ας τελέας ὑ)πάρχουσαν ἄν⟨ε⟩υ πόνο(υ γίνεσθαι* ... cf. Axioch. p. 369 D *ἐμὲ δὲ ἡ στέρησις τῶν ἀγαθῶν τοῦ ζῆν λυπεῖ* et infra col. XVII, 6 *πολλὰ — τῶν ἐν τῷ ζῆν κακῶν*. XXXIX 22 *τελέαν αὐτοὺς ἐπιλαμβάνειν ἀναισθησίαν*. XXVIII, 10 sq. *τῶν ἐκλιπόντων ἀναισθησίαν παντελῆ*. Praedicat autem inpense mortem quae sine ullo dolore contingat, ut Epicureus; cf. V, 2 *ἀπόνως ἀμαυρουμέν(ους τὸ) ζῆν* (Sic enim uidetur supplendum esse) et VI, 12. Incredibile uero memoratu est quam saepe litterae ЄCOΘ in his papyris inter se confundantur, ut si aliam pro alio ponas uix aliquid mutes.

Col. III, 20 sq. *ὅτ(αν | τις αὐ)τῆς* et 23 sq. *ἀπέλα | βε τ)ὸ* ex ΑΠΟΛΛ et 25 (*καὶ ὁ*) *ἄπειρος χρόνος περιεποίη(σε)* de re conl. Diog. X, 145 restituenda uidentur.

Desperandum paene uidetur esse de eis fragmentis quae col. XVI, 2 sqq. exstant. De Dielsii aliquot coniecturis nunc non ago; hoc dico: si e u. 4 sqq., ubi de aliquo malo, fortasse de morte, sermo est, sensum elicere uolumus, u. 5 *κακ(ὸν ἔ)χοι* suppleamus necesse est; ut haec fere existat sententia: ‘quis enim moueatur hoc malo[1]) qui naturalem sequatur instinctum, non uanas sententias aut uoces audiuerit?’[2]) Quod enim Dielsius posuit *κάκ᾽ ἔχοι* neque explicationem habet nec propter lacunae spatium admitti potest.

---

1) Sic intellexi *διαφόρως πρὸς τοῦτο κακὸν ἔχοι*. Contrarium *ἀδιαφόρως ἔχουσι* infra u. 23 adparet.

2) u. 8 *ἀκο(ύσ)ας* recte Dielsius.

Vituperauit Epicurus[1]) eos qui dicerent *κάλλιστον μὲν μὴ φῦναι, φύντα δ' ὅπως ὠκιστα πύλας Ἅϊδαο περῆσαι*; inprobauit igitur principem consolationum locum. Unde certum est etiam Philodemum illam sententiam (de qua dicit XVI, 37 sqq.) detrectasse. Pergit autem col. XVII, 3: *οὐ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γε χαρίεν ὑμνολογεῖν ὅτι διὰ ταῦτ' οὐχ αἱρετὸν νέους τελευτᾶν, ἐπειδὴ πολλὰ συναποίσονται τῶν ἐν τῷ ζῆν κακῶν.* Tenemus manifestum librarii errorem: in aperto enim est u. 4 *οὐχ* delendum esse. Inpugnat Epicureus, ut dixi, eos qui aut omnino non nasci aut natum quam celerrime mori censeant optimum esse, non eos qui expetendam esse inmaturam mortem negent. Accedit quod seruato illo *οὐχ* etiam insana fit sententia, si quidem insani est dicere ideo lugendam esse adulescentis mortem, quia is multa ex multis illis uitae malis secum auferat, i. e. effugiat. Etenim hoc est talis mortis solacium. Valet autem ‘effugere’ *συναποφέρεσθαι* ut Alciphr. epist. III, 3, 13 Mein., ubi Menander fingitur scribens ad Glyceram: *ἀποθνήσκων τὰς μὲν λύπας ἐμαυτῷ συναποίσω.* Verum me in eis quae principio sumpsi non errasse inde omnino comprobatur, quod in eis quae statim secuntur (u. 6—13) illam sententiam reapse refutare studet Philodemus quodque eandem illam sententiam iam supra repudiauit cum scriberet (col. XIII, 13): *σιωπῶ γὰρ ὅτι πολλάκις πολλοῖς τῶν ἀφρόνων τὸ νέους τελευτῆσαι λυσιτελέστερον φαίνεται.*

Deinde antithesin quam (XVII,) 9 sqq. ponit *εἴ τ' ἔνιοι τοῦτο μὴ πείσονται — ὅσοι δὲ πείσονται* uidetur continuasse duplici quaestione u. 13 sqq. *(πό)τερα — (ἢ)*. Illud quidem post *ῥᾶιον* uidetur scribendum; u. 16 *ὡς δ'(ἔνι)οι* aut *ὡς ἄ(λλ)οι ἔφησαν.*

Ad beatam uitam, i. e. ad summum bonum percipiendum quodlibet breue tempus (*ἐν ποσῷ χρόνῳ τὸ μέγιστον ἀγαθόν*) sufficere Philodemus col. XIII, 4—13 multis uerbis docuit. Attamen *νοῦν ἔχοντος ἀνθρώπου* esse *ὀρέγεσθαι προσβιῶναί τινα χρόνον, ἵνα — πᾶσαν ἀπολάβῃ τὴν οἰκειοτάτην διαγωγήν*

1) In epistula ad Menoeceum, Diog. X, 126.

col. XIV, 2—10 longis ambagibus praedicat. Eiusdem sententiae fragmentum habemus col. XIX, 1 sqq., sic sanandum: *νῦν (δὲ σο)φῷ γενομένῳ καὶ ποσὸν χρόνον ἐπιζήσαντι τὸ μέγιστον ἀγαθὸν ἀπείληπται.* Hoc conieceram, cum in *o* reuera litterae ○ ante ΦΩΙ certum uestigium exstare uidi; simul editoris coniectura *κυφῷ*, omnino non a recta cogitatione profecta ea quidem, concidit.

Col. XX, 3 Philodemus ad eam partem transit qua demonstrat perquam stultum esse qui mortuo se maleuolos homines gauisuros esse doleat. *πάντες*[1]) (scil. mortui) *μὲν γὰρ οὐκ ἐπαισθήσονται τῶν ἐπιχαιρόντων ἠ(ρμ)ένο(ι) τελέως*, i. e. 'quia toti de medio sublati sunt'. Perinde infra XXXVII, 7 stultum aliquem hominem moriendum sibi esse indignantem audimus his uerbis: *ἐγὼ μὲν ἐκ τῶν ζώντων αἴρομαι κτλ.* cf. XIX, 30 *ἐξαιρ)ούμενος ἐκ τῶν ὄντων.*

Col. XXII, 12 sqq. sententiam sagacissima mente diuinauit Gomperzius in adpendice editionis; u. 13 tamen minus recte *διατηρεῖσθαι τ(οὔνομ)α* proposuit. Etenim nulla mutata littera *τὠ(νόματ)α* restituitur, id quod uel commendatur u. 15 ubi idem uerbum plurali numero adhibetur: *τ(οῖς αὐ)τοῖς* [sic Gomp.] *(ὀνό-μασι προσαγο(ρευο)μ(έν)ων.*

Col. XXIII, 1 sqq. pertinent ad eum locum quo philosophus arguit stultum esse qui maereat quod moriens liberos non sit relicturus (XXII, 9—XXV, 2). Inter argumenta erat hoc: ipsis liberis non opus esse ei qui mortuum se coli honorisque compotem fieri cupiat. Cuius rei testes optimos esse Polyaenum Metrodorum Leonteum Epicurum et omnes Epicuri sectatores atque adeo multos homines priuatos qui mortui ab amicis beneuolis[2]) omni honore ornati sint. — Recte igitur M. duce apographo Oxoniensi posuit u. 4 *κη)δεμόνων*. Sed non minus certo u. 1 *(κη | δ(ε)μόνων* restituendum est, ita ut litterae KH ad antecedentis columnae extremum uersum pertineant qui omnino non plenus erat. Nam quod M. euanido quodam ductu in *o* deceptus *δ(α)ιμόνων* scripsit, et repugnante lacunae spatio, quod

1) *πάντες*, de quo dubitat M., optime se habet conl. XXX, 15 *λήθῃ τοῦ πάντας ἁπλῶς ἀναισθητεῖν.*

2) u. 11 sq. *φί(λ)ων ἀξιολό|γως (εὐν)οησάντων* recte Dielsius.

non potest continere litteram Λ, et inuito sensu fecit. Quid uero tandem huc daemones? — Idem u. 8 *ἀτ . . ν* inprimi iussit et in adparatu critico nequaquam id adpinxit quod in *o* exstat. Nam in *o* fere hoc adparet ΛΠC . N (quamquam alteram litteram reapse non Π esse e comparatione ductuum huius papyri certissimum est). Octauiani autem illud *ἀγωγήν* et editoris *ἀγέλην* uel propter spatii rationes inrita sunt; huius coniecturae etiam obest quod *ἀγέλη* de philosophi schola perinde ac latine 'grex' nisi cum quadam inrisione non usurpatur. Peruulgata sunt Horatiana illa 'Epicuri de grege porcum'[1] et 'Chrysippi porticus et grex'[2]; et ne Cicero[3] quidem absque ioco 'philosophorum greges' scribit. At Philodemum h. l. de propria schola iocari quis censeat? Epicteti uero locus ad quem M. nos delegat cum nostro nil rei habet. Restat ut illi reddamus *αἵρε(σι)ν*. Hac uoce qua proprie philosophorum sectae denotantur e. g. Antigonus Carystius (Athen. XIII, p. 565 D) de Aristippi schola utitur; nec Romanis haec uox non in usu erat.

Post longam disputationem nunc amissam, qua arguere uoluit stultum esse qui moribundus orbitate sua doleat, scriptor col. XXIII, 36 clausulam adnectit sic supplendam: *συνελὼν (δὲ....) λέγω διότι (κατ)αλειφθέντων ἢ μὴ καταλειφθέντων ἐγγόνων — οὐδὲν ἔσται πρὸς ἡμᾶς κτλ.* Sic integram simul structuram habemus: nam *διότι* e Philodemi usu (quem exemplis inlustrauit Sauppius ad Philod. de uit. § 27, p. 28,4) h. l. ualet *ὅτι* s. 'dasz.' Accedit ex hoc libro exemplum quod exstat XXXVI, 32. Ceterum quod in uerbi *καταλειφθέντων* praepositione Τ cum Π inmutata est, factum est ut compluriens in his papyris et, ut uidetur, in eodem uerbo XXV, 14.

Sed nè parua contemnantur, col. XXV, 38 perperam *ἐ)ὰν* posuisse editorem adnoto; fuit *ὅταν* teste certo litterae Τ uestigio. cf. XXXII, 2. — Ibidem incipit locus qui est 'de morte in peregrina terra'. Talia fere scripsit: Si quis peregre degens parentes aut alios cognatos relinquit, hoc si pungit animum satis est; magnum luctum ne illud insuper addat ad difficultates quae per se peregre degentem secuntur. Tum in

1) Epist. I, 4, 16. 2) Sat. II, 3, 44. 3) De or. I, 42.

papyro legitur: *κατὰ μὲν τὸ συνέχον ὅτι πρὸς ἡμᾶς οὐδ' οὗτός ἐστιν ὁ θάνατος καθόσον θάνατος ἄτε μηδενὸς ἐπαισθησομένους, οὐχ ὅτι τοῦ κεῖσθαι τὰ λείψαν' ἡμῶν ἐπὶ ξένης.*

Quae suprascripta sunt uerba editor ante *ἄτε* inseruit. Sed totum enuntiatum mire conruptum est neque ullam sanam habet interpretationem. Ut paucis dicam: et illud quod post *συνέχον* legitur *ὅτι* et supra scripta illa uerba expellenda sunt ut sana euadat haec sententia: 'nam, id quod maximi momenti est, ad nos ne haec quidem mors pertinet utpote nihil, nedum reliquias nostras peregre iacere sensuros'.

Si quid in editore ceteroqui de libello bene merito reprehendendum est, hoc est quod certa Buecheleri[1]) inuenta complura Philodemi cum detrimento siue neglexit siue non satis perspexit. Quae quidem partim ita in propatulo iacebant ut et Buecheler tacitus ea posuerit et ego in prima lectione in margine adnotauerim. Primum exemplum exstat in loco difficillimo qui nisi omnia fallunt adeo emendatricem manum desiderat. Col. XXVII, 34 [*κἀκεινο* e. q. s.] locum 'de mortis indigno genere' adgreditur Philodemus quo nihi interesse quo modo quis e uita decedat stultis hominibus persuadere uult (usque ad XXX, 7). Non, inquit, animum perturbare debet, quod multi antiquitus indignam adepti sunt mortem. Insani uero est dictitare: recte eum angi qui subductae nauis instar in lectulo aniculae in modum, non post magna facinora posterisque celebranda sese aliquando moriturum esse apud animum suum proponat[2]). *ὡς γάρ*, pergit u. 5, *ἐν Ἅιδου προτιμηθησόμενοι — οὕτως ἔχουσιν, ὑπὸ τῆς ἀδιαληψίας ἐπιλανθανόμενο(ι τ)οῦ*[3]) *ποτε κατακρείνειν τῶν ἐκλιπόντων ἀναισθησίαν*

1) In coniectaneis quae in Mus. Rhen. uol. XV (1860), p. 289 sqq. scripta sunt.

2) Ad perspiciendum hoc specimen Philodemeae eloquentiae (XXVIII, 1—5) opus est ex antecedentibus sententiam sic quasi supplere: *εἰ δὲ τὸ νενεωκλημένον — τρόπον ⟨τελευτῆς τυγχάνειν⟩, ἀλλ' οὐχὶ — τραγῳδεῖν, ⟨ἐνοχλεῖν λέγουσιν⟩, ἀποπληξία — ἐστίν.*

3) Sic pridem Buecheler l. l. p. 295 suppleuerat. Et duarum litterarum lacuna certo ut nihil supra cernitur in papyro. Quod M. scripsit *οὔποτε* nullam admittit interpretationem.

παντελῆ καὶ διὰ τοῦτο τοὺς αἰκιζομένους τὰ λείψανα κωφὴν γαῖαν ἀεικίζειν μενεαίνειν λέγοντες.

Unum extemplo apertum est: adhiberi ad exstinguendum illum dolorem ueterem illam de mortuorum perfecto torpore cantilenam. Sed qui porro nos hinc expediamus? Quid est *κατακρείνειν*? Nequit esse, quod alias est, 'damnare': nam illi qui a Philodemi inpugnantur nimirum non neglegunt (*ἐπιλανθάνονται*) damnare illam Epicuream sensuum priuationem, sed contra utpote Epicuri aduersarii acerrime detrectant. Pergo. Eidem illi stolidi homines (u. 12 sqq.) hac de causa eos qui cadauera foedant brutam terram foedare studere dicunt? Quid? Illi stolidi, paulo supra aduersarii Epicuri, subito tam recte, ita cum Epicuro sentiunt? Et hac de causa? Hic haeremus. — At illi fortasse re uera obliti damnare sensuum priuationem, puta non damnantes, scelestos illos brutam terram foedare rectissime concludunt. — Itane uero? Vide ne sic tota sententia conlabatur. Nam ei qui accipiunt illam sensuum priuationem, quo modo tandem eidem in Orco honores sese adsecuturos esse possunt sperare, quemadmodum paulo ante dicuntur sperare? Non enim sperarent, si illud cum Epicuro censerent; nedum sperent quia illud censent, sicut nunc legimus. Incurrit in oculos totius argumentationis insania.

Et primum aliquid profecerimus, si *κατακρίνειν* ad iudicandi uel censendi notionem delapsum esse perspexerimus[1]). Sic iam habemus quem exspectamus Epicuri aduersarium qui sensuum priuationem perfectam statuendam esse pro uanitate sua inmemor sit. Dein, ne sequentia tamen contra pugnent, aut pro eo quod in papyro est *λέγοντες* uerbum quod negationem in se contineat postulandum aut aliqua ratione enuntiati membro quod a *κ.. διὰ τοῦτο* (u. 11 sqq.) incipit negationem inserendam esse dicemus. Et facile quispiam *κ(οὐ)* supplendum esse suspicetur: quod propter magnum spatium quod sic inter *οὐ* et *λέγοντες* artissime coniungenda intercederet auersor.

1) Unum fortasse possit conferri Pind. frg. 149 [116] B. (*Ἀπόλλων*) *κατεκρίθη θνατοῖς ἀγανώτατος ἔμμεν*; quae uerba ita possunt explicari ut maxime benignum erga mortales Apollinem iudicatum esse dicatur.

Hoc autem — ut comprehendam quae disputatione uideor enucleasse — uoluit Philodemus: ‘tamquam in Orco honores adepturi sint — ita se gerunt, quoniam perfecti mortuorum torporis obliti non intellegunt (siue negant) eum qui cadauer foedet brutam terram foedare studere’. — Eandem ad amussim sententiam cum eadem argumentatione (perspecta quidem prioris partis inmani uerborum structura) infra col. XXX, 11 sqq. leges: ‘Peruulgata enim opinio est[1]), tamquam apud inferos eis, qui in uita nobiles fuerunt, gloria, eis qui ignoti, obscuritas contingat, *λήθῃ τοῦ πάντας ἁπλῶς ἀναισθητεῖν, μᾶλλον δὲ μηδ᾽ εἶναι, καὶ τοῦ τῶν εἰς τὰς ταφὰς*[2]) *τὰ μὲν αὐτοῖς συγκατακάεσθαι, τὰ δὲ συνταφέντα* (lacuna sequitur XIII fere litterarum qua talia fere deuorata sint: *πάντα ὀλίγου χρόνου*) *κονιορ(τοῦσθαι . . .*’ Sic enim haec uerba distinguenda et supplenda erant. Adparet illud *λήθῃ τοῦ πάντας ἁπλῶς ἀναισθητεῖν* respondere eis qui illo loco leguntur *ἐπιλανθανόμενοι τοῦ ποτε κατακρείνειν τῶν ἐκλιπόντων ἀναισθησίαν παντελῆ*. — Restat ut memoriam Philodemi conrigam, qui extremis uerbis Apollinis Homerici (Ω 54) de Achille Hectoris corpus trahente dictum

κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων

uerbi *μενεαίνειν* non irascendi, ut Homerus, sed alteram illam studendi uel cupiendi notionem usus uidetur esse. Aliter scripsisset *μενεαίνοντας*.

Col. XXX, 1 sqq. scripsit editor (*πάν*)*τες ἅμα τοῖς ὡς Μίλων εὐσάρκοις ὀλίγου κτλ.* At in papyro teste *o* clarissime exaratum est ЄΥCΑΡΚΟΙΟΛΙΠΤΟΥ, unde ni fallor recte haec statuitur structura: *πάντες ἅμα τοῖς ὡς Μίλων εὔσαρκοι — σκελετοὶ γίνονται* cum breuiloquentia Graecis non inusitata, qua

---

1) Hoc enim ualet id quod est *καταφερομένων γάρ ἐστιν*, ut supra XXVII, 8 sq. *ἐστὶ καὶ τοῦτο καταφερομένων ἐπὶ τὰ κατὰ τοὺς μύθους* — u. 14 *τὸ πανταχόθεν κτλ.*

2) Ad uerba *τῶν εἰς τὰς ταφάς* supplendum (horribile dictu) quale est *συγκατατιθεμένων*. Paulo ante *καὶ τοῦ τῶν* distinguendum est ut sit quomodo infinituus *συγκατακάεσθαι* pendeat e uerbo *λήθῃ* (*λήθῃ τοῦ — ἀναισθητεῖν — καὶ τοῦ — συγκατακάεσθαι*).

post *Μίλων* id quod est *εὐσάρκοις* quasi subauditur. — Hic locus iam ad eam libelli partem pertinet qua 'nullius momenti esse quid fiat corpore post mortem' argumentis uere Epicureis eisdemque peruulgatis euincitur (XXX, 7—XXXIII, 36). Eodem pertinet locus quo ipse librarius uno uerbo omittendo peccauit, dico col. XXXII, 2 sqq. Ibi ne eum quidem qui cogitet fore ut se mortuo corpori sepultura denegetur doliturum esse contenditur. Inserendum igitur est u. 5 ante *τυχεῖν* uox *ταφῆς*, non modo subaudiendum ut opinor; nam licet euanuerint magna ex parte quae scripta olim fuerunt exstrema columna XXXI, tamen in uicinia illa uox non legitur unde possit lector arcessere. Accedit quod infra u. 18 eadem legitur elocutio: *ἀλλὰ δὴ καὶ μυρίοι — ταφῆς οὐκ ἔτυχον.*

Mox u. 29 sq. *τοὺς περιεσταλμένους καὶ τοὺς ἀτάφους* sibi opponi, quamuis in papyro (librarii an ignis culpa incertum) ΥCΙC | . ΑΦΟΥC clarissime sit scriptum, ipse editor perspicere poterat[1]). Nam nil reapse aliud potest scripsisse Philodemus, id quod nuper iam Blassium l. l. monuisse uideo.

Hinc (inde a u. 31) id agit Epicureus ut expellat metum eius mortis generis quod unum omnium *φρικωδέστατον* censebant ueteres, mortem dico quae in mari contingat. Haec nimirum Epicureorum cateruae grata erat arena in qua principis famosas exercerent doctrinas. Itaque nihil prorsus interesse utrum quis lacu uel fluuio an mari mergatur, utrum piscibus cibum praebeat corpus an terra conditum uermibus conficiatur uel supra terram 'flammis interfiat', non sine quadam festiua inrisione increpantem audimus Philodemum nostrum qui h. l. cum Lucretio mire concinit.

Sed ut dicam quod nunc dicendum est: illa quam modo adumbraui narratio non continuo uersuum ordine decurrere sed duorum uersuum lacuna interrumpi uidetur; nam post u. 37 in col. XXXII fuisse uidentur duo uersus de quorum altero superstites sunt litterae Α̣ . ΑΘΟΝ quod est *ἀγαθόν*[2]). Sic

1) Quod ipse dubitanter coniecit *τοὺς εἰς τάφους* omnino sensu caret, quoniam ipsum contrarium flagitatur.

2) Col. XXXII M. = p. XXXIII Scott. Inter XXXVII et XL uersuum

sane inferiore margine columna careret, quamobrem ut opinor M. illud uerbum forte fortuna adscriptum esse maluit adnotare. Quod factum esse cur statuamus non uideo. — Idem est argumentum totius quae sequitur columnae. Ibi inde a u. 23 id agit ut increpet eos qui non *δι' ἀναγκαίας χρείας* sed uel scientiae cupiditate uel auaritia permoti uel alia quadam de causa (de qua nunc quaestio est) omnino mare temptent. Scribit autem sic (u. 23): *τί γὰρ δεῖ λέγειν τοὺς ἀπὸ φιλομαθίας ἐπαναγομένους ἢ τοὺς ἕνεκα συνήθων πλέοντας (τά)φου; (ἐ|κεί-νους μέντοι νὴ τὸν Δία καὶ ψέγειν (καὶ)* [1] *κακοδαιμονίζειν φυσικόν κτλ.* — Sic optime opinor u. 25 suppleuerat Mekler, post quem cur Gomperzius eiusque inscius Blassius maluerint *πλέοντας (σο)φούς)* haud adsequor. Concedendum sane est utrumque posse suppleri, quippe quia in extremis uersibus de unius litterae spatio uix quidquam potest statui. Sed quam displicent illi *ἕνεκα συνήθων πλέοντες σοφοί*! Quanam de causa nauigantes? Cur tandem sapientes potissimum inducuntur nauigantes hac potissimum de causa! Quid est familiarium causa nauigare? Quales uero dicit sapientes? Scilicet Epicureos. At qui cogitari potest Philodemum sapientibus suis id inputare quod ualde uituperandum esse statim clamat? Quinam mihi iste est sapiens qui omnino ut faciat quod uituperatione obnoxium sit ab animo suo inpetret? Procul hinc abeant isti *σοφοί*. Contra quam apte h. l. homines familiarium sepeliendorum gratia nauigantes commemorantur! Antiquissimus ueterum mos erat peregre mortuos cremare cineremque eorum urnis in patriam reportare [2]). Proinde humanissimus fuit Ouidius [3]) cum oraret:

---

in singulis columnis numeros fluctuat, ita tamen ut tantum XXXVI uersus habeant columnae XXIV et XX (= p. XXV et XXI Scott), XXXV uero col. XII (XIII Sc.). — In col. IX (X Sc.) fragmento fugit editorem ultimus i. e. uigesimus alter uersus de quo littera Δ superest.

1) *καὶ*, non *ἢ* supplendum esse uidit Blassius.

2) Sic Tzetz. ab Lycophr. 367. Nubem locorum congessit Meursius, de funeribus c. 39, qui cui non sufficiunt adhibeat K. Fr. Hermanni opus quod inscr. Lehrbuch d. gr. Antiquitäten[4], IV, p. 365, 1. 374, 3.

3) Trist. III, 3, 65.

Ossa tamen facito parua referantur in urna
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Et quis inmemor est Catullianae pietatis cui sublime carmen epicedion debemus quo testatur ipse:

Multas per gentes et multa per aequora uectus
Aduenio has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis e. q. s.?

Quam pulcherrimam pietatem Epicureus ut inutilem censet uituperandam. — Voce *φυσικὸν* sententia qua de illis hominibus iudicat philosophus manifesto clauditur; tum scripsit editor *ἢ τοὺς κτλ.*, perperam, quia ante H unius minimum litterae spatium est. Item frustra fuit Blassius quod proposuit *φυσικὸν ἤδη, τοὺς κτλ.*, et propter spatii indolem duarum latissimarum litterarum haud capacis et propter uerborum structurae atque sententiae labem. Ego, si spatium sufficeret, scriberem: *φυσικόν. τί δὴ τοὺς — βυθιζομένους;* namque certissimum est hic nouam sententiam incipere qua nouum nauigantium genus inducatur de quo infra u. 30 sqq. iudicat: *ἀλλὰ τὸ ζῆν οἰκτρὸ(ν ὄν)τως*[1]) *αὐτῶν, οὐχ ὁ θάνατος κτλ.* — Sed res ita potius expeditur. Enuntiatum illud u. 25 *ἐκείνους μέντοι — φυσικόν·* interponitur *παρενθέτως* inter id enuntiatum quo prius nauigantium genus describitur (u. 25 *τί γὰρ δεῖ λέγειν τοὺς — τάφου;*) et id quo alterum adiungitur (u. 27 *ἢ τοὺς διὰ φιλοκερδίαν — βυθιζομένους;*), ita ut accusatiuus *ἢ τοὺς — βυθιζομένους* trans illam intercapedinem respiciat ad id quod supra legitur *τί δεῖ λέγειν.* Tum de illo altero genere satis concinne statim, ut supra de priore, u. 30 sqq. iudicatur. En Philodemi eloquentiam! Nunc illud spatium quod u. 27 post *φυσικόν* et ante *ἢ* in papyro esse supra dixi, et illud quod u. 25 post *τάφου* reapse uidetur fuisse, interpunctionis loco a librario factum esse recte statuemus. Qualia spatia constat complura in his papyris adparere.

Quae deinceps inter u. 31 inde a uerbo *ὅτ'* et u. 36 leguntur, sicut M. scripsit, item uerba sensu destituta sunt. Ea

1) *ὄντως*, non *οὕτως*, supplendum uidetur.

nec Blassius omni ex parte emendare potuit neque ego nunc possum; quare miras papyri scripturas accurate exhibere satis habeo: u. 31 sq. ΟΤΟΥΚΕΙCΓΑ . . | Δ . Δ . . ΑΓΚΑ . . C, ubi plane absonum est ni fallor *ὅτ᾽ οὐκ εἰ(σίν. τῶν | δὲ* quod suasit Blassius. u. 33 sq.

CΥΝΚΥCΙΝ . | ΤΩΝΟΥΔΕΓΕΡ . . ΑΛΛΩCΓΕ,

ubi Blassii *οὐδέτερ(ο)ν* ‘i. e. nec *τὸ ζῆν* neque *ὁ θάνατος* horum hominum *οἰκτρόν ἐστι᾽*, ut de obscura sententia taceam, ne Philodemo quidem ausim inputare. — u. 35 sq. optime Blassius *ἐν θαλ(άτ | τηι* cognouit et uersuum 35 et 36 sensum reduxit.

Iniustam quoque mortem solacia sua habere inde a col. XXXIII, 37 usque ad col. XXXV, 34 demonstraturus Philodemus praemittit habere quodam modo ueniam, si quis maereat quod uelut olim Palamedes Socrates [1]) Callisthenes e uita decedere ui cogatur. Quod quidem sapientibus uiris perquam raro accidere, quia hi neque quod tali morte dignum sit committant neque omnino cum hominibus scelestis rem habeant. *ἀλλ᾽ ἐπειδήπερ οὐκ ἀδύνατον, ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπὶ τῶν μὴ τελείων τοῦτο συνκυρῆσαι, τὸ μὲν ἀδήκτως ἔχειν κατὰ πᾶν οὐ ῥάιδιον κτλ.* Sic habet papyrus, et sic scripsit, id quod satis mireris, editor. Nam haec uerba inmane quantum insana esse, facile autem inserendo uoculam *οὐκ* ante *ἐπὶ* u. 10 sanari paulo diligentius haec legentem uix fugere potest. Adde quod Buecheler l. l. p. 294, cum totum locum (XXXIV, 1—15 init.) exscriberet, sic conrexit, nisi quod praepositione *ἐπί* nescio qua de causa omissa exhibuit *ἔτι δὲ μᾶλλον οὐ τῶν μὴ τελείων κτλ.* Res est certissima, nisi forte quis negationem *οὐκ* ante *ἀδύνατον* positam hucusque ualere nobis persuadeat. Verum ut ad Philodemi disputationem reuertamur: si quis iniustam mortem perpessurus sit, eum non omni quidem morsu liberum fore sed mediocriter perturbatum talibus meditationibus adhibitis prorsus fortiter casum toleraturum esse contendit (XXXIV, 12 sqq.). Etenim si quis propter turpia facinora mortis con-

1) Quid rei sit Palamedi cum Socrate supra p. 24 sqq. pluribus exposui. Quam igitur lepide eidem in eadem causa a Philodemo iuxta ponuntur!

demnetur, eum infelicem quidem esse, sed quia uiuens perpetuo poenam metuat, non quo ei mortuo propter infamiam quam contraxerit male sit futurum. — Nimirum huic homini scelesto eis quae secuntur sapientem opponit, quem, cum insontem se necari sciat, dolorem sane sensurum dicit, non autem nec per se nec propter hominum existimationem mortis genus turpe putaturum esse, praesertim cum neque omnes neque multos sic iudicare sciat.

Haec igitur sententia (cuius singula uerba restituere frustra uidetur nisus esse Blassius) inde a uersu 21 usque ad u. 34 patuit et, ut par est, eodem modo quo sententia cui opponitur (u. 15 *ὅταν μὲν γάρ τις — ἔνοχος ὢν — τυγχάνῃ —, ἄθλιοι ἔσονται* —) exstructa erat. Atque initium (u. 21) quidem *ὅταν δέ τι(ς* [1]*) ζήσας) καλῶς καὶ παντὸς σπ(ίλ)ου καθαρῶς* [2]*) κτλ.* certo refingitur. — Versu autem 34 sic pergit: ‘et si omnes eius mortem turpem censerent, ipse, dummodo uitam integram et beatam..... nec sibi soli illud accidisse meminerit: tali casu non perturbabitur’.

Lacunam supra in paraphrasi indicaui, de qua explenda nunc paucis. Exstant u. 37 haec:

ΑΝ . ΠΙϹ . . Ε . . ϢϹ [3]) e. q. s., e quibus ni fallor necessario hoc uerbum restituitur: *ἀν(ε)πισ(τρ)έ(πτ)ως*. Sic prodit et elocutio uere Philodomea (*ἀνεπιστρέπτως ἔχειν τινός*. cf. XXXVII, 5) et sententia apta: nempe molestis illis bestiolis, quas cum locustis et uermibus componit comicus poeta [4]), ad-

---

1) Haec e papyri ductibus eruenda erant; sed nec lacunam recte mensus est Mekler. Ceterum cf. XXXV, 39 *ἐὰν δέ τις εὖ βιώσας κτλ.*

2) Hoc recte uidit Blassius, cuius e ceteris coniecturis uel propter spatii rationem cadit ea quam fecit u. 24 sq. *εἰς τύχην τοιαύτην ἀχθείς*, si quidem u. 25 ΤΗΝΑ . ΧΘΕΙϹ exstat. Pariter cadunt quae M. u. 27 extr. et 28 in. suppleuit, quia u. 28 . ΝΑΠ . . Οι legitur.

3) Post prius Ϲ uestigium litterae Α adparere uidetur. Sed haec h. l. uix reuera potest scripta fuisse.

4) Nicoph. frg. 1 (Com. II, 848 M. = I, 775 K.)

Ἅπερ ἐσθίει τοντὶ τὰ πονηρ’ ὀρνίθια,
σέρφους ἴσως, σκώληκας, ἄκριδας, πάρνοπας.

simulantur maledici homunciones, ad quorum ludibria uelut culicum susurrum sapientis beatam uitam Philodemus ait non respecturam esse. Quales uero *σέρφους* illos dixerit quod nequiui indagare aegre fero: *ἀττέρους* (de quo Gomperzius cogitauit) certe nec uoluit nec potuit dicere. — Tum argumentum illud omnium scholarum consolatoribus tritum ‘non tibi hoc soli’ proferentem supra feci Philodemum; et quod eodem redeat legimus apud Meklerum u. 38 *καὶ οὐ μόνον αὐτὸν ἐνκεκυρηκέναι*, nisi quod *αὐτὸν* conrigere opus est. Quamquam, cum apographorum ductus non satis siue aestimaret siue intellegeret, ueram scriptoris manum non restituit. Sic enim fuit testibus *o* et *n* scriptum olim in papyro: ΚΑΙΤΟΜΟΝΟΝΑΥΤΟΝ [1]); unde conrecta librarii neglegentia ΟΥ post ΤΟ omittentis Philodemi uerba *καὶ τὸ ⟨οὐ⟩ μόνον αὐτὸν ἐνκεκυρηκέναι* repetimus [2]). Hanc fuisse eius sententiam inde euincitur quod quae statim secuntur *καὶ γὰρ μυρίους οἶδε καὶ τῶν ἐπιφανεστάτων φθόνῳ καὶ διαβολῇ περιπεσόντας κτλ.* huc necessario spectant.

Ex his uadis uixdum expeditis nobis in conspectum ueniunt horridi scopuli, quos si minus possumus tollere, certe, noti ut fiant, explorare debemus. Philodemus postquam iniustos illos iudices per totam uitam scelerum conscientia uexari et interdum etiam ab aliis castigari (col. XXXV, 6—11) narrauit, adiungit uerborum comprehensionis quoddam monstrum quod inde a u. 11 usque ad u. 25 in. patet. Cuius sententia usque ad medium uersum 17 bene se habet; pariter quae inde a u. 19 med. usque ad periodi finem leguntur explicationem admittunt: de eis quae inter has duas quas distinxi partes exstant quid sibi uelint quaeritur. Dixit autem talia fere: ‘equidem miror esse qui in summis malis censeant damnatum esse, non ab hominibus bonis, sed a pessimis uel potius beluis; miror, inquit, si eidem beate uixisse et uicturos esse existimant pessimos illos homines (*τοὺς παμπονήρους μέν*), *ἀπολυομένους δὲ διαβολῶν ἢ μηδόλως δια-*

1) Littera Ι post ΚΑ etiam in *ο* deest, in quo ante ΟΜ certissimum litterae Τ uestigium superest quod Neapolitanum fugit.

2) Subaudiendum esse (*τῇ τοιαύτῃ τύχῃ*) *ἐγκεκυρηκέναι* uix opus est adnotare; quam elocutionem uide XXXIII, 33 et XXXV, 40.

βαλλομένους παρὰ τοῖς τοιούτοις, sed id quoque miror[1]), si illi negant etiam sapientissimorum hominum uitam miseram esse, si quidem ei qui scelestis illis[2]) obnoxii fiunt miseri sunt, quoniam fore ut sibi quoque simile quid accidat[3]) mente praesentiunt'.

Vides optimam euasuram esse sententiam, si u. 17 commate post *παμπονήρους* posito statim sequerentur *ἔτι δ' εἰ μὴ νομίζουσιν κτλ.* (u. 19); dein membrum illud *ἀπολυομένους δὲ — τοιούτοις* (17—19), quod uidelicet eis quae sunt — *τοὺς παμπονήρους μέν* respondet et ex eodem uerbo *ἡγοῦνται* (u. 15) non potest non pendere, praedicato suo carere. Quod quidem restitueris, si spatium illud duarum litterarum quod u. 19 inter *τοιούτοις* et *ἔτι* iacet uocula *μή* expleueris[4]).

Restat ut concludamus Philodemum *ἀντιθέσεων* amantissimum, cum scripsisset illud *παμπονήρους*, adglutinando uerba quae sunt *μέν*, *ἀπολυομένους δὲ — τοιούτοις* de sententiae salute securum libidini suae indulgere quam statim adiungendo *ἔτι δ' εἰ μὴ κτλ.* sano stilo uti maluisse.

'De praemeditatione malorum et mortis' festiuum consolationum locum Philodemus inde a col. XXXVI uersu 37 exponit. Cuius loci initium inmedicabili uulnere truncatum hanc fere sententiam exhibuit: 'plerique, si mors in conspectum uenit, inter grauissima et quae sibi unice curae sint negotia opprimi sese clamitant; uelut senex ille tyrannus urbe amissa turpi dolore adfectus, quod sibi moriendum sit, priusquam illam recuperare possit (— XXXVII, 3)'. Tum u. 3—10 duo homines instantis mortis timore eiulantes inducuntur, quorum utriusque in uerbis distinguendis editor errauit. Prioris enim clamor iam a uerbis *εἰ τοῦτ' ἐπιδὼν* incipit; deinde nulla dumtaxat mutatione pro *ἀπέθνησκεν* scribendum est *ἀπέθνησκον*. Etenim

1) Nempe *ἔτι δὲ (θαυμάζω) εἰ* intellegendum est.

2) u. 22 *τοῖς τοιούτοις* spectat ut paulo ante *παρὰ τοῖς τοιούτοις* (u. 19) ad scelestos illos iudices.

3) Scilicet ut re uera ab illis necentur.

4) Hoc spatium non indicauit M.. Structura autem haec est: *ἡγοῦνται μακαρίως βεβιωκέναι — τοὺς παμπονήρους μέν, ἀπολυομένους δὲ — μή.*

exclamationis protasin indirecta quam dicimus oratione (*εἰ — ἀπέθνησκεν*) praemissam esse, directa sequi apodosin (*οὐκ ἂν ἀπεστρεφόμην* cogitari nequit. — Mirifice uero lapsus idem est in distinguendis alterius uerbis. Posuit enim inductus loco quodam alienissimo[1]) u. 8 post *πολλάκις* comma, cum artissime cohaereant uerba *καὶ πολλάκις ἀγαθὰ τοσαῦτ' ἔχων*, quippe quibus superbus iste et stolidus homo multo plura bona se habere gloriatur; multo plura scilicet quam *ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα* quem sibi superstitem duraturum esse indignatur. In elocutione autem *πολλάκις τοσαῦτα* (nam haec uerba coniungenda sunt) non debuit offendere, si quidem Plato[2]), ubi Cephalum facit dicentem *ὁ μὲν γὰρ πάππος — ὅσην ἐγὼ νῦν οὐσίαν κέκτημαι παραλαβὼν πολλάκις τοσαύτην ἐποίησε*, plane eadem utitur.

Haec non ita difficilia editorem fugisse eo magis miror quod a Buechelero utrumque locum olim, uerbo sane non addito, recte constitutum esse uideo. — Qua data occasione reuertor ad locum in quo restituendo et explicando recta membrorum distinctione aliquantum proficimus. Hic quoque eodem quo Buecheler deueni, hic quoque Mekler eum neglexit. Dico autem col. XIX, 1—9, ubi haec narrantur: 'ei qui sapiens factus sit et aliquod tempus uixerit summum bonum contigit[3]). Sed dum ad huius (scil. summi boni) similitudinem quam maximam iter fit, usque ad infinitum tempus, modo possit fieri, uiuendo progredi optimum est: *ἂν δὲ* — sic pergit apud Meklerum — *παραγένηται, τῆς μὲν εὐδαιμονίας ἀφαίρεσις οὐ γίνεται τῆς γεγονυίας, κώλυσις δὲ τῆς ἔτι μετουσίας αὐτῆς.*

Quaero quid sit quod adesse (*παραγίνεσθαι*) ponit philosophus; uel, ut *γραμματικώτερον* dicam, quod sit protaseos illius subiectum. Summum illud bonum an summa illa similitudo? Neutrum animo substituisse editorem confido: admodum enim inepte substituisset. Atqui tertium quod suppleret non habuit. Verum certissimum est cum Buechelero distinguendum sic esse: *ἂν δὲ παραγένηται τῆς μὲν εὐδαιμονίας ἀφαίρεσις,*

1) Plat. Apol. p. 30 C *οὐδὲ μέλλω πολλάκις τεθνάναι.*
2) Republ. I, p. 330 B.
3) Hanc loci partem supra p. 146 suppleui.

οὐ γίνεται τῆς γεγονυίας, κώλυσις δὲ τῆς ἔτι μετουσίας αὐτῆς. 'Cum autem (scil. morte) beatitudinis priuatio fit, non fit praeteritae, sed tantum eius quae etiam tum contingit inhibitio'. Haec interpretatio tibi adridebit, si hoc fragmentum ad libelli locum qui est de inmaturae mortis solaciis pertinere memineris. — Quam mortem minime optandam esse, habere tamen solacia sua Philodemus columnis XII et XIII explicauit, de qua re supra p. 145 sq. copiose exposui. Solacium autem quod h. l. adhibet 'praeteritae beatitudinis priuationem fieri non posse' uide quam sit bene Epicureum. Epicurus enim teste Cicerone[1]) leuationem aegritudinis in duabus rebus posuit, auocatione a cogitanda molestia et reuocatione ad contemplandas uoluptates. Et Seneca in consolatione ad Marullum[2]) idem argumentum diserte persecutus est. 'Nostrum', inquit, 'est quod praeteriit tempus nec quicquam est loco tutiore quam quod fuit... Anguste fructus rerum determinat, qui tantum praesentibus laetus est: et futura et praeterita delectant, haec exspectatione, illa memoria: sed alterum pendet et non fieri potest, alterum non potest non fuisse'.

Sed de hac digressione secundum disputationis ordinem ad col. XXXVII redeo. Ibi u. 27 sqq. causas infirmitatis humanae naturae adfert: nos omnes, inquit, quasi in urbe habitamus quae nullum contra mortem praesidium praebeat, omniaque plena sunt eorum quae mortem efficiunt, cum nos tam debiles simus et anima nostra opportunissimos ad exspirandum exitus inueniat, (u. 33) καὶ τοῦ περιέχοντος ἅμα τῇ τύχῃ διακρίσεως ἡμῶν ἀμύθητα γεννῶντος κτλ. Haec uerba sensu cassa esse iam Gomperzius sensit, cum post ἀμύθητα desiderari αἴτια uel παρασκευαστικά coniceret. Et certissimum quidem est tale quid excidisse. Nam ut mittam genetiuum διακρίσεως necessario egere uerbo e quo pendeat, nullo pacto potest dubitari quin id quod supra legitur u. 29 πάντα γέμει ποιητικῶν αὐτοῦ (scil. θανάτου) aliis uerbis h. l. repetitum sit. Sed probabilius est Philodemum ingenti uerborum inopia insignem simul cum

1) Tusc. III, 33. 2) Epist. 99, 4 sq.

sententia uerbum quod iam supra adhibuerat repetiuisse h. l. et sic scripsisse: *ἀμύθητα ⟨ὅσα ποιητικὰ⟩ γεννῶντος*. Nam illud *ὅσα* uix omissum fuisse discimus u. 38 *πάμπολλ' ὅσα προσεπεισφορούσης* et XXIX, 12 *ἀμυθήτων ὅσων ἀγνοουμένων ὡς ἀπέθανον*.

Pungit me dius fidius animum quod columna XXXVIII egregie seruata inquinatur una lacuna qua loci lepidissimi quaedam pars obscuratur. Quae lacuna quo expleatur ne me quidem habere fateor; tamen refutata Gomperzii ingeniosa coniectura uiam monstrare posse mihi uideor. Sermo est in hac columna de uitae breuitate et de eorum ineptia qui in tanta breuitate 'spem incohare longam' longaque consilia texere audeant (—14). Quid sapientis uiri sit opponit suo more Philodemus u. 14—25. De uerbis *εἰ οὕτως ἐλλείπων | τι τοῦ κρατίστου βίου συνακολουθεῖ* ΠΡΟ . | ϽΑϹ — . ΔΗ quaeritur[1]). Primum ex eo quod u. 20 in papyro scriptum est ЄΛΛЄΙ-ΠΩΝ | ΤΙ Gomperzius fecit *ἐλλείποντι*, et hac coniectura reliquae mutationes haud ita lenes nituntur. Ergo si illa cadit, hae simul concidunt. Atqui aut illa cadit aut nihil ego uideo. Manifestum enim est per totam hanc periodum (u. 14—25) unum regnare subiectum: *ὁ δὲ νοῦν ἔχων ἀπειληφὼς — ἐντεταφιασμένος περιπατεῖ καὶ — κερδαίνει — στενάζων — ἀπολαβὼν — συνκεκυρηκὼς εὐχαριστεῖ*. Quae cum ita sint, haud probabiliter u. 22 nouum subiectum *τὸ πέρας* inculcatur. Crede mihi, h. l. melius scripsit Philodemus. Conligitur *ἐλλείπων* seruandum et *τι* notissimo ex usu aduerbialiter prolatum esse. Accedit quod u. 21 post *συνακολουθεῖ* clarissime exaratum est ΠΡΟ, sic scilicet supplendum ut *πρός* fiat. Dicitur autem ille *ἐλλείπων τι τοῦ κρατίστου βίου*, quod ad optimam uitam ipsa longitudo necessaria est, sicut Philodemus diserte docet col. XIII, 36—XIV, 10, de quo loco supra p. 145 sq. dixi. Postremo confer quaeso col. XIX, 30 sqq., ubi de eodem homine sapienti (qui opponitur u. 33 *τῷ ἄφρονι*) scribitur: *λυπήσεται δ' οὐδαμῶς*

1) Spatium quod ante ΔΗ est nullo modo litterae ω capax est; de maculis illis euanidis quas sic interpretatus est M. incertissima res est.

ἐξαιρούμενος ἐκ τῶν ὄντων ὡς εἰ μηδεμίαν ἴσχεν τῆς ἐλλείψεως ἐπαίσθησιν. His ipsi Gomperzio de hoc loco me persuasisse confido.

Sed nunc age, ut post hos labores paulisper recreemur, Horatium lepidissimi furti coarguamus. Quem inter Zenonis rigidam sapientiam Aristippique molliora praecepta modo huc modo illuc inclinantem fluctuasse optimo scimus testimonio. Et Aristippus quidem placuit cum primam illam ad Maecenatem epistulam scripsit, cuius de quodam loco uide quae supra p. 62 obiter adnotaui; eidem deditus erat eo tempore quo ad Albium quendam festiuum misit epistolium (I, 4), cuius extremi uersus mire ad Philodemum nostrum (ibid. u. 22 sqq.) faciunt:

Inter spem curamque, timores inter et iras | Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. | Grata superueniet, quae non sperabitur hora.

τὴν ἐκ τοῦ χρόνου προσθήκην ἀξιολόγως ἀπολαβὼν ὡς παραδόξῳ συνκεκυρηκὼς εὐτυχίᾳ καὶ κατὰ τοῦτο τοῖς πράγμασιν[1]) εὐχαριστεῖ.

Quam uero apte statim pergit Flaccus meus:

Me pinguem et nitidum bene curata cute uises,
Cum ridere uoles, Epicuri de grege porcum[2]).

Postremum surgit disputatio. Quid de senibus uiuendi cupidis re uera scripserit Philodemus ostendam; namque adhuc ea legis quae cum illius consilio aduersa, ut aiunt, fronte pugnent. Postquam sapientem suum quemadmodum paulo supra rettuli descripsit, sic pergit: πᾶς δ' ὁ κηφηνώδης καὶ γέρων γενόμενος ἀνενθύμητός ἐστι τοῦ θνητοῦ καὶ ἐπικήρου τῆς συστάσεως, καὶ πιθανὸν ἡγεῖται λέγειν τὸν φάσκοντα παράδοξον εἶναι γέροντα κυβερνήτην ἰδεῖν καὶ τύραννον, οὐχ ἡγεῖται δὲ καὶ τὸ κοινῶς ἄνθρωπον· ἀλλὰ — et nunc senis illius ineptias usque ad finem columnae iocosa inrisione perstringit. Vides ut unius litterulae falsa adiectione totus locus conruptissimus sit? Quid? ignauus ille et ineptus qui describitur senex ita cum Philodemo sentit ut ei uel de fastidioso illo dicto adsentiatur? Belle profecto suas partes ageret! Equidem hoc sensus uitium extemplo sic conrexi ut scripserim κἀπίθανον

1) το(ῖς) πράγμα(σ)ιν Blassius.
2) Philodemus laudatur S. 1, 2, 121.

ἡγεῖται λέγειν, quod uel ideo censui flagitari quod paulo post legitur *οὐχ ἡγεῖται δὲ καὶ*, pro quo Philodemus, si supra id quod illi putant scripsisset, potius *ἀλλ' οὐχ ἡγεῖται οὐδὲ κτλ.* posuisset. Post cum Scottii tabulas inspexissem, ecce in papyro quod conieceram scriptum esse inueni: ϢCΚΑΠ . ΘΑΝΟΝ [1]).

Sed restat alterum mendum in fine huius loci, u. 31 *οὐχ ἡγεῖται δὲ καὶ τὸ κοινῶς ἄνθρωπον*. Hoc quidem nihil est, sed quid lateat scire mihi uideor. Scribere enim debuit librarius ΑΝΘΡΩΠΙΝΟΝ. Dicebant autem ueteres, ut in rebus tristibus solebant *εὐφημεῖν* (cf. XXXV, 40), mortem *τὸ κοινῶς ἀνθρώπινον*, sic ipsa significatione rei quoddam solacium indicantes.

Col. XXXIX, 23 sq. perperam de papyri scriptura rettulit M., si quidem in *o* clarissime exaratum est ЄΚΠΝЄ | Θ . . . Ν, unde nuper iam Blassius *ἐκπνέο(υσι)ν* recte suppleuit.

Reliquum est ut quae noua uerba quique noui uerborum usus linguae graecae thesauro addenda ex hoc Philodemi libello redundent paucis complectar. *συνεκπτώματα* (XXXVI, 2) quod ualet idem ac *συμπτώματα*, *προσεπεισφορεῖν* ('insuper ingerere' XXXVII, 38)[2]), *ἀνενθύμητος* ('is qui *οὐκ ἐνθυμεῖται*' XXXVIII, 27), *ἀδιαληψία*[3]) (i. e. *διαλήψεως ἔνδεια* XXVII, 13. XXVIII, 9) adhuc non legebantur; accedunt *προ(σέ)νστημα* (quid sit nescio. XVI, 8) et *ἀ(ντα)λλάκτης* (scelerum ultor?

---

1) Rectissime u. 28 sq. (*ἡγ|ε(ῖ)ται* suppleuerat M.; nam C . ΤΑΙ u. 29 init. exstat. Itaque Blassius utinam illo inprobato *οἴ|εται* ne iussisset scribi!

2) Nisi forte *προσεπεισφερούσης* facillime emendandum est; hoc autem uerbum Longin. de sublim. 9, 12 p. 23, 3 Jahn. eadem notione praeditum legitur. Quid sit quod Pollux V, 140 idem uerbum synonymum facit uerbo *εὐεργετεῖν* haud adsequor.

3) *ἀδιαλήπτως* de ir. p. 137, 23 Gomp. exstat, ubi opponitur ei quod est *διειλημμένως* ('prudenter, accurate'), de quo cf. nostri libelli col. XXXII, 20 sq., ubi *διειλημμέν(ω)ς ἐπιστ(ήσ)ας* optime restituit Dielsius. Ceterum quod *ἀδιαληψία* in mss. Herc. Oxon. part. II p. 18 ualere 'continuitas, status qui diuisiones non recipit' Cramer in Steph. Thes. dicit, ibi *ἀδιαλειψία* (*ει* pro *η*, ut saepe in his papyris) restituendum esse facile intellegitur.

XVII, 9), si haec recte a Gomperzio et a Meklero restituta sunt[1]). Incerta res est de trunco uerbo *προφαντασοφ . . . . ον* (XVIII, 9 sq.), ubi caue cogites de generis feminini uerbo; nam quae antecedunt *κρεῖττο(ν τ)ὴν* perperam suppleta sunt, cum in papyro certissime fuerit *κρεῖττο(ν) ἦν*. Videtur igitur de alicuius uerbi praesentis temporis participio cogitandum esse. Eximie placuisse uidetur Philodemo adiectiuum suum *ἀρετηφόρος* (XXXV, 27) quod etiam in eius de arte rhetorica libro (p. 74, 8 Gros. et col. XXVIII) legi et, ut illo loco, cum uerbo *ἀνήρ* coniungi inuenio. Transeo ad uerborum uel memorabiles uel adhuc inauditos usus. Adiectiuo *ἀναπόλαυστος* (XIII, 12) actiuam notionem indidit Philodemus: unde confirmatur Hesychii glossa *ἀναπόλαυστος· ἄγευστος* (i. e. 'qui non fruitus est'). *οἱ ἐπιχαιρόμενοι* (XX, 10) sunt, mirifice profecto, 'ei qui inridentur'. Perinde hoc uerbo in libro de uitiis[2]) usus est. *κατακρείνειν* col. XXVIII, 10 ad iudicandi notionem degenerasse supra p. 149 mihi uideor ostendisse. *σύνγνωσις* (XXXIV, 35), quod hoc loco atque apud unum Clementem Alexandrinum[3]) legitur, latino conscientia ad amussim respondet. In elocutione *ἀβίωτον ἡγεῖσθαι τὸ καταγνωσθῆναι* (XXXV, 12) uerbi *ἀβίωτος* naturalis et principalis significatio ita euanuit ut idem fere ac 'intolerabilis' ualeat. Et ad hunc usum reapse Suidae glossa (de qua Schaefero in Steph. Thes. non liquebat) *ἀβίωτον· κακόν ἀηδές ὀδυνηρόν* spectat, ubi nimirum *βίον* nequit subaudiri. Itaque in Hesychii glossa *ἀβίωτον· κακόν ἀηδῆ ὀδυνηρόν ἀηδές* restituendum est. Quem rei statum uerbique usum quod Schaefer non perspexit eo magis miror quod Aeschinis locum (74, 149), qui proxime ad Philodemeum accedat: (*Δημοσθένης*) *ἀβίωτον ἡγησάμενος εἶναι εἴ τινος ἀπολειφθήσεται δωροδοκίας*, ipse adfert.

1) *ἔνστημα* ('inpedimentum') unus Chrysippus (Plut. Mor. p. 1056 D) habet. *ἀλλάκτης* infima graecitate, *ἀπαλλάκτης* semel apud Maximum Tyrium inuenitur.

2) § 27, p. 28, 2 *ἐπιχαίρεσθαι μετὰ καταγέλωτος ὑπὸ πάντων*, ubi u. Sauppium.

3) Cognitionis notione praeditum, Strom. 1, p. 120 Sill. (uol. II. p. 17 D.).

Finem apte facit ἡ τοῦ βίου παραγραφή (XXXIX, 18), id quod per metaphoram alias inauditam (παραγραφῆ a grammaticis periodi finis significabatur) 'uitae finis' ualet.

Sed multo longius quam constitueram euagatus sum et, dum quaedam uolo delibare, paene omnia quae habui raptim exhausi. Proinde nunc defessus labore decedo.

Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Traiectae syrtes, ancora iacta mihist.

Sintne alicuius pretii quae reportaui qui harum rerum periti sunt iudicent.

ADDENDUM.

Exciderunt nescio quo casu quae habui de Philod. π. θανάτου col. XIV, 12. Philodemus ab initio columnae cur uere sapientis uiri sit aliquantum temporis ad uiuendum expetere exponit (— u. 10). 'Si quis autem' — sic cum leni inrisione uidetur perrexisse — 'infinitum tempus expetat, quot anni huic uiuendi essent ipsius uitae quasi promo?' Vides de sententia me cum Meklero fere consentire. Sed u. 12 ЄΞΟΝΤΑΙ Ι . . ЄΙΟΝ in *o* exstat, unde ille utique perperam ἕξοντα τ(αμι)εῖον finxit, ut structuram uerborum sic nullam esse mittam. Haec optime se habebit, si καθάπερ ἕξων ταμιεῖον restituerimus.

CONSPECTUS OPERIS.

Pagina

Prooemium 3

I. De Graecorum philosophorum scriptis consolatoriis.

De Democrito, Hipparcho, Prodico 7
De Axiocho 9
De Platonis Menexeno Phaedone Apologia Socratis 20
De Xenophontis Apologia Socratis 21
De Aristotelis Eudemo, de Theophrasti Callisthene, de Dicaearcho; de Cynicis 34
De Stoicis 37
De Crantoris libro *περὶ πένθους πρὸς Ἱπποκλέα* 38
De ceteris Academicis 57
De Hegesiae libro *Ἀποκαρτερῶν* qui inscriptus erat ceterisque Cyrenaicis 59
De Epicuro et Metrodoro 60
De Plutarchi scriptis consolatoriis, praecipue de consolatione ad Apollonium 64
De epistularum scriptoribus 71

II. De rhetorum Graecorum studiis consolatoriis.

De Gorgia et Alcidamante 72
De Antiphonte sophista 72
De Atticorum orationibus funebribus 89
De posteriorum sophistarum declamationibus 91

III. De consolationibus a Romanis scriptis.

De Ciceronis consolatoribus 94
De M. Tullii Ciceronis Consolatione 95
De eiusdem Catone maiore epistulisque consolatoriis 107
De Senecae scriptis epistulisque consolatoriis 108
De eiusdem consolationis ad Marciam tempore 110
De consolatione ad Polybium 114
De Frontone Ambrosio Hieronymo Boethio 120
De Romanorum laudationibus funebribus 121
Excursus 123
Epimetrum de Philodemi *περὶ θανάτου* libro 143

INDEX RERUM ET VERBORUM.

(Quae in operis conspectu satis indicata sunt ea h. l. repetere nolui.)

ἀβίωτον τι ἡγεῖσθαι 163.
ἀδιαληψία nouum uerbum 162.
Aeschinis dialogi 12.
de Agamede et Trophonio fabula 51 sq.
Alcidamantis *Μουσεῖον* 72, 5.
ἄν omissum 128.
ἀναβλέπειν 81, 1.
ἀναλγησία a quibusdam Stoicis inprobata 138.
ἀναπόλαυστος actiue prolatum 163.
Anaxagorae dictum 47. 49.
ἀνενθύμητος nouum uerbum 162.
ἀνταλλάκτης nouum uerbum 162.
Antimachi Lyda 5.
Antipho orator *πολιτικοῦ* auctor 75 sq. artis rhetoricae? 85 sq. tetralogiarum? 86 sqq. 133 sqq. non praeceptor Thucydidis 87. orationis *περὶ μεταστάσεως* frg? 83.
Antipho sophista et sophista et *ὀνειροκρίτης* 73. cum Socrate disputat 73. Prodici auditor 80. Thucydidis praeceptor 86 sqq. cognomine Nestor 89. Eius frgg. inter oratoris *ἀπαράσημα* 75 sq. genus dicendi 83 sq. cum Thucydidis genere dicendi comparatur 84. 86 sqq. 133 sqq. *τέχνη ἀλυπίας* qualis fuerit 77 sq. *νηπενθεῖς ἀκροάσεις* 73, 3. 76. cum Prodici oratione consensus 78 sqq. artis rhetoricae et tetralogiarum auctor? 85 sqq.
Antipho tragicus 73 sq. *ἑποποιός* 74, 1.
Antisthenes 35.
Ἀποκαρτερῶν Antiphanis et Philemonis comoediarum inscriptio 59, 3.
Apollodori Geloi *Ἀποκαρτερῶν* 59.
Apollonii Tyanei epistulae 71.
apologus 120. 140 sq.
Aratus a Callimacho epigrammate commendatus 42. eo natu minor 43. eius uitae diuersis pannis consutae 42 sq.
Arcesilaus 55. 57.
Archini *ἐπιτάφιος* 90.
Aristophanes Sophoclis inrisor? 30, 3.
Aristotelis Eudemus et dialogus et consolatio 34.
ἀρετηφόρος ἀνήρ 163.
Aristidis *ἐπιτάφιοι* 92.
Arsinoe 57. 69.
Axiochus archetypi excerptum 14. inter Platonis *νοθευόμενα* 9. 14. Prodici orationem continet 8 sq. lacunosus est 13 sq. a Cratete et a Crantore adhibitus 16 sq. cum Antiphonte sophista consensus 78 sqq. poetarum frgg. 18 sq.
Bio cynicus 30, 1. 77, 1.
Bruti ad Ciceronem consolationes 94.
Caesaris ad Ciceronem consolatio 94.

Callimachus Crantore maior natu 41 sq. item Zenodoto 45. intra Ol. 112 et 133, 2 uixit 43. Aristophanis pueri magister 45. epigr. XXV a Crantore laudatum 125.
Carneadis doctrinae per discipulos propagatae 58.
Certamen Hesiodi et Homeri 72, 5.
Chaeremonis tragici uersus 34, 6.
Choricius Gazaeus 94. 106.
Chrysippus 3. 4. eius *περὶ παθῶν* libri IV 37. 123. ex l. IV praeceptum 69, 3. laudatur a Philodemo 142.
Cicero quomodo Crantorem adhibuerit 46 sq. 125 sq. Consolatio m. Martio scr. 95. Tusc. disputationum fontes 95 sqq. Tusc. disp. statim post Cons. incohatae 96. in eis Consolatio continetur 100. Catonis pars consolatoria 107 sq. ad Titium epist. quando scripta sit 108. Laudatio Porciae 122. Consolatio suppositicia 107, 1.
Cleanthes 3. 37.
Clemens Alex. Antiphontis sophistae imitator 84.
de Cleobide et Bitone fabula 51.
Clitomachi fragmenta 58.
consolatoris consilium quale sit 67.
consolandi significationes 123 sq.
Crantor 330—286 fere uixit 41. Plutarchi et Ciceronis consensu restituitur 39 sq. Ciceronis in Consolatione auctor 48. eius cum Epicuro consensus 61 sq. Socraticis doctrinis usus est 31. passim Homerum et Euripidem laudauit 4. 56 sq. Axiochum adhibuit 16 sq. Callimachi epigrammata laudauit 40. 125.
Crates cynicus Axiochum expressit 16. cum Antiphonte sophista consentit 78 sq. eius, non Platonis epigramma in A. P. IX, 359 : 36.
Crespontis Euripidei dictum 52. 56. 103.
Cyrenaïci de malorum praemeditatione 59.
Democritus loci 'de uano inferorum metu' auctor 7, 5. Dareum consolatur 8. *Ἀμαλθείας κέρας* qualis fuerit 7, 4. libri *περὶ εὐθυμίας* frgg. 78, 1. 82.
[Demosthenis] *ἐπιτάφιος* 91.
de Demosthene fabula 66. 68.
Didymus Hermogenis auctor 73. 88.
de Dione fabula 66. 68.
Dio Chrysostomus Xenophontis Apologiam expressit 31. eius Melancomas I 31, 92. II 92. Charidemus 91.
διότι usus apud Philodemum 147.
Dolabella Ciceronis consolator 94.
de Elysio fabula 52.
Empedocles 84, 2.
Ennii Iphig. frg. VII R. 100. cui debeatur 102 sq.
ἐπεβάλετο quid sit 42, 2.
ἐπιχαίρεσθαι passiue prolatum 163.
Epicediorum et threnorum genus 5.
Epicharmus 127.
Epicurus 4. 7, 5. Aeschinis imitator 60 sqq. cum Crantore consentit 61 sq. a poetis furatus est 67. *περὶ τῆς Ἡγησιανάκτος τελευτῆς* epistula et *Ἡγησίαναξ* 60.
ἐπιτάφιος Graecorum 7. 20. Romanorum 7, 1. 121.
Eryxias et *περὶ ἀρετῆς* dialogi 10 sq.
Eudorus Alexandrinus 6.
Euripidis Aeol. frg. 25 : 30.
Fabii Maximi laudatio filii 121.
Fauorinus 93.
Galenus 38.
Γνῶθι σαυτόν et *Μηδὲν ἄγαν* 49 sq. 104.
Gobryas 9. 91, 6.

Gregorii Nazianzeni *ἐπιτάφιος* 94.
Hegesiae *Ἀποκρατερῶν* a Crantore adhibitus 56.
Hesiodi nouum frg? 100. 102 sq.
Hieronymus i. e. Cicero 36. epist. LX e Cic. Cons. excerpta 48. 107. ueteres scriptores Romanos non legit 100.
Himerii *ἐπιτάφιος* 93 sq.
Hipparchi Pythagorei cum Plutarcho consensus 71.
Homeri *Ω* 721 sqq. 5, 1.
Horatii Epist. 1, 4, 12 sqq. ad aliquem Epicureum spectant 161. graecissans 124.
Hyperidis *ἐπιτάφιος* 91.
Index Herculanensis 41, 3.
insolabiliter 124.
Isocrates sophista audiuit 74. ubi hiatum admiserit 70. *Εὐαγόρας* 89. *Γρύλλου ἐγκώμιον* 90.
Isocrates Apolloniates 90.
Iuliani epistula consolatoria 71.
κατακρίνειν 'iudicare' 163.
Lampriae scriptorum Plut. catalogus 41, 5. 64 sq.
Libanii *ἐπιτάφιος* 94.
ligare alicui aliquid 5, 2.
logus 119 sq.
Lucceius Ciceronis consolator 94 sq.
Lucianus 8. 12. de luctu 5, 2. *περὶ πένθους* libri indoles 93.
Lucretii de rer. nat. III, 830—1094 ex Epicuri consolationibus pendent 60 sqq. cum Antiphonte sophista comparatur 81, 3. 83.
de Luctu fabula 57. 68 sq. quo modo uulgata fuerit 70.
[Lysiae] *ἐπιτάφιος* 90.
Marcia Cremuti Cordi filia 110.
Menander 3. 34, 6. 53.
mors nihil pertinet ad nos 54 sq.
mortis necessitas exemplis inlust. 63.
μῦθος γυναικός quid sit 130.
Naeuii inc. com. 106 R. 100. Cic. Consolationi debetur 102.
Nascimur ut moriamur 32.
Naucrates 90. 91.
Niobe nimium lugentis exemplum 51. 101.
Olorus 91.
ὁ μέν — ὁ δέ apd Suidam 45.
Orphici 4. 80.
Palamedes hymnis celebratus 24 sqq. cum Socrate compositus 154.
Panaetius 38. *ἀναλγησίαν* inprobauit 138.
παραγραφή 'finis' 164.
παθολογικός i. e. *παραμυθητικός* 6. 123.
[Phalaridis] epistulae consolat. 71.
Philisci consolatio 32, 2. 99.
Philodemi *περὶ θανάτου* liber IV qualis fuerit 142 sq. in laudando Homero error 150. quot uersus in singulis columnis 151, 2.
Philostrati fons non [Plutarchus] 73, 3.
πιαίνειν pro *παραμυθεῖσθαι* 124.
Pindari threni frgg. 18 sq. 20.
de Pindari morte fabula Plutarchi propria 52.
Plato Pythagoreorum sectator 80. 81. Antiphontem Rhamn. artis rhetor. praeceptorem dicit 86. uocis *λύπη* etymologia 3. *ἐπιταφίου λόγου* definitio 7.
Plutarchus Arati uitam uidetur scr. 41, 5. quomodo Crantorem adhibuerit 46 sq. cons. ad Apoll. adulescens scripsit 65. 67. hiatum admisit 70. *πρὸς Ἀσκληπιάδην* et *πρὸς Φηστίαν παραμυθητικοί* 64 sq.
Polybius Claudii libertus 116. 118.
Posidonius stoicus 6. 38. non auctor Cic. Tusc. disputationum 53.

positio a poetis Romanis neglecta 135 sq.
πούς numquam 'gubernaculum' ualet 132 sq.
Procopii epistula 71.
Prodicus 8 sq. 13. 17. de uitae molestiis oratio 8 sq. 30, 1.
Propertii II, 13, 45 sqq. Callimachus subest 127.
προσένστημα nouum uerbum? 162.
προσεπεισφορεῖν nouum uerbum 162.
prouidentia diuina 32.
ψυχαγωγεῖν 124.
Pythagorei Orphicorum sectatores 80. de animarum migratione doctrina 81. carmen aureum 81.
puer uocis notio 112, 4. 113.
quotidie morimur 106.
renare et recantare 124.
Seneca raro poetas laudat 4. Ennium contemnit 118. in libris de ira Sotionem sequitur 128 sqq. libri de remed. fort. conspectus 77, 1. epistularum quae sint consolatoriae 109.
senectus molesta 29. 30. 31. 79.
Seruius Sulpicius Ciceronis consolator 94. 99.
Sileni sapientia 52.
Socratis *μεγαληγορία* 23, 5. 28.
σοφιστής quid sit 74.
Sophoclis O. C. 1235:30. Oïleus 99.
Sotio Peripateticus 7, 4. Pythagoreus, Senecae praeceptor eiusque in libris de ira auctor 128 sqq.
συνέκπτωμα nouum uerbum 162.
Synesii epistula consolatoria 71.
σύνγνωσις 163.
Telamo Ennianus? 49.
Teles stoicus 37. Augusto aetate aequalis 37.
Terentii Phorm. 241 sqq. 98.
Themistii *ἐπιτάφιος* 93 sq.
Theodectes 90.
Theophrasti de Fortuna sententia 34 sq.
Theophylacti epistula 71.
Theopompus 90.
θρήνων σοφιστής 5, 2.
Thucydides uide s. u. Antipho sophista.
timere verbi memorabilis notio 32, 3.
tragici alicuius recentioris uersus? 63, 1.
tripartita de mortis natura argumentatio 97 sq.
Tzetzae Ioannis epistulae consolatoriae 71.
uerba praepositione con composita 138 sqq.
uita captiuitatis 80, conuiuii 62, puncti instar 50. 62.
Xenocratis *περὶ θανάτου* 10. 34.
Xenocratis *λόγος Ἀρσινοητικός* 57.
Xenophontis *Κύρου παιδεία* 21. Memor. IV, 8 spurium 23. 27. quae sit ratio cum Apologia 21 sqq. Apologia adpendix Memorabilium 33. multa praebet sola 24. 32. quae insint consolatoria 29 sqq. spuria epistula 71.
de Xenophontis constantia fabula 49. 100.
Xerxes Hellespontum strauit 63. flesse dicitur 106.

INDEX LOCORUM

qui uel emendantur uel explicantur.

	pagina
Aeschin. Axioch. p. 370 A .	102, 1
Schol. Aesch. Cho. 75 . . .	132
Anth. Pal. X, 123	
„ „ IX, 359	
„ „ XI, 133	128
Arati uit. I, p. 54, 74. . . .	42 sq.
generis latinus interpres	42, 2
Boeth. cons. phil. II, carm. 1, 8	135
„ „ „ „ 2, 19 sq.	
„ „ „ „ 3, 16	
„ „ „ „ 4, 18	
„ „ „ „ 5, 4 .	136
„ „ „ III, „ 8, 1	
„ „ „ „ 11, 15	137
Callim. epigr. XXIII, 6 . .	44, 1
Gramm. in Bekk. Anecd. I, 297	133
Hermogen. π. ἰδεῶν II, 11, 7	
p. 414 Sp.	88
Hesych. ἐφήμερα	131
„ ἀμφιμήτορες . . .	132
„ ἄβλωτον	163
Hieron. epist. LX, c. 14 C .	101
Hipparch. in Stob. Flor. CVIII,	
81 p. 48, 26 M.	82
— — p. 47, 21 M.	82
— — p. 46. 16 M.	84, 3
Lucian. de luct. 18 in. . .	93, 2
Philod. π. θανάτου col. I, 7 sqq.	143
— — col. III, 21 sq. 23 sq. 25	143

	pagina
Philod. π. θανάτου col. V, 2	144
— — col. XIV, 12	164
— — „ XVI, 5	144
— — „ XVII, 4. 13. 16 . .	145
— — „ XVIII, 9	163
— — „ XIX, 1—9 . . 145.	158 sq.
— — „ XX, 7	146
— — „ XXII, 13.	
— — „ XXIII, 1. 8. 37.	
— — „ XXV, 38	147
— — „ XXVI, 8 sq. . . .	148
— — „ XXVIII, 5—14 . .	148
— — „ XXX, 2. 17 sq. . .	150
— — „ XXXII, 5. 29 sq. . .	151
— — „ XXXIII, 23—36 . .	152
— — „ XXXIV, 10. 21. 37 sq.	154
— — „ XXXV, 11—25 . .	156
— — „ XXXVII, 3 sq. 7 sqq. 35	157
	159
— — „ XXXVIII, 20 sqq. 28. 32	160
— — „ XXXIX, 23 sq. . .	162
Plut. cons. ad Apoll. p. 113 F	126
Sen. cons. ad Marc. XVII, 1	110, 9
Stat. Silu. V, 3, 54	5, 2
„ Achill. 1, 348	130
Stob. Flor. XX, 54	129
Suet. de rhet. 1	141
Suidas	74, 1
Theocr. XV, 51	128

DE

FASTIS CONSULARIBUS ANTIQUISSIMIS

SCRIPSIT

CONRADUS CICHORIUS

CAPUT PRIMUM

De fastis consularibus antiquissimis

Historiae Romanae antiquissimae, quamquam multa de ea narrant scriptores ueteres, incertissima est memoria. Nam paucissima tantum eorum, quae legimus de rebus Romanorum ante bella Samnitica gestis, ad ipsorum temporum illorum redeunt litteras. Inter quae primum obtinent locum fasti consulares, quippe qui ad priorem liberae reipublicae uideantur esse referendi aetatem. Nam uel pristinis illis temporibus consulum nominibus singulos significatos esse annos, et complura exstant indicia et ex ipsa re fit consentaneum. Cum enim tum quidem non iam uideatur constitutus fuisse certus quidam, unde reliquos numerarent, annus — namque urbis conditae annus multo post putandus est esse effectus — suum proprium cuique anno indere debebant nomen.

Ac primum quidem in annalibus maximis, antiquissimis Romanarum litterarum monumentis, annos ex consulum nominibus fuisse nominatos, Seruius adnotat ad Verg. Aen. I, 373: 'tabulam dealbatam . . . in qua praescriptis consulum nominibus'.

Tum ea quoque, quae ab auctoribus ueteribus esse desumpta uidentur ex ipsius priscae aetatis titulis aut inscriptionibus, consules exhibent, ut foedus Latinum anni 261 u. c., de quo Cicero (pro Balb. 23, 53): 'Cum Latinis omnibus foedus ictum Sp. Cassio Postumo Cominio consulibus quis ignorat? quod quidem nuper in columna aenea meminimus post rostra incisum et perscriptum fuisse.' Liuius inscriptionem ipsam non iam uidit, sed ex antiquiore auctore transtulit quae refert

libro II c. 33, 9: ‘tantumque sua laude obstitit famae consulis Marcius, ut nisi foedus cum Latinis columna aenea insculptum monumento esset, ab Spurio Cassio uno, quia collega afuerat, ictum, Postumum Cominium bellum gessisse cum Volscis memoria cessisset’; tamen ex eis quoque cognoscitur, praescriptum fuisse in columna utriusque consulis nomen, in ipso autem foedere icendo Sp. Cassium solum fuisse nominatum.

Deinde maximi est momenti testimonium Varronis, seruatum apud Macrobium Sat. I, 13, 21: ‘sed hunc (sc. Fuluium) arguit Varro scribendo antiquissimam legem fuisse incisam in columna aerea a L. Pinario et Furio consulibus (i. e. anni 282 u. c.) cui mentio intercalaris adscribitur’; unde Varronem ipsum uidisse tabulam eam puto apparere.

Eadem ratione in aedis Saturni anno 253 u. c. dedicatae titulo consulum fuisse addita nomina demonstrat Matzat (*Röm. Chronol.* II p. 8 adn. 7).

Atque iam diu ante annalium scriptores litteris mandatos fuisse fastos consulares, notissimus mihi uidetur comprobare locus Ciceronis, ad fam. 9, 21. Ubi cum dicit Cicero: ‘princeps ... L. Papirius Mugillanus, qui censor ... fuit (a. 312). ... Sed tum Papisii dicebamini. Post hunc XIII fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius est uocari desitus’, manifesto se inspexisse significat exemplar aliquod fastorum, quo antiquiores Papirii scripti erant ‘Papisii’ ac primi L. Crassi nomen littera ‘r’ legebatur. Itaque iam ante annum 414 u. c., quo L. Papirius Crassus primum in fastis occurrit, secundum Ciceronem in scribendo gentis nomine esse receptum rhotacismum, quem uocamus, elucet, illum tamen, quem proximum ante Crassum fasti commemorant, L. Papirium Crassum, tribunum militum consulari potestate anni 386 u. c., Papisium etiam fuisse scriptum, ita ut intra annos 386 et 414 sit statuendum in fastis illis nouae scribendi rationis initium. Quae eo comprobantur, quod exstant ante annum 386 in reliquis quoque fastis nomina C. Vetusii consulis 255 (Liu. 2, 19), T. Vetusii consulis 260 (Liu. 2, 28), Sp. Fusii consulis 290 (Liu. 3, 4), T. Vetusii consulis 292 (Liu. 3, 8), cum post

eum annum nullum inueniatur exemplum nominum eorum littera ‘s’ scriptorum. Ex Ciceronis autem uerbis supra scriptis iam ante annum 414 litteris mandata esse ea quae ex Liuio attuli nomina sequitur.

Fidem igitur attribuens Ciceroni testi, fastos consulares, quos Mommsen quoque (*Röm. Forsch.* I p. 57) inde a quinto fere saeculo per singulos annos in libros dicit esse relatos, reuera ad eam puto redire aetatem, qua nondum in usum loquendi erat receptus rhotacismus.

Nullo tamen modo assentiri possum Iordano, qui libri ‘Kritische Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache’ p. 104 sq. nomina ‘Papirium’, ‘Veturium’, ‘Furium’, ‘Valerium’ unquam, littera ‘s’ scripta, in usu fuisse negat atque Papisii, Vetusii e. c. formas ab aetatis Sullanae hominibus grammaticis per aliorum uocabulorum analogiam autumat esse excogitatas et usque ad Ap. Claudium Caecum, censorem anni 442, fastis insertas. Nititur autem loco Pomponii (dig. 1, 2, 2, 36): ‘idem Ap. Claudius *r* litteram inuenit, ut pro Valesiis Valerii essent, pro Fusiis Furii’. Quae tamen discrepant cum Cicerone, nam Pomponius anno 442, Cicero ante annum 414 receptam litteram *r* in nominibus gentiliciis testatur, neque igitur uterque ad eundem, quem ponit Iordan, fontem grammaticum redit. Immo et ipsius Pomponii sententiam eadem rectissima, qua Ciceronis, obseruatione iudico esse ortam. Cum enim non inueniantur in fastis Furii post L. Camillum, dictatorem 409 consulem 416 et 429, et ante C. Furium Pacilum consulem 503, in antiquioribus fastis Camillus quidem — ut factum est in Papiriis — ‘Fusius’, Pacilus autem iam ‘Furius’ uidetur fuisse scriptus, atque Ap. Claudio Caeco, cuius media intererat censura, ut multa alia sic litterae *r* quoque inuentionem falso tribuerunt. Qua ratione Pomponii uerbis adeo confirmatur Ciceronis testimonium. Quod denique Iordan formas ‘Vetusius’ et ‘Papisius’ ea de causa abicit, quia in tribuum nominibus, quae seruare soleant prioris aetatis scripturam, non apparent nisi Papi*r*ia’ et ‘Votu*r*ia’, haud ualet multum; nam usus tribum nominibus adscribendi eis demum insueuisse uidetur tem-

poribus, quibus iam prorsus in linguam Latinam irrepserat rhotacismus: cf. Mommsen *Röm. Forsch.* I p. 64. Quae uero affert Iordan p. 106 exempla antiquioris scripturae in tribubus apparentis, plane alius sunt indolis, quippe quae in aliis quoque uocabulis multo diutius uiguerint; ut ou pro u, quod exstat in Oufentinae nomine, apparet etiam in lege Antonia de Termessibus, circa annum 683 incisa, C. I. L. I, 204.

Quam maxime autem Iordani sententia eo infirmatur, quod Liuius nomina illa, littera *s* scripta, habet in libro altero et primo (Sp. Fusius pater patratus Liu. 1, 24) quos ex antiquioribus annalium scriptoribus, Fabio Pictore et Calpurnio Pisone fere constat esse haustos. Neque igitur formae illae a grammaticis possunt esse fictae Sullana demum aetate.

Accedit quod in Veturiorum quidem nomine antiquitus litteram *s* ualuisse ex etymologica quoque ratione fit uerisimile. Cohaerere enim uidetur cum adiectiuo ‘uetus’[1]), quod nominatiuo tantum et in uerbis compositis ‘uetustas’, ‘uetustus’ principalem litteram *s* seruat, quae littera in obliquis casibus, inter duas uocales posita, per rhotacismum est mutata eadem ratione, qua ‘Venus Veneris’, ‘genus generis’, ‘corpus corporis’ facta sunt. Sigmatis uestigium in Graeco quoque restat nomine *Fέτος*, *Fέτους* (orto ex *Fέτεσ-ος*, *Fέτε-ος*). Itaque satis probabile est, nomen quoque gentile, ex eadem radice ortum, ‘Veturium’, antea pronuntiatum fuisse ‘Vetusium , neque sana ratione, ubi apud auctores legitur ea forma, sera deliberatione inlatam dicemus.

Haud igitur dubium mihi uidetur, quin nomina Vetusiorum, Papisiorum, Valesiorum (quos praeter Valerios fuisse ne

1) Notandum est, Varronem quoque (de l. l. 6, 49) — Aelii Stilonis puto carminum Saliorum secutum interpretationem (cf. de l. l. 7, 2) — illi fauere etymologiae, cum dicat ‘Salii quod cantant „Mamuri Veturi“, significant ueterem memoriam’. Sic enim esse scribendum Plutarchus docet (Num. 13): *οἱ δὲ οὐ Βετούριον Μαμούριον εἶναί φασι τὸν ᾀδόμενον, ἀλλὰ Οὐετέρεμ μεμορίαμ, ὅπερ ἐστὶ παλαιὰν μνήμην.* Quae ex Varrone esse hausta, recte monet Peter (‘die Quellen Plut. in d. Biogr. d. Römer’ p. 167). cf. Preller *Röm. Myth.*[3] I p. 359 sq., qui ipse ‘Veturium’ et ‘uetus’ eiusdem esse stirpis censet, cum Mamurium Veturium habeat pro Mamerte Vetere.

ipse Iordan quidem [p. 124] potest negare), Fusiorum reuera usque ad quintum fere urbis conditae saeculum fuerint in usu et fasti consulares, quippe in quibus sic scripta nomina illa appareant, iam quarto saeculo exstiterint litteris consignati. Utrum autem post urbem a Gallis captam demum litteris sint mandati, an iam antea singulis annis in unum fuerint relati corpus, certis argumentis uix potest diiudicari, quamquam equidem uel prioris aetatis — praeter fabulosos annorum 245 ad 248 consules — fastos redire ad eiusdem temporis commentarios inde efficio, quod inter tertii saeculi consules apparent gentes quaedam, quae postea omnino nusquam leguntur in fastis atque iam ipsa prisca illa aetate uidentur esse exstinctae, quarum tamen nomina non possunt esse ficta. Sunt autem: Aternii (cos. 300), Curiatii (cos. 301, decemuir 303), Herminii (cos. 248 et 306), Numicii (cos. 285), Larcii (cos. 248, 264, 253, 256), Romilii (cos. 299, decemuir 303), Sestii (cos. 302, decemuir 303), Tarquitii (mag. equ. 296), Tarpei (cos. 300), Tullii (cos. 254), Volumnii (cos. 293) [1]), alii.

Neque tamen credi potest fastos illa forma, qua nunc eos legimus apud auctores Liuium, Dionysium, Diodorum atque in Capitolinis potissimum tabulis iam ab initio fuisse perscriptos, sed quae in antiquissimis fastis exhibebantur nomina, postea uidentur esse amplificata et exornata: cf. Mommsen *Röm. Forsch.* I p. 48 et 57, Lübbert De Liuii libr. IV fontibus p. 14.

Demonstrauit enim Mommsen l. l., praecipue ex lapidibus seruatis, cognomen in scribendis nominibus sero demum obtinuisse locum neque adscriptum apparere in monumentis publicis, senatusconsultis e. c. ante annum 650 u. c., cum in titulis priuatis, nummis, elogiis quinto fere saeculo uideatur addi coepisse. Quae uiri praeclarissimi obseruatio aliis quoque, ut equidem arbitror, confirmatur argumentis.

---

1) Qui fuit consul annis 447 et 458 L. Volumnius C. f. C. n. Flamma Violens, homo est habendus plebeius (cf. Liu. 10, 23) neque cum patricio anni 293 consule gentilitate est coniunctus.

Ac primum omnia ea, quae inuenimus hausta a scriptoribus ex ipsorum priorum saeculorum titulis monumentisque inscriptis, nil nisi praenomina exhibent ciuium Romanorum nominaque gentilicia, omissis cognominibus. Talia, quae uideantur ad priscos eos fontes ante annum 400 insculptos redire inueni haec:

1. Titulus templi Iouis Capitolini, cuius de dedicatione, anno u. c. 245 facta, narrat Dionysius[1] 5, 35: *τὴν δ' ἀνιέρωσιν καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἔλαβε Μάρκος Ὁράτιος ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων.* Titulum fuisse in aede illa ex Plutarchi quoque loco (Popl. 14) puto apparere, ubi adscribitur dies dedicationis: *εἰδοῖς οὖν Σεπτεμβρίαις ... ὁ Ὡράτιος ... ἐπέραινε τὴν ... καθιέρωσιν.*

2. Inscriptio in aede Saturni, anno 253 u. c. dedicata, quam et Varro et auctor Dionysii uidentur nouisse. Macrob. sat. 1, 8, 1: ‘Varro libro sexto (sc. antiquitatum diuinarum), qui est de sacris aedibus, scribit aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem; Titum uero Larcium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse’. Dionys. 6, 1: *τὴν δὲ (ἐπι)γραφὴν τῆς ἱδρύσεως τοῦ ναοῦ τινὲς μὲν ἱστοροῦσι λαβεῖν Τίτον Λάρκιον τὸν ὑπατεύσαντα τῷ πρόσθεν ἐνιαυτῷ ... τὴν δὲ καθιέρωσιν τοῦ ναοῦ λαβεῖν Πόστουμον Κομίνιον κατὰ ψήφισμα βουλῆς*: cf. Matzat *Röm. Chron.* II p. 8 adn. 7.

3. Foedus Latinum anni 261, de quo supra dixi, ‘in columna aenea (Cic. pro Balb. 23, 53; Liu. 2, 33, 9) incisum’. Sp. Cassium Post. Cominium consules omissis cognominibus in eo nominatos fuisse iam monui.

4. Titulum fuisse aedis Fortunae muliebris, quae dedicata est anno 268, et ex accurate addita dedicationis die et ex reliquis quae attuli inscriptorum templorum exemplis fortasse potest statui. Dion. 8, 55 hac de re ita narrat: *καθιερώθη Κοιντιλίου μηνὸς ἑβδόμῃ μάλιστα κατὰ σελήνην ... ὁ δὲ*

1) Neque tamen ipse Dionysius titulos illos uidit, sed quae de eis profert, auctoribus suis debet, maxime annalium scriptoribus.

καθιερώσας αὐτὸν ἦν Πρόκλος Οὐεργίνιος ἄτερος τῶν ὑπάτων.

5. Nomen Sp. Cassii inscriptum uidetur fuisse in simulacro, quod anno 269 a familia eius Cereri erat dedicatum, ut demonstrant loci allati a Petero (Hist. Rom. reliqu. p. 135 adn. 37) Plinii n. h. 34, 30 et 34, 15 [1]), Liuii 2, 41, 10: ‘signum inde factum et inscriptum: „ex Cassia familia datum“’, Dionysii 8, 79: *χαλκέους ἀνδριάντας ἐπιγραφαῖς δηλοῦντας ἀφ᾽ ὧν εἰσι χρημάτων ἀπαρχαί.*

6. ‘Lex antiquissima incisa in columna aerea a L. Pinario et Furio consulibus’, quam commemorat Varro apud Macrobium sat. 1, 13, 21 (cf. p. 174).

7. Titulus in templo Iouis Fidii a Sp. Postumio consule anni 288 positus: cf. Dion. 9, 60 *ἐν δὲ τῇ πόλει τὸν νεὼν τοῦ Πιστίου Διὸς Σπόριος Ποστούμιος ... καθιέρωσε μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλουμέναις Νόνναις ... ὁ Ποστούμιος ἔλαβεν αὐτοῦ τὴν ἐπιγραφήν.*

8. ‘Columna ... L. Minucio praefecto annonae (ann. 315) extra portam Trigeminam unciaria stipe conlata’: cf. Plin. n. h. 34, 21.

9. Statuae legatorum anno 316 aut 328 a Fidenatibus necatorum; cf. Plin. n. h. 34, 23: ‘inter antiquissimas (sc. statuas) sunt et Tulli Cloeli, L. Rosci, Sp. Nauti, C. Fulcini in rostris, a Fidenatibus in legatione interfectorum’ et Cic. Phil. 9, 2, 5, qui pro Nautio Sp. Antium profert et a Veientium rege caesos esse legatos dicit.

10. Ad titulum redire existimo, quae Liuius (6, 5) tradit: ‘eo anno (366 u. c.) aedis Martis, Gallico bello uota, dedicata est a T. Quintio duumuiro sacris faciundis’.

11. Denique [2]) tabula T. Quinctii dictatoris anni 374,

---

1) Utrumque locum haustum esse existimo ex Pisone, quem perperam intellectum, ut monet Peter, posteriore Plinius loco laudat.

2) Plinius n. h. 35, 12: ‘suorum clupeos, inquit, in sacro uel publico dicare priuatim primus instituit, ut reperio, Appius Claudius, qui consul cum P. Seruilio fuit anno urbis CCLVIIII. Posuit enim in Bellonae aede maiores suos ... quales clupeos nemo non gaudens fauensque aspicit’. Ubi

quam nouerant et Cincius et auctor Liuii. Festus enim (p. 363): 'Trientem, ait, tertium pondo coronam auream dedisse se Ioui donum scripsit T. Quintius dictator, quom per nouem dies totidem urbes et decimam Praeneste cepisset. Id significare ait Cincius in Mystagogicon libro II duas libras pondo et trientem', et Liu. 6, 29: 'tabula . . . his ferme incisa litteris fuit: 'Iuppiter atque diui omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius dictator oppida nouem caperet'. Cf. Matzat *Röm. Chron.* II p. 108 adn. 3.

Tum pro antiquissimis minimeque corruptis meo iudicio sunt habenda sacerdotum nomina, quae ex antiquioribus reipublicae Romanae temporibus nouimus, cum ad sacerdotes omnium litterarum sint referenda primordia. Atque haec quoque nomina, quotquot quidem traduntur, cuncta fere carent cognominibus. Commemorantur enim aetatis antiquissimae pontifices maximi: C. Papirius (Dion. 3, 36), Q. Furius 305 u. c. (Liu. 3, 54) pro quo M. Papirium dicit Asconius (p. 77 Kiessl.), A. Cornelius 333 u. c. (Liu. 4, 27; in eo igitur libro ubi omnibus fere hominibus tribuuntur cognomina), Sp. Minucius 334 u. c. (Plut. de util. ex inim. c. 6 conlato Liuio 4, 44), quos locos debeo Bardtio ('Die Priester d. vier grossen Collegien aus röm. republ. Zeit' p. 3), M. Folius 364 u. c. (Liu. 5, 41: cf. Mommsen *Röm. Forsch.* I, p. 114 adn. 96) qui M. Fabius uocatur apud Plutarchum (Cam. 21) et Ampelium (cap. 20) [1]). Deinde memorantur pontifex [2]) M. Valerius 414 u. c. (Liu. 8, 9), rex sa-

---

crrorem subesse Plinii, quod ab Appio Claudio consule anni 259 positos esse dicit clupeos, ostendit Mommsen *Röm. Forsch.* I p. 310 adn. 46; nam templum Bellonae anno demum 458 ab Appio Claudio Caeco consule iterum esse uotum, constat ex Liuio 10, 19 atque Ouidii fast. 6, 203. Neque prior Appius maiorum suorum potuit ponere titulos honoresque, quippe cuius maiores regum temporibus omnino non essent functi magistratibus. Ortum esse conicio crrorem confusis inter se annis CCCCLVIIII et CCLVIII et omisso Appii Claudii cognomine.

1) Falso Bardt l. l. p. 9 Ampelii locum ad K. Fabium Dorsuonem refert.

2) Quem Bardt l. l. inter pontifices enumerat K. Fabius Dorsuo omnino non fuit pontifex. Ex Liuio enim (5, 46) et Valerio Maximo (1, 1, 11) eum

crorum M'. Papirius 245 u. c. (Dion. 5, 1), curio maximus Ser. Sulpicius, mortuus anno 291 u. c. (Liu. 3, 7), flamen Quirinalis Ser. Cornelius mortuus anno 301 u. c. (Liu. 3, 32), duumuir sacrorum T. Quintius 367 u. c. (Liu. 6, 5), augures M'. Valerius mortuus anno 291 u. c. (Liu. 3, 7), C. Veturius cooptatus anno 301 (Liu. 3, 32). Unus discrepat augur T. Verginius Rutilus, cooptatus anno 291 u. c. (Liu. 3. 7) [1]; nam quod augurem C. Horatium Puluillum, mortuum anno 301 u. c., cognomine auget Liuius (3, 32) ea factum est de causa, quia idem homo paullo ante capite tricesimo consul legitur addito cognomine atque inde repetit Liuius capite 32 'Puluilli' cognomen. Praeter Rutilum primis adscribitur cognomen sacerdotibus quinto demum medio saeculo, scilicet Cornelio Barbato pontifici maximo anno 450 u. c. (Liu. 9, 46) atque auguribus et pontificibus plebeiis ex lege Ogulnia creatis anno 454 u. c., P. Decio Muri, P. Sempronio Sopho, C. Marcio Rutilo, M. Liuio Dentri, P. Aelio Paeto, M. Minucio Faeso (Liu. 10, 9).

Neque eis, qui commemorantur temporis ante liberam rempublicam [2], sacerdotibus cognomina dantur ab auctoribus, ut

---

fecisse priuatum gentis suae sacrum apparet, neque Appianus Celt. 6 p. 49 Mend., Cassium Heminam secutus (cf. Peter Hist. reliqu. p. 101), alio quam ἱερέως illum uocat nomine; primus Florus (1, 13, 16) et post eum Cassius Dio (25, 5 p. 36 uol. I Dind.) pontificem, omisso tamen cognomine, dicunt Fabium, cum ipse Florus (1, 13, 11) pontifices ex urbe fugisse scribat. Fortasse uterque auctor cum pontifice maximo M. Fabio confundit K. Fabium.

1) Hunc locum cum Nitzsch *Röm. Annalist.* p. 96 demonstret esse haustum ex posterioribus annalibus, unum Rutili cognomen non nimiam habet auctoritatem.

2) Memoratu uidetur dignum, omnino non apparere cognomina in antiquissimis Romanorum fabulis historicis neque homines earum gentium quae in fastis consularibus inde ab initio gerunt cognomina, ante expulsos reges referri nisi binis nominibus, ut L. Tarpeium (Fest. p. 343), Sp. Tarpeium (Liu. 1, 11, 6), P. Horatium (Liu. 1, 26, 8), M. Horatium (Dion. 3, 28, Cic. pro Mil. 3, 7), Proc. Iulium (Liu. 1, 16, 5), M. Iunium (Dion. 4, 68), C. Cluilium (Liu. 1, 22, 3) — idem nomen atque Cloelii —, Pinarium (Plut. comp. Lyc. et Num. 3), Anc. Publicium (Dion. 3, 35), Sp. Vettium (Plut Num. 7), Vol. Valerium (Dion. 2, 46) alios.

M. Valerio fetiali, Sp. Fusio patri patrato (Liu. 1, 24, 6), M. Atilio duumuiro (Dion. 4, 62 et Val. Max. 1, 1, 13), Cornelio sacerdoti Dianae Auentinensis (Plut. quaest. Rom. 4).

Quae hucusque disputaui non inueniri docent certa cognominum uestigia ante annum urbis fere 450, immo in eis, quaecunque cum probabilitate quadam referuntur ad antiquioris aetatis memoriam, ignorari cognomina. Sed cum iam ante illum annum scriptos exstitisse fastos consulares supra sit demonstratum, eos quoque sine cognominibus enumerasse antiquissimorum consulum nomina sequitur, posteaque esse addita illa quae nos legimus in fastis saeculi tertii et quarti cognomina: cf. Mommsen *Röm. Forsch.* I, p. 57.

Quod esse uerum uidebimus, si perlustrauerimus nomina, qualia consulum ante annum 400 u. c. exhibeant antiquissimi historiae Romanae auctores. Omnes enim consules praeter clarissimos uiros, Brutum, Poplicolam, Camillum, Cincinnatum, praenomine tantum et nomine gentilicio, nusquam cognomine apud eos appellari animaduertemus. Quae comprobant et fragmenta ex libris illorum seruata et ei auctorum aetatis recentioris libri, Liuii, Dionysii, Plutarchi, aliorum, quos ex antiquioribus haustos esse annalibus constat. Ut Liuius altero libro, quem redire probabile est ad priores annalium scriptores Fabium et Pisonem (exigua ex parte ad Antiatem quoque? cf. Kiessling De Dionys. ant. auct. lat. p. 23), exceptis falsis anni 245 consulibus, a capite octauo ad sexagesimum quintum omnino centum uiginti homines, in quibus octoginta consules, nominat, omnes tamen omisso cognomine praeter unum T. Numicium Priscum consulem anni 285 (Liu. 2, 63).

Ut iam singulos percurram auctores, primus qui consulem Romanum nomine laudat, Duris Samius apud Diodorum (l. XXI, 6 p. 13 Bekk.) Q. Fabium consulem anni 459 commemorat sic: ... *ἀνῃρέθησαν ὑπὸ Ῥωμαίων Φαβίου ὑπατεύοντος δέκα μυριάδες*. Polybius, ut statim absoluam Graecos, libro 3 (22) una cum L. Iunio Bruto consulem anni 245 uocat M. Horatium. Naeuius in fragmentis belli Punici sine cognomine dicit annorum 491 et 512 consules M. Valerium

(uers. 35 Vahl.) et Lutatium (uers. 53 ib.). Neque Cato, quem plerumque ‘res sine nominibus notasse’ tradunt Nepos (Cato 3) et Plinius (n. h. 8, 11), duobus qui in seruatis fragmentis memorantur uiris L. Mamilio (frag. 25 Peter.) Q. Caedicio (frag. 83) indit cognomina.

Apud Fabium Pictorem nullum exstat cognomen; dictator anni 264 u. c. fragmento 16 uocatur A. Postumius. Cassii Heminae unum tantum habemus locum, quo magistratus Romani antiquiores nominantur, fragmentum 20 ex Cassio et Cn. Gellio exscriptum a Macrobio (sat. 1, 16, 21). Ubi legimus tribunos militum anni 365 Verginium, Mallium, Aemilium, Postumium, haruspicem L. Aquinium, tribunum anni 364 Q. Sulpicium.

Pisonem in prioribus annalium libris non adscripsisse cognomina, luculenter apparet ex ipsius uerbis, quae sunt seruata; nam et fragmento 19 ‘L. Tarquinium, inquit, collegam suum, quia Tarquinio nomine esset, metuere’ . . . et fragmento 21: ‘A. Postumius dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis ei, cuius maxime opera capta essent, hanc coronam ex praeda dedit.’ Eadem ratione tribunos plebis anno 283 creatos Liuius (2, 58 = Piso frg. 23) narrat a Pisone esse nominatos Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium. Tum fragmento[1]) 24 eodem atque Cincius modo omissis cognominibus dicit Maelium, Minucium, Quintium dictatorem, Seruilium magistrum equitum (anni 315), denique fragmento 37 Sp. Cassium consulem annorum 252, 261, 268. Etiam annorum 446 et 449 consules secundum Liuium (9, 44, 2 = Piso frg. 26) caruisse uidentur cognominibus apud Pisonem. Primos addito cognomine appellatos inuenimus aediles curules anni 455 Cn. Domitium Caluinum Sp. Caruilium Maximum fragmento 28.

Cn. Gellius praeter illum de quo dixi locum uicesimo quarto quoque fragmento simpliciter ‘L. Furium’ tribunum mi-

1) Extrema fragmenti uerba inde ab *ἐκ τούτου καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τὴν Ἄλαν αὐτῷ τεθῆναι λέγουσιν* . . . alio ex fonte esse sumpta indicant et uerba *καὶ . . λέγουσιν* et etymologica cognominis Ahalae explicatio.

litum (intra annos 322 et 373; cf. Peter Hist. reliqu. p. 172 adn. 24) praefuisse scribit aedi Saturni faciundae. Quid fragmenti 20, ubi P. Valerius, L. Geganius legati anni 262 commemorantur, ad Gellium sit referendum, non potest diiudicari.

Neque in Claudii Quadrigarii reliquiis, cuius annales inde a capta urbe exorsi esse putantur, ante sextum urbis conditae saeculum legimus cognomina. Cuius rei egregium testimonium ipsius sunt uerba, quae exstant apud Gellium (17, 2, 4 = Quadr. frg. 7): 'Nam Marcus, inquit, Manlius, quem Capitolium seruasse a Gallis supra ostendi, cuiusque operam cum M. Furio dictatore apud Gallos cumprime fortem atque inexuperabilem respublica sensit . . .' Pari modo fragmento 10[b]: '. . . id subito, ait, perdolitum est cuidam Tito Manlio, summo genere gnato . . .' Disertis uerbis consules anni 405 citat fragmento 12: 'adulescens tali genere editus L. Furio Claudio Appio consulibus fit tribunus militaris' atque anni 476 consules fragmento 41: 'Consules tum fuerunt C. Fabricius et Q. Aemilius.' Denique fragmento 10[a] Quadrigarium simpliciter dixisse apparet P. Manlium in enarrandis anni 387 rebus.

Annalium Valerii Antiatis octo tantum habemus fragmenta res Romanas inde ab expulsis regibus ad quintum fere medium saeculum narrantia, tamen uel ex eis Antias hoc temporis spatio non praestitisse cognoscitur cognomina[1]). Nam consules anni 320 secundum Liuium (4, 23, 2 = Ant. frag. 20) edidit M. Manlium et Q. Sulpicium, ac consulem anni 290 fragmento 19: 'A. Postumium'. Quod item cadit in eos libros locosque, quos ab aliis auctoribus ex Valerio esse haustos constat. Ut in Plutarchi uita Poplicolae, quam scimus redire ad

1) Quod Asconius in Pis. p. 12 Kiessl. scribit: 'Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio', cognomen uix apud Antiatem legebatur, sed ab Asconio uidetur esse additum. Nam uterque, quem Kiessling (De Dion. Hal. auct. Rom. p. 21) et Peter (Hist. rel. p. 244 adn. 17) ex Antiate hausisse sua demonstrant, auctor Plutarchus (Popl. 20) et Dionysius (5, 39 conl. c. 37) *Μάρκος Οὐαλέριος* habet. Neque tamen esset mirum, si Antias gentilem suum Poplicolae fratrem cognomine ornasset.

Antiatem (cf. Kiessling l. l. p. 24, Peter 'Quellen Plutarchs i. d. Biogr. d. Römer' p. 45 squ.) non nisi notissimi uiri, Brutus, Collatinus, Cocles, Scaeuola, Tubertus [1]) cognomina gerunt, omnes autem reliqui consules aliique magistratus binis referuntur nominibus, ut C. Minucius (cap. 3), P. Veturius et M. Minucius (c. 12) primi quaestores anno 245 creati, Lucretius ac M. Horatius consules suffecti eiusdem anni (ibid.), T. Lucretius consul 246 (c. 16), Herminius (ibid.), M. Valerius consul 249 (c. 20), App. Clausus (c. 21), Lucretius consul 250 [2]) (c. 22). Tum omnibus illis locis, quos et Kiessling et alii plane diuersis usi argumentis ad Valerium Antiatem referunt, desunt cognomina; nam cum Kiessling Dion. VI cap. 5, 12 et 17 Antiatem statuat fontem, non habent cognomina ipsius eius anni (258 u. c.) consules, quo res, in capitibus illis narratae, sunt gestae, quamquam annis, qui praecedunt et subsecuntur, addita leguntur cognomina. Similiter illis, quae Valeriana esse apud Liuium et Dionysium demonstrant Nitzsch (*Römische Annalistik*) et Peter (Hist. reliqu. p. CCCXIV squ.), confirmantur quae disserui.

Q. Aelius Tubero ut Antias, consules anni 320 sine cognominibus edidit M. Manlium Q. Sulpicium (cf. frg. 6 = Liu. 4, 23).

At dedisse cognomina uel antiquissimis consulibus Licinium Macrum iam Nitzsch l. l. p. 29 exposuit. Quod comprobatur fragmentis, decimo tertio potissimum, ubi Liuius (4, 7): 'T. Quinctius, inquit, Barbatus interrex consules (a. 310) creat L. Papirium Mugillanum L. Sempronium Atratinum . . .; idque monumenti est consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis neque in libris magistratuum inueniuntur . . .

---

1) Postumius Balbus, qui Poplicolae dicitur gener capite 22 Plutarchi, fictus uidetur esse ab Antiate.

2) Notandum est, omnes illos consules, quos Plutarchus, Antiatem secutus, omisso cognomine enumerat, apud Dionysium quoque 5, 1—40 sine cognominibus legi, illis autem, quibus Plutarchus dat cognomen, Collatino et Postumio Tuberto, consuli 249, apud Dionysium quoque eadem addi cognomina. Uterque igitur ex eodem auctore uidetur hausisse, quem esse Antiatem Kiessling l. l. aliis de causis statuit.

Licinius Macer auctor est et in foedere Ardeatino et in linteis libris ad Monetae inuenta (sc. nomina consulum) [1]'. Tum decimum quintum afferendum est fragmentum: 'magistratuum libri quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, septimo post demum anno cum T. Quinctio Poeno [2]) A Cornelium Cossum consulem habeant . . .' Etiam in fragmento 16 (Liu. 7, 9, 3) Macro debet Liuius T. Quinctium Poenum dictatorem magistrumque equitum Ser. Cornelium Maluginensem.

Praeterea hic quoque ea, quae aliena usi ratione pro Licinianis habuerunt uiri docti, — Nitzschium taceo, quippe qui et ipse ex cognominibus certos auctorum locos rettulerit ad Macrum — ipsa sunt illa, ubi exstant apud Liuium Dionysiumque cognomina. Ut Peter (l. l. p. CCCXXXXVIII) ex Macro hausta esse Liuii libri quarti capita 1—23 luculenter demonstrauit, in quibus terna usque apparent consulum nomina pari modo atque extrema quoque quarti libri parte, quam Licinio uindicauit Eduardus Lübbert De Liu. libr. IV font. p. 24. Neque aliter sese habet res in locis Dionysii 5, 61; 11, 62, aliisque quos Kiessling l. l. p. 32 et 33 Macro tribuit [3]).

Interdum tamen Macrum quoque omisisse cognomina et docent consules anni 320, quos secundum Liuium (4, 23 = Mac. frg. 14) nominabat (C.) Iulium tertium (L.) Verginium iterum, et infra alia pauca ostendent exempla.

Pro certo igitur puto iam posse statui omnium, quos nouimus, annalium scriptorum primum atque unum Macrum inde

---

1) Haec ipsa ex Macro sumpsisse Dionysium (11, 62) rectissime monent Mommsen *Röm. Chron.* p. 89, Kiessling l. l. p. 32, Peter Hist. rel. p. 304.

2) 'Poeno', non 'Penno' habent codices Liuiani et hic et in fragmento 16; cf. Peter l. l.

3) Quae exposuit Nitzsch, fere congruunt quidem cum mea sententia, tamen multa uir doctissimus Macrum dicit sumpsisse ex Antiate, quae ipsi potius Dionysius et Liuius ex illo transtulerunt. Qui euenit, ut secuti Nitzschium in Macri quoque reliquiis omissa uideremus cognomina. Hunc Nitzschii errorem egregie refutauit Peter Hist. rel. p. CCCXI adn. 1, qui rectissime non potuisse a Licinio Valerium Antiatem, aequalem ipsius adhiberi auctorem primarium affirmat.

a primis liberae rei publicae temporibus fastos exhibuisse additis cognominibus, omnes autem reliquos auctores historicos a Liuio et Dionysio adhibitos ante quintum urbis conditae saeculum binis tantum nominibus rettulisse consules aliosque magistratus neque exstitisse apud illos cognomina nisi clarissimorum populi Romani ducum, Cincinnati, Camilli atque eorum, a quibus expulsos esse reges narrabant fabulae, Bruti, Poplicolae, aliorum.

Quibus acceptis haud mihi uideor iudicare audacius, quod ad Macrum, quippe qui unus ex Liuii et Dionysii auctoribus terna exhibuerit nomina, omnia illa refero in libris Liuii III sq. ac Dionysii V—XI, ubi praeter clarissimos uiros reliqui quoque consules cognomine praediti apparent; praesertim cum utrumque auctorem in illis libris esse usum Licinio constet. Quae cum hic obiter tantum possim tangere, infra explicabo accuratius.

Post Macrum multi auctores exhibent cognomina atque complura habemus fastorum consularium exemplaria, in quibus inde ab initio describuntur magistratus singulis uel pluribus cognominibus. Tamen etiam in libris recentioribus quam Macri saepe omittuntur cognomina atque si illos locos diligentius disquisiuerimus, plerumque inueniemus aut ipsos aut eos, unde hausti sint, fontes redire ad antiquiores annalium scriptores, ita ut hac ratione usi ex nominibus, quid apud posterioris aetatis auctores, Plutarchum [1]), Cassium Dionem, Appianum aliosque ex superioribus, quid ex recentioribus fontibus sit petitum, possimus eruere.

Sed ad fastos ut redeam, inde a Macro in antiquissimi

---

1) Exempli causa Plutarchi uitam Camilli proferam, quam haustam esse ex Dionysio mihi persuadet Peter *Quell. Plut.* p. 17—28. Ubi cum in parte priore ad decimum septimum fere caput appareant cognomina, quae quidem desunt in congruentibus Liuii capitibus, in posteriore autem omnino desiderentur, ut apud Liuium quoque, conicio Dionysium etiam in illis, ut in multis aliis duos auctores fuisse secutum, alterum cui priorem deberet partem, adscribentem cognomen, alterum omittentem, quem in posteriore adhibuerit.

quoque temporis memoria inueniuntur apud auctores cognomina, cum antea omnino nemo ea nouisset ad quintum saeculum usque et archetypi, ut ita dicam, indices bina tantum singulorum consulum dedissent nomina, gentilia atque praenomina. Quae cum ita sint, haud mihi uidetur esse dubium quin illis postea cognomina sint addita. Qua tamen id factum sit ratione, quando, a quo, quaerendum esse existimo diligenter examinatis illis, quos seruatos habemus, consulum laterculis.

Integri exstant fasti consulares annorum 245 ad 400, de quibus mihi est agendum, apud solum Liuium — in libris II ad VII — et apud Chronographum anni 354, qui tamen ad illos annos, quibus pro consulibus tribuni militares consulari potestate summum tenebant imperium, binos tantum tribunos nominat. Tum per idem temporis spatium totum consules — prorsus neglectis tribunis consularibus — enumerant fasti Idatiani [1]) et laterculus consulum in Chronico Paschali seruatus. Dionysius per singulos annos nominat consules in libris V—XI usque ad annum u. c. 311 atque inde ab anno 268 Diodorus ordine refert consulum nomina ad annum 452. Capitolinorum [2]) denique fastorum ad hanc aetatem pertinentia exstant fragmenta maiora et minora, quibus tractantur anni u. c. 271—282, 288—304, 332—340, 345—360, 361—364, 379—396; ad quae accedunt exigua quaedam fastorum triumphalium frustula, quae tribuenda sunt annis 245—260, 268—286, 292, 295—317, 393—425.[3])

1) Fastos antea uocatos Hispanos Idatio esse uindicandos post praeclaram Mommseni disputationem (Corp. Inscr. Lat. I p. 484) qua Sirmondi et Ducangii probat sententiam, nemo potest negare.

2) Ubicunque ex fastis Capitolinis aliquid proferam, et collationem illorum sequar a me anno 1885 Romae institutam et ectypa chartacea ibi facta. Ea, in quibus mea lectio discrepat cum textu, qualis in primo Corporis uolumine legitur, in noua uoluminis illius editione mox instituenda respicientur, recepta benignitate Henzeni atque Hülseni.

3) Cassiodori fastos consulares ex Liuio excerptos omitto, cum nomina non ea qua scripta erant apud Liuium forma reddant, sed cognomina plerumque omittant, ubi Liuius ea refert; cf. Mommsen *Röm. Chron.* p. 113 adn. 204.

Atque plenissima singula nomina edunt fasti Capitolini, cum praeter praenomen nomenque gentilicium cuiusque consulis singula, bina, terna addant cognomina et praeterea patris quoque et aui adiungant praenomina. Nil nisi cognomina habent Idatius, Chronicon Paschale, Chronographus; Diodorus non eadem in toto opere ratione consules nominat, nam ante annum 327 u. c. toties fere terna praebet nomina quoties bina, post illum annum rarissime tantum cognomina refert; nam 331 et consules et alios uiros dicit sine cognomine, septem tantum hominibus ea tribuit.

Denique ne Liuius quidem et Dionysius in scribendis nominibus sibi constant, cum pro fontibus, quos quidem secuntur, aut addant cognomina aut omittant. Neque igitur Liuii neque Dionysii posse dici fastos apparet, quippe qui suos non ex uno eodemque auctore sumpserint, sed alios in aliis libris secuti sint auctores. Id ergo nobis est studendum, ut ad suos quaeque auctores referamus atque tum demum de singulis iudicemus. Quod tamen fieri non potest, nisi antea reliquos examinauerimus fastos.

CAPUT ALTERUM

De fastis Idatii Chronicique Paschalis

Idatium et Chronici Paschalis auctorem plane eosdem dare fastos consulares iam pridem uiderunt uiri docti; qua tamen inter se cohaereant ratione et quo uterque redeat laterculus, nemo adhuc recte mihi uidetur exposuisse.

Ac Mommsen quidem (*Röm. Chron.* p. 109 sq. et Corp. Inscr. Lat. I, p. 484) de Graecis Chronici Paschalis fastis haec iudicat: 'ipsi sunt de quibus modo uidimus Idatiani ex Latino sermone in Graecum conuersi', neque tamen sententiam eam comprobat argumentis. Idatianos autem fastos haustos esse existumat ex indice excerpto ex fastis Capitolinis, sed ne hoc quidem certo demonstrauit.

Quae ab omnibus uidentur probari, nam nemo Mommseno est oblocutus atque sic accidit, ut laterculi Idatii et Paschalis Chronici consensu omnium contemnantur, cum nemo adhibendam censeat epitomam, cuius fontem exstare putant tabulas Capitolinas. Tamen facere non possum, ut assentiar Mommseno, nam neque fastos Chronici Paschalis ex Idatio, neque Idatianos ex Capitolinis translatos esse arbitror.

Atque ut primum explicem, quid sentiam de ratione intercedente inter fastos receptos in Chronicon, quos ego quoque Graecos breuiter dicam, et Latinos Idatii, non potuit ex Latinis fastis haurire Graecorum auctor, quippe qui non nulla exhibeat aut pleniora aut minus corrupta quam index Latinus. Cuius rei firmissimum argumentum est, quod anno 278 u. c. leguntur consulum nomina in Graecis fastis, cum desint apud Idatium. Tum in fastis Latinis anno 260 falsum legitur A. Verginii consulis cognomen 'Vitellino III', repetitum ut opinor ex anno sequenti, in Graeco autem indice recte scriptum est *Γεμίνου*. Deinde anno 526 solus Graecus textus cognomen exhibet *Γούργα* (pro Ruga) Sp. Caruilii consulis, cum in Latino gentile appareat nomen 'Caruilio'. Annis 706, 708, 709, 710 terna habet Caesar nomina in Chronico, singula apud Idatium et pari modo anno 759 legitur *Τηβερίου Καίσαρος* et 'Caesare'. Pro corruptissimo, quod praebet Idatius, anni 488 collegio: 'Fabio et Pictore et poeta' rectius reddunt nomina fasti Graeci: *Φαβίου Πίκτορος καὶ Πέτα* (pro *Πέρα*). Tum falsa leguntur nomina Latina 'Pisone' 485 et 'Pulchro' 725, cum uera habeat laterculus Graecus *Πίκτορος* atque *Ἀπουλήϊου*; rectius denique scribunt Graeci fasti 474 *Κουρουγκανίου* (Idat. 'Caeruntano') 407 *Βένωκος* ('Veneco' Idat.) 320 *Καμερίνου* ('Carino' Idat.) 486 *Σεμπρωνίου* (Idat. 'Simfronio') 603 *Λουκούλλου* ('Loculo' Idat.) 565 *Βούλσονος* ('Vuulscone' Idat.) 483 *Κλεψινάτου* ('Clepisnate' Idat.) 531 *Φίλου* ('Filone' Idat.) 428 *Λίβονος* ('Libonio' Idat.) 737 *Σιλανοῦ* ('Siluano' Idat.) 762 *Καμερίνου* ('Camero' Idat.) multaque alia.

Neque ea, quae sunt falso scripta in fastis Graecis, sunt eius modi, ut orta esse ex Latino exemplo possimus affirmare.

Nam quod annis 392 et 412 legitur *Ἄλλου* omnino non profectum esse potest ab eo quod habet Idatius 'Achala', sed deprauatum esse apparet ex Graeco ΑΑΛΟΥ propter similem litterarum Α et Λ formam; quod item factum est in nomine ΡΟΥΑΛΟΥ (anno 444), recte scripto 'Rullo' in laterculo Latino. Neque anno 585 error, qui comprehenditur in Chronico, natus est ex Latino, sed ex Graeco libro; habet enim recte Idatius 'et Caepione', Chronicon autem Paschale '*καὶ Πίσωνος*', ortum, ut uidetur, ex Graeco ΚΑΙΚΑΙΠΙΩΝΟC. Postremo, si reuera ex Latina in Graecam linguam transuersi essent fasti Chronici Paschalis, non ex deprauata forma ablatiui 'Melitono' (pro 'Mentone') anni 323, uerum genitiuum potuisset efficere auctor Graecus *Μελίτωνος*, cum potius scribendum illi fuisset secundum Latinum exemplum *Μελιτώνου*[1]).

Quibus omnibus — multa etiam possunt addi similia exempla — permoueor, ut ex Idatio translatos esse negem fastos, qui exstant in Chronico Paschali; sed cum in sexcentis erroribus nominibusque falso scriptis aut omissis inter se consentiant, ne me quidem artissimo inter se uinculo utrumque laterculum esse coniunctum fugit, neque tamen alterum pendere arbitror ex altero, sed ad eundem utrumque dico redire fontem, ipsum quoque corruptissimum.

Ea de causa, quod anno 486 P. Sempronius Sophus consul in fastis Idatianis uocatur 'Simfronio Sapiente' Broecker ('Untersuch. über d. Glaubwürdigkeit d. altröm. Gesch.' p. 265) Idatii fastos pariter atque Graecos translatos esse censuit ex Graeco consulum indice, falsoque ab interprete Latino Graecum cognomen *Σοφός* Latine esse redditum putauit nomine Sapientis. Cui Broeckeri sententiae obloquitur Mommsen (*Röm. Chron.* p. 113, adn. 199) fastos Idatianos unquam Graece fuisse scriptos, pernegans. Re tamen diligentius examinata haud mihi est dubium, quin Graecus et Latinorum et Graecorum sit statuendus fastorum fons. Qui cognoscitur imprimis ex

1) Anno 731 fasti Graeci exhibent *Πίσσονος*, Latini recte 'Pisone'. Mendum ortum uidetur esse ex confusis inter se litteris ω et CO, ita ut pro ΠΙCωΝOC lectum sit: ΠΙCCONOC.

mendorum indole et ex scribendorum nominum ratione, quales in utroque laterculo apparent. Ut saepissime pro Latina littera V in fastis Idatianis scribitur littera B, qua Graeci illam solent reddere; sic legitur apud Idatium anno 264 'Flabio' et 361 'Flabo' pro Flauo; 'Publilio' pro Puluillo 247, 277, 297; 'Bibulano' pro Vibulano 287; 'Albo' pro Elua 291; 'Galbino' pro Caluino 420, 422, 433; 'Albino' pro Aruina 448, 466; 'Faberio' pro 'Sauerrio' 450; 'Abentinesi' pro Auentinensi 451; 'Laebymno' 474 et 'Lebyino' 544 pro Laeuino; 'Scaebola' 579 et 'Sinerebula' 637 pro Scaeuola; 'Octabio' 589 et 667 pro Octauio; 'Bulcatio' 688 pro Vulcatio; 'Balbino' 701 et 'Calbino' 714 pro Caluino; 'Corbilio' 722 pro Coruino. Contra littera B apud Idatium nonnumquam deprauata est in V litteram ea, ut puto, de causa, quia scriba textus Latini in fonte Graeco littera illa Latinam V reddi sibi persuasit [1]), unde sunt orta 'Uulbo' pro Bubulco 463; 'Volbo' pro Bulbo 519; 'Galua' pro Galba 543 et 610. Pro Latina autem uocali U, quia Graece scribitur ΟΥ saepius legitur in laterculo Idatiano O; exempla profero nomina haec: 'Maloginense' 269 et 295, 'Vibolano' 333; 'Fundolo' 511; 'Volbo' 519; 'Rogo' 520; 'Loculo' pro 'Lucullo' 602; 'Bibolo' 695. Tum saepe inter se confunduntur ab Idatio litterae A atque L, nimirum propter similitudinem Graecarum litterarum Α et Λ; ut, quae iam notaui, ΡΟΥΑΛΟΥ pro ΡΟΥΛΛΟΥ 444 et ΑΛΛΟΥ pro ΑΑΛΟΥ 392 et 412; atque idem error subest deprauato nomini 'Mallio' pro 'Lanato' anno 315, ubi litterae ΛΑ pro Μ sunt habitae. Confusis inter se litteris

ΛΑΝΑΤΟΥ
ΜΑΛΛΙΟΥ

Ν ac ΛΙ facta sunt, quae exstant anno 722 ΚΟΡΒΙΛ*ου* et 'Corbilio' pro ΚΟΡΒΙΝ*ου*; porro 'Melitono' 323 pro 'Mentone', natum ex ΜΕΛΙΤΩΝΟC pro ΜΕΝΤΩΝΟC.

Graecam deinde originem prae se fert nomen 'Aesculino' 276 pro 'Esquilino', nam Graece QV scribitur ΚΥ.

---

1) Eadem ratione falsa scripsit annis 434, 531, 548, 534 'Filone' pro Philone aut Philo, quia hic quoque ut saepissime litteram φ putauit positam esse pro Latina littera F.

Ex Graeci genitiui in *ου* exeuntis forma falsi, quos exhibet Idatius, casus ablatiui sunt explicandi, ut 'Gurgito' 478 pro Gurgite ex *Γουργίτου*; 'Laenate' pro Lanato ex *Λανάτου* 277 et 302; 'Albino' pro Aruina ex *Ἀρβίνου* 403 et 466; 'Barbulo' pro Barbula ex *Βαρβούλου* 437; 'Rogo' pro Ruga ex *Ῥόγου* 520; 'Noctuo' pro Noctua ex *Νοκτούου* 465; tum 'Poena' pro Poeno ex *Ποίνου* 322; 'Carba' pro 'Carbo (ne)' ex *Κάρβου*, quod legitur in fastis Graecis anni 634. Eadem ratione peruerse conformatus ablatiuus 'Rega' pro Rege 636 oriundus est ex Graeco, quem habemus anni 636, genitiuo *Ῥήγου*. Neque alia est causa ablatiuorum 'Seleno' 415 pro 'Philone', 'Melitono' 323 pro 'Mentone' nisi Graeci genitiui *Σίλωνος*, *Μελίτωνος*.

Sed praeter illa ex scribendi ratione ducta alia quoque eaque grauissima sunt argumenta, quibus ad Graecum fontem et Idatium et fastos Graecos referendos esse apparet.

Ac primum mihi quoque maximi uidetur momenti, quod Broecker (l. l. p. 265) profert cognomen 'Sapiente' ab Idatio scriptum sub anno 486. Nam ipse Graecum Sophi cognomen, quod apud reliquos auctores et 450 et 486 legitur, Latino uocabulo idem significante redditum esse puto ab homine rudi, qui totos fastos Idatianos ex Graeco in Latinum transtulit sermonem.

Alterum, quo nitar, exemplum profero nomen L. Furii Purpureonis consulis anni 558, quod Latini fasti scribunt 'Porphyrio', Graeci *Πορφυρίου*. Quod cum sit ipsum Latinum cognomen Graece uersum, haud iam dubium potest esse, quin uterque laterculus ex communi Graeco fonte illud assumpserit.

Denique anni 498 alterius consulis nomen ea ratione est corruptum, ut nisi Graeco statuto fonte nequeat explicari. Huius enim anni consules L. Manlium Vulsonem Q. Caedicium (cui a nullo auctore additur cognomen) Idatius uocat 'Vulsone et Decio', Chronicon Paschale *Βούλσωνος καὶ Δεκίου*. Atque hanc corruptelae dico esse originem:



Excidisse enim uidetur in priore fonte Graeco alterum και; ac sequenti in fonte scriba, cum is consul, qui altero loco nominabatur, particula καὶ fere adnecteretur, illud quod erat relictum και pro particula habuit copulatiua; quia autem ‘Dicium’ non nouit nomen Romanum, notissimum posuit pro eo nomen Decii. Iam uero Idatius falsum hoc nomen accepit et Latine uertit ‘et Decio’, cum fasti Graeci retinerent, quod exstabat in fonte suo, καὶ Δεκίου. Plane simili modo errasse iam supra ostendi fastorum Graecorum auctorem anno 585. Ubi appellatur consul Cn. Seruilius Caepio ‘καὶ Πίσωνος’, cum Idatius recte habeat ‘et Caepione’, ita ut in fonte appareat fuisse scriptum ‘καὶ Καιπίωνος’, fastorum autem Graecorum scribam altero και omisso, altero pro ‘et’ ducto ex πιωνος quod restabat finxisse Πίσωνος.

Atque haec sufficere censeo ad demonstrandum, non esse fastos Graecos ex Idatianis translatos, sed utrumque latere culum ex eodem Graeco fluxisse fastorum exemplo, cui plurima ac foedissima illa debent menda, quae utrique communia reperiuntur.

Quae si accuratius examinauerimus, iam unde ipsum Graecum exemplum haustum sit, elucebit. Tam enim saepe litterae Graecae confunduntur cum plane diuersis Latinis, quae tamen eadem imagine scribantur, ut dicamus necesse sit, Graecum Idatii ac Chronici Paschalis fontem si non ex ipso exscriptum tamen esse referendum ad Latinum consulum indicem. Nam quod et apud Idatium et in fastis Graecis legitur alterius anni 327 consulis nomen ‘Achilla’, Ἀχίλλα ortum est ex eadem litterarum x et χ forma. Ex Latino AXILLA homo Graecus fecit ΑΧΙΛΛΑ et qui eum secuti sunt fasti Idatiani et Graeci

Achilla', *Ἀχίλλα*. Porro haud raro inter se confunduntur litterae p et r, ut sub anno 528 'Arustio', *Ἀρουστίου* pro 'Apustio', natum ex APVSTIO—APOYCTIOY; anno 403 'Roetico' *Ρουστικίου* pro 'Petico', corruptum ex PETICO—PЄTIKOY. Anno 344 'Rustico', *Ρουστικίου* pro 'Potito' ita uidetur esse ortum, ut antiquior nominis forma PVTITVS (cf. fast. fer. Lat. anno 305 C. I. L. VI. 2011; Mommsen *Röm. Forsch.* II, p. 100) Graece perperam sit scripta littera P et inde notissimum sit enatum cognomen Rustici.

Tum egregie, Latinum fuisse primum fastorum illorum fontem [1]), demonstrat, quod legitur sub anno 561 nomen 'et Hermo', *καὶ Ἕρμου*, nam nisi Latine non exarabatur utraque littera, et T et H. Irrepsit autem error ita, ut ex primario 'ETTHERMO' altera littera T excideret post alteram, fieretque ETHERMO, quod fasti seruati reddunt 'et Hermo', *καὶ Ἕρμου*.

Neque tamen ex ipso hoc Latino fonte exscriptum esse Graecum, unde profecti sunt Idatius et Paschale Chronicon, laterculum iam monui, nam plures intercedere medios fontes ea potissimum de causa conicio, quod anni 498 corruptela, ut supra exposui, nisi compluribus fontibus continuis positis explicari non potest. Quot autem et quales illi fuerint fontes, euincere nequimus.

Haud igitur adsentior Mommseno dicenti fastos Chronici Paschalis ipsos esse Idatianos Latine redditos. Neque magis

---

1) Latinum fontem Bröcker quoque (l. l. p. 334) statuit, sed uno tantum eoque uanissimo usus argumento. Falsum enim quod legitur anno 271 cognomen 'Tertullo' pro 'Iulo' inde ortum esse dicit, quod anno praecedenti tertium' fuit consul K. Fabius Vibulanus. Cuius adscriptum fuisse nomini notam 'tert.', qua perperam coniuncta a scriba cum cognomine 'Iulo' prodiisse 'Tertullo'. Quod quam sit futtile facile intellegitur; nam primum omnino non praecedit Fabius nomini Iuli, sed medius interpositus est Valerius consul; tum magistratuum repetitorum notae ne semel quidem apud Idatium uerbis, sed numeris significantur; et postremo facile ut pro inusitato cognomine 'Iulo' notissimum 'Tertulli' scriberetur potuit fieri, praesertim cum saepe pro Iulo et Iulio exhibeant Tullum et Tullium Idatius (265), Chronicon Paschale (265, 324), Liuius (272, 330, 346, 349, 353, 357).

probo, quod Idatium (ac per hunc Graecos quoque fastos) si non ex eo fastorum Capitolinorum exemplo, cuius nos habemus marmorum fragmenta, tamen ex plane gemello putat esse excerptos, hoc — ut mihi uidetur — adductus momento, quod, quae exstant apud Idatium [1]) cognomina, fere omnia redeunt in fastis Capitolinis. Cui tamen uiri praeclarissimi sententiae satis multa obstant, quibus consideratis fastos Idatianos duco pro fastorum recensione plane diuersa a Capitolina.

Primum habere Idatium quaedam cognomina sibi propria, quae non leguntur in indice Capitolino, ipse monet Mommsen atque enumerat haec: 'Albinum' consulis 492 ('Megellus' in fastis Capitolinis), 'Longum' anni 511 ('Gallus' Capit.), 'Rugam' 520 ac 526 — in Chronico, omissum ab Idatio — ('Maximus' Capit.), 'Maximum' 528 (sic habet Chronicon Paschale, apud Idatium 'Maximo Messala', 'Messalla' Capit.); quibus equidem addo 'Samnitem' 440, ubi marmora Capitolina habent 'Libonem'.

Tum plane aliam atque fasti Capitolini sequitur Idatius memoriam in appellando Q. Fabio Maximo, consule sexies inde ab anno 432 ad annum 459. Quem cum in tabulis Capitolinis (annis 439, 444, 446, 450, 459 et in fastis triumphalibus 432, 445, 459) uocetur 'Rullianus', Idatius Graecique fasti, ubicunque apparet, appellant 'Rullum'. Neque errore hoc esse factum, sed reuera exstitisse in quibusdam fontibus hanc nominis formam — quam primariam duco ueriorem deriuata illa 'Rulliani' — inde elucet, quod praeterea reperitur etiam apud Liuium (24, 9 et 30, 26), Ciceronem (Phil. 5, 17, 48), Cassium Dionem (frg. 35), Zonaram (7, 26 et 8, 1), Frontinum (2, 4) et Pseudo-Frontinum (4, 1, 39).

Item cum fastis Capitolinis discrepat Idatius in scribendo cognomine consulis Sp. Postumii 288 u. c., quem uocant tabulae Capitolinae 'Regillensem' (secundum Chronographum anni 354; cf. Capitol. a. 351 et 388), Idatius autem 'Regillianum' (*Ρεγιλλιανόν*), eadem ratione, qua in Claudia quoque gente

1) Ubicunque infra commemorabo Idatium, simul Graecos Chronici Paschalis dico fastos consulares.

idem cognomen scribitur (In)regillensis in fastis Capitolinis et a Chronographo, Regillanus a Diodoro et Suetonio.

Tum, quod grauius etiam est argumentum, complurium annorum prorsus alios consules atque laterculus Capitolinus aut nominat aut in fonte suo nominatos inuenit Idatius.

Ut anni 361 u. c. consules edit eosdem, quos Liuius atque Diodorus (L. Lucretium) Flauum et (Ser. Sulpicium) Camerinum, cum in fastis Capitolinis sint consules ordinarii (secundum Chronographum) . . Valerius Potitus . . Cornelius Maluginensis, suffecti Flauus et Camerinus. Ac plane ignorasse Idatium ordinarios fastorum Capitolinorum consules certo constat; nam ubi complura eodem anno consulum legebantur collegia, Idatius semper ordinarios, nunquam suffectos eligit atque hac ipsa de causa omittit annum 310 ut omnes annos, quibus penes tribunos consulares summum erat imperium, quamquam illo anno post tribunos creati sunt consules suffecti.

Porro sub anno 276 Idatius et Chronicon Paschale perinde ac Dionysius (9, 16) consules nominant L. Aemilium et Esquilinum, cum Liuius habeat L. Aemilium C. Seruilium, Diodorus *Λεύκιον Αἰμίλιον Μάμερκον Γάιον Κορνήλιον Λεντοῦλον* [1]),

1) Nomen, quod legitur apud Diodorum *Γαίος Κορνήλιος Λεντοῦλος* (sic in codice Patmio) corruptum uidetur neque, ut nonnulli uoluerunt uiri docti, pro antiquioris memoriae est habendum uestigio. Primus enim Cornelius Lentulus, quem nouimus, est L. Lentulus consul 427, neque quisquam uno Diodori loco nisus iam tertio saeculo statuet fuisse Lentulos, praesertim cum ante septimum urbis conditae saeculum nemo Lentulus gesserit Caii praenomen. Equidem puto subesse nomen C. Seruilii Structi, quem nominant consulem illius anni Liuius, Chronographus, fasti Capitolini; nam similes sunt CЄPOYIAIOC imagines nominum eorum atque Seruilii et Cornelii apud KOPNHAIOC alios quoque auctores inter se confunduntur, ut apud Liuium 5, 36. Lentuli autem cognomen tum demum inlatum puto, cum iam scriptum esset KOPNHAIOC.

Multa alia quoque corrupta apud Diodorum nomina redire uidentur ad codicem archetypum maiusculis litteris exaratum, ut est

11, 63 OYACΩN pro OYACΩN — 12, 27 CTЄPTINIOC pro OYЄPΓINIOC — et

12, 53 CONTIKIOC pro COΛΠIKIOC — 11, 65 λευκιOCCTOYΔIOC pro λευκιOC IOYΛIOC

tum 15, 23 Δέκιος pro Λεύκιος.

fasti autem Capitolini [ac Chronographus, 'Mamerco II et Structo'] ordinarios (L. Aemilium Mamercum C. Seruilium) Structum Ahalam, suffectum . . . Esquilinum [1]). Ergo hic quoque alienam a Capitolinorum fastorum memoriam sequitur Idatius ac confirmatus quidem testimonio Dionysii.

Neque anno 320 cum Capitolinis consentiunt fasti Idatiani. Ubi alios auctores narrat Liuius (4, 23) perhibere consules, alios tribunos militares consulari potestate. Ac tribunos quidem legimus apud Diodorum (12, 53), et in Capitolinis quoque tabulis eos exstitisse elegantissima disputatione demonstrauit Mommsen (*Röm. Forsch.* II, 222); nam cum duo, quae Chronographus habet, nomina non efficiant alterum eorum,

1) Consulis suffecti in fastis Capitolinis unum exstat cognomen 'SQVILINVS', ad quod supplet Henzen (C. I. L. I p. 443 cf. Mommsen ib. p. 488) Borghesium secutus [Opet. Verginius Opet. f. Opet. n. Tricost. E]squilinus, quia Liuius eidem L. Aemilio, qui consul est 276, collegam dat Opitrem Verginium plane ignotum anno 281. Neque tamen adsentiri possum uiro quam maxime mihi uenerando, nam cum diligenter locum illum fastorum Capitolinorum Romae contuli spatium uidi haud sufficere supplementis Henzeni. Versus enim praecedentis, quo mors consulis ordinarii notata est, quattuordecim perierunt litterae; cum autem in lapide nomen suffecti magistratus una uel duabus litteris ante soleat incipere, quam ille uersus, qui mortuum esse dicit ordinarium (cf. ann. 296 et 361), nominis Esquilini litterae maxime quindecim excidisse uidentur. Henzen autem litteras suppiet 31, quas marmor capere non potuisse inde quoque intellegitur, quod in hoc ipso Esquilini nomine latiore quam in plurimis aliis spatio inter se distant litterae. Ac quo facilius distinguantur ab ordinariis suffecti paullo retro atque illi ponuntur in singulis uersibus, ita ut nequaquam anno 276 Verginii nomen scriptum esse potuerit. Praeter Verginios illa aetate Esquilini cognomine utebantur Minucii et Sergii. Quodsi consideramus, Dionysium, quocum consentire Idatium iam saepius uidimus, huius ipsius anni prodere consulem C. Sergium, non iam est dubium, quin in Capitolinis quoque fastis C. Sergius Esquilinus fuerit nominatus consul, praesertim cum optime conueniat Sergii nomen cum litterarum deperditarum numero. Continetur enim nomen 'C. Sergius . . f. . n. E)SQVILINVS', addita nota genealogica tredecim litteris nec plures quam quindecim excidisse supra exposui. Accedit quod alius C. Sergius Esquilinus, quem filium fortasse putabant consulis 276 (cf. not. geneal. consularis tribuni L. Sergii C. f. C. n. Fidenatis, anno 336), a Diodoro (conlatis fastis Capitolinis) refertur inter decemuiros anni 304.

quae ex Liuio nouimus, collegiorum consularium, ex tribunorum numero electa ea esse apparet. Idatium autem discrepare cum illis auctoribus ea de causa statuendum est, quia apud eum duo leguntur nomina 'Capitolino et Carino' (*Καπετωλίνου τὸ ς' καὶ Καμερίνου*). Qui, si in fonte suo inuenisset notatos tribunos consulares, hunc annum ut omnes reliquos tribunicios omisisset; cum uero nomina exhibeat, sequi eum memoriam discrepantem a fastis Capitolinis elucet.

Sed praeter haec discrimina, quae intercedere obseruauimus inter Idatianos Capitolinosque fastos, grauissimum argumentum sententiae meae sunt ipsa, quae refert Idatius, consulum cognomina. Quibus accuratius comparatis cum eis, quae legimus in fastis reliquis, clare apparebit, non fluxisse indicem Idatianum ex Capitolino, sed propriam integramque reddere fastorum consularium recensionem.

Atque existumat Mommsen eum, quem exscripsisse dicit fastos ex laterculo Capitolino, ubicunque in illo singulis consulibus plura indita sint cognomina, singula elegisse. Quod si esset uerum, rara constantia id fecisse esset dicendus, quippe qui in compluribus eorundem uirorum consulatibus idem usque cognomen uideretur exscripsisse. Apud Chronographum enim, quem illa, quam dicit Mommsen, ratione fastos suos composuisse scimus, saepe consules, quibus marmora Capitolina bina dant cognomina, altero in priore consulatu altero cognomine appellantur in posteriore. Neque tamen Idatii fastos ita dico esse ortos.

Nam si composuerimus nomina consulum Idatiana inde ab anno 245 u. c. ad annum 311 cum eis, quae eiusdem aetatis exhibet Dionysius, omnibus in quadraginta uno [1]) consulibus,

1) Anno 288 u. c. Sp. Postumius consul apud Idatium uocatur 'Regilliano', in Chronico Paschali '*Ρεγιλλιανοῦ*', apud Dionysium (9, 60) ΛΑΙΝΙΟC, pro quibus Reiske atque alii scribunt 'Albinus'. Cum autem Dionysius antiquissimos Postumios dicat Albos, non Albinos (cf. Dion. 9, 62) potius scribendum est ρεγιΛΛΙΑΝΙΟC, nam prima nominum Romanorum syllaba saepius supprimitur a Dionysio, ut anno 289 legitur '*ιουλανός*' pro 'Vib-ulanus'; 285 '— Νομεντανός' et 260 '— *μοντανος*' pro '*ΚαιΛιομοντανός*'.

quibus uterque auctor addit cognomina — nam apud Dionysium non nisi in certis quibusdam antiquitatum partibus apparere cognomina moneo — idem usque cognomen uidebimus ab utroque positum, cum per id ipsum temporis spatium Diodorus atque Chronographus in triginta duobus cognominibus differant ab Idatio. Et Dionysius quidem, quae refert consulum nomina, ex annalium scriptoribus sumpsit neque omnino nouit fastos Capitolinos. Iam igitur auctor laterculi Idatiani statuendus esset ex binis uel ternis recensionis Capitolinae cognominibus miro casu id ipsum usque elegisse cognomen, quod quidem Dionysius in fonte, tum forte adhibito, legerit adnotatum. Quem consensum effectum esse casu nemo contendere potest, qui memoria tenebit, Idatium, ut supra demonstraui, in aliis quoque rebus, maxime in consule ordinario anni 276, C. Sergio Esquilino (cf. p. 198 adn. 1) contra reliquos auctores consentire cum Dionysio.

Inde ab anno 311 libri Dionysii desunt, feliciter autem euenit, quod paullo ante, ab anno 309 Liuius, quem isdem quibus Dionysium usum esse annalibus constat, terna proferre coepit nomina consulum, omissis ad illum annum usque cognominibus.

Ac si eadem ratione, qua supra cum Dionysianis, sic nunc cum cognominibus quae exhibet Liuius comparauerimus Idatiana, idem quod in illis, in his quoque comprehendemus; nam cum triginta sex consules intra annos 309 et 362 et Liuius et Idatius additis cognominibus edant, triginta quinque [1]) apud utrumque auctorem idem gerunt cognomen. Unus facit contra consul anni 312 Post. Aebutius, quem uocat 'Cornicinem' Liuius (4, 11), 'Eluam' Idatius, Chronicon Paschale, Chronographus,

1) Quod consulem anni 327 Idatius dicit 'Achillam', Liuius 'Ahalam', idem cognomen uterque sentit. Manifesto errore Liuius anno 343 alterum consulem dicit M. Papirium Atratinum, cum eundem uirum aliis locis recte nominet Mugillanum neque Atratini cognomine utantur nisi Sempronii. Natus uidetur esse error inde, quod intra paucos annos complures Papirii Mugillani apparent in fastis collegae Semproniorum Atratinorum, scilicet annis 310, 311, 338.

Diodorus, auctor de praenominibus (p. 743 Kempff.). Sed quod habet Liuius cognomen, grauem mouet dubitationem. Cornicinis enim cognomen, quod in Oppia gente erat usitatum, apud neminem Aebutium inuenitur, atque Postumum Aebutium, de quo quaeritur, ut Idatius ceterique auctores ipse Liuius paullo post (uicesimo altero capite) dicit Eluam et caput illud ex eodem fonte hausisse Liuium, quem uicesimo altero sequitur, a Petero est demonstratum, ut iam p. 186 monui.

Cum uel Dionysii atque Idatii mirus sit consensus, plane incredibile est, eum ipsum casum in Liuio quoque ita accidisse, ut Idatius illud usque ex compluribus fastorum Capitolinorum exscriberet cognomen, quod ex annalibus sumpsisset Liuius, quem fastis Capitolinis non esse usum scimus.

Sed latius etiam patet similitudo fastorum Liuianorum et Idatianorum, quam clarissime cognoscimus ex compositis inter se utriusque auctoris fastis.

Habent autem:

Idatius		Liuius	
ann. 307	Macrino et Iulio.	3, 65.	M. Geganius Macerinus. C. Iulius.
— 308	Furio et Capitolino.	3, 66.	T. Quinctius Capitolinus. Agrippa Furius.
— 309	Genucio et Curtio.	4, 1.	M. Genucius. P. Curatius.
— 310	trib. mil. cons. pot.		
— 311	Macrino et Capitolino.	4, 8.	M. Geganius Macerinus. T. Quinctius Capitolinus.
— 312	Vibulano et Helua.	4, 11.	M. Fabius Vibulanus. Post. Aebutius Cornicen.
— 313	Pacilo et Crasso.	4, 12.	C. Furius Pacilius. M. Papirius Crassus.
— 314	Macerino et Lanato.	4, 12.	Proc. Geganius Macerinus. L. Menenius Lanatus.
— 315	Mallio [1]) et Capitolino.	4, 13.	T. Quinctius Capitolinus. Agr. Menenius Lanatus.

1) 'Mallio' *Μαλλίου* quod exstat apud Idatium et in Chronico Paschali, non esse nomen gentilicium, sed deprauatum cognomen 'Lanato' quod habet Liuius, supra exposui p. 192.

Idatius	Liuius
ann. 316 trib. mil. cons. pot.	
— 317 Macrino et Fidenate.	4, 17. M. Geganius Macerinus. L. Sergius Fidenas.
— 318 Malaginense et Crasso.	4, 21. M. Cornelius Maluginensis. L. Papirius Crassus.
— 319 Iulio et Virginio.	4, 21. C. Iulius. L. Verginius.
— 320 Capitolino et Camerino.	4, 23. varias auctorum sententia s pro fert incertus veri.
— 321 et 322 trib. mil. cons. pot.	
— 323 Poena et Melitono.	4, 26. cf. 29 T. Quinctius Cincinnatus. (alii Poenus.) C(n) Iulius Mento.
— 324 Crasso et Iulio.	4, 30. L. Papirius Crassus. L. Iulius.
— 325 Tricipitino et Fidenate.	4, 30. L. Sergius Fidenas. Host. Lucretius Tricipitinus.
— 326 Cosso et Poeno.	4, 30. A. Cornelius Cossus. T. Quinctius Poenus.
— 327 Achilla et Mugillano.	4, 30. C. Seruilius Ahala. L. Papirius Mugillanus.
— 328—330 trib. mil. cons. pot.	
— 331 Atratino et Vibulano.	4, 37. C. Sempronius Atratinus. Q. Fabius Vibulanus.
— 332 trib. mil. cons. pot.	
— 333 Capitolino et Vibulano.	4, 43. C(n). Fabius Vibulanus. T. Quinctius Capitolinus.
— 334—342 trib. mil. cons. pot.	
— 343 Mugillano et Rutilo.	4, 52. M. Papir. Atratin. (pro Mugill. cf. p. 200 adn. 1). C. Nautius Rutilus.
— 344 Aemilio et Rustico (=Putito).	4, 53. M. Aemilius. C. Valerius Potitus.
— 345 Casso et Mudullino.	4, 54. Cn. Cornelius Cossus. L. Furius Medullinus.
— 346—360 trib. mil. cons. pot.	
— 361 Flabo et Camerino.	5, 29. L. Lucretius Flauus. Ser. Sulpicius Camerinus.
— 362 Potito et Capitolino.	5, 31. L. Valerius Potitus. M. Manlius Capitolinus.
— 363—387 trib. mil. cons. pot.	

Atque anni 361 eosdem dicere Liuium consules ordinarios, quos Idatium, scilicet L. Lucretium Flauum, Ser. Sul-

picium Camerinum, suffectos consules recensionis Capitolinae, iam ante notauimus.

Quod autem ad nomina singula attinet, non solum uidemus in omnibus cognominibus praeter unum, de quo dixi, Cornicinis, consentire inter se Idatium et Liuium, cum a ceteris fastis saepius discrepent, sed — quod maiorem etiam mouet stuporem — in omissis quoque cognominibus plane congruere. Quocunque enim anno uterque consul scribitur binis tantum nominibus apud Idatium, Liuius quoque omittit cognomina (cf. 309 M. Genucius, P. Curiatius, et 319 C. Iulius, L. Verginius), ubi autem Idatius alterius consulis bina exhibet nomina alterius terna, usque quaque etiam Liuius eum tantum addito refert cognomine consulem, cuius apud Idatium exstat cognomen, alterum autem et ipse, ut Idatius, praenomine et gentilicio nomine appellat, ut C. Iulium 307, Agrippam Furium 308, L. Iulium 324, M. Aemilium 344.[1])

---

1) Anni 288 consules Idatianos sic scribit Mommsen (C. I. L. I, p. 490): 'Regilliano et Fusco', cum Dionysius et Chronographus recte nominent alterum consulem 'Priscum'. Neque tamen errat Idatius in cognominibus, sed plane alii consuli, scilicet Sp. Furio anni 290 tribuendum uidetur Fusci illud cognomen. Duorum annorum collegia consularia desunt apud Idatium et in Graecis fastis (289 et 290) atque eo modo puto excidisse illa, ut a nomine Sp. Postumii Regilliani, consulis 288, scribae oculus aberraret ad cognominem anni 290 consulem A. Postumium Album, omnibusque, quae media intererant, nominibus omissis, statim Sp. Postumio Regilliano collega daretur Sp. Furius Fusus. Consulum igitur haec est constituenda apud Idatium series:

288	Regilliano	(Sp. Postumius Regillanus.)
	et Prisco.	(Q. Seruilius Priscus.)
289	Capitolino	(T. Quinctius Capitolinus.)
	et Vibulano.	(Q. Fabius Vibulanus.)
290	Albo	(A. Postumius Albus.)
	et Fusco.	(Sp. Furius Fuscus.)

Consentiunt igitur in his quoque inter se Idatius et Liuius, neque solum in eodem Fusi cognomine, pro quo Medullinum habet Diodorus, sed etiam in perperam scripto 'Fusco', quod casu in utrisque fastis sic exstare nemo contendet. Praeterea 'Album' fuisse scriptum cognomen consulis A. Postumii in fonte illo Idatii — ut apud Liuium ac Dionysium — inde

Itaque qui nunc etiam Idatium ex fastis Capitolinis putabit esse excerptum, ei hoc quoque casu factum esse statuendum erit, ut eorum consulum, quorum habet cognomina Liuius, excerptor illud usque elegerit, quod, ut ante Dionysius, tum Liuius edit, eorum autem, qui carent cognominibus apud Liuium, et ipse casu omiserit cognomina. An illud quoque casui est tribuendum, quod eandem scribendi rationem secuntur et Liuius et Idatius, cum uterque Penni cognomen scribat 'Poenus'[1]?

Illius temporis spatii, quo tam accurate consentientes inuenimus Liuium et Idatium, apud Dionysium duo tantum consulum collegia seruata sunt, annorum 309 atque 311, quae iam componamus cum Idatio Liuioque:

Idatius		Liuius		Dionysius	
309	Genucio[2]) et Curtio.	4, 1	M. Genucius. P. Curiatius.	11, 53	*Μάρκος Μενύκιος. Γάιος Κοίντιος* (pro *Κουρτ.*).
311	Macrino et Capitolino.	4, 8	M. Gegan. Mac. T. Quinct. Cap.	11, 62	*Τ. Κοίντ. Καπετ. Μ. Γεγάν. Μακερ.*

Itaque Dionysius quoque eosdem, quos Liuius atque Idatius, anni 309 consules omissis cognominibus refert neque con-

colligo quod sequentis consulis (anni 291) L. Aebutii cognomen falso scribit Idatius — aliter atque in Chronico Paschali — 'Albo' pro 'Elua'. Eodem errore quo hic aliis quoque locis interciderunt nomina consulum ex Idatianis Graecisque fastis, ut annorum 399—402: Potito, pro Petico, (et Publicola, 400 Ambusto et Capitolino, 401 Petico et Publicola, 402 Rutilo) et Publicola; tum anni 517: 'Claudio, pro Caudino, Lentulo' (et Flacco, 518 Caudino Lentulo) et Varo; deinde anni 580: 'Albino (et Scaeuula; 581 Albino) et Laenate'; postremo anni 613: 'Caepione (et Pompeio; 614 Caepione) et Lacrio (sc. Laelio)'.

1) Liuius eam nominis formam scripsit annis 323 et 326 (= 4, 26 et 30) et lib. 4, 20; Idatius fastique Gracci annis 323, 326, 403. Pari modo Postumiorum quoque antiquiorum cognomen scribunt 'Album' Idatius, Liuius, Dionysius, 'Albinum' Diodorus.

2) Minime esse spernendos fastos Idatianos ex omisso Genucii cognomine intellegimus; nam quod exhibet Chronographus cognomen Augurini sero demum a falsario esse excogitatum, ostendit Mommsen (*Röm. Forsch.* I p. 65—68)

sensum trium auctorum in omissis eis fortuitum possumus dicere, praesertim cum Chronographus utrique, Diodorus alteri consuli adscribat cognomen.

Quibus consideratis mihi quidem non est dubium quin sit neganda sententia Mommseni affirmantis ex Capitolino laterculo fluxisse fastos Idatianos. Immo propriam et a Capitolina diuersam exhibet Idatius recensionem fastorum consularium.

In fontem autem eius inquirentibus neque esse haustum indicem Idatii ex Dionysio neque ex Liuio inde elucet, quod Idatius plenam et continuam reddit recensionem illam, qua addita erant cognomina, Liuius autem et Dionysius non nisi in paucis libris locisque ea utuntur et saepius auctores secuntur, qui bina nomina consulum nominabant. Quae cum ita sint, iam unum relictum est: ad eundem fontem redire et Idatium et illas librorum Liuianorum ac Dionysianorum partes, quibus apparent cognomina.

Sed illorum, quos adhibent Liuius et Dionysius in prioribus libris, auctorum unum supra demonstraui antiquissimorum quoque consulum dedisse cognomina Licinium Macrum, ita ut hic putandus sit communis trium scriptorum fons.

Ac Liuius quidem prorsus consentit cum Idatio inde ab anno 307 (Liu. 3, 65), sed maxime consensus ille cognoscitur in priore quarti Liuiani libri parte. Quam tamen ipsam partem — scilicet capita 1—23 — ex Macro esse desumptam, certis argumentis comprobauit Peter (Hist. Rom. uet. reliqu. p. CCCXXXXVIIII).

Tum quaedam cognomina, quae leguntur in fragmentis Licinianis, discrepantia a ceteris auctoribus redeunt apud Idatium. Quinctiorum enim illorum, quos Cincinnatos dicunt reliqui, a Macro uocatos fuisse nonnullos 'Poenos' ex fragmentis apparet, praecipue ex fragmento 15, ubi T. Quinctius consul annorum 323 et 326 appellatur 'Poenus' (Liu. 4, 26 et 30) [1]), tum ex fragmento 16, ubi T. Quinctium Poenum, dictatorem

1) Eum ex duobus auctoribus a Liuio adhibitis, qui 'Poeni' exhibuerit cognomen, Macrum esse, luculenter docet locus Liuii 4, 20, 8.

anni 390, commemorat Macer. Atque utriusque uiri apud Idatium (323, 326, 403) non solum idem exstat cognomen, sed etiam eadem insolita forma — Poenus pro Penno — perscriptum.

Maximi deinde momenti mihi uidetur esse, quod anni 319 consules, C. Iulium, L. Verginium, quos praeter consuetudinem omissis cognominibus perhibent Liuius Idatiusque, Macrum quoque sine cognominibus habuisse ex fragmento 14 (Liu. 4, 23) elucet.[1])

Quibus de causis haud improbabiliter mihi uideor statuere Macrum auctorem, ex quo fastos suos sumpserint ex parte Liuius ac Dionysius, totos ille, ad quem redeunt Idatius et Chronicon Paschale. Qua uero ratione ei quos legimus apud Idatium fasti ex Macro sint exscripti, aut per quos et quales auctores ad ipsum communem Idatii Chronicique fontem peruenerint, prorsus est incertum.

Quodsi reuera non iam sunt habendi fasti Idatii pro epitoma laterculi Capitolini, sed propriam integramque exhibent recensionem, summa illis tribuenda est auctoritas, quippe qui soli plenum antiquioris recensionis consulum indicem praestent, cum Liuius et Dionysius non nisi paucis locis fastos illos libris suis intexuerint. Atque ad Liuii Dionysiique potissimum fontes definiendos satis ualido adiumento adhiberi posse censeo fastos Idatianos. Ubi enim consentientes inueniemus contra ceterorum auctorum testimonia aut in positis aut in omissis consulum cognominibus Liuium et Dionysium cum Idatio, de Macro fonte utriusque cogitauerim.

Exempli causa ubi Dionysius eundem uideatur sequi

---

1) Anni 320 Idatium alios habere consules atque Macrum haud potest negari, nam Macrum anni praecedentis consules Iulium et Verginium refectos exhibuisse, narrat Liuius (4, 23). Idatius autem consules dicit Capitolinum et Camerinum, quos, cum multos medios intercedere iam dixerim auctores inter Idatium et fontem primum, ab uno eorum inlatos esse puto. Hoc unum moneam, non posse sumpta esse ea, quae Idatius habet consulum 320 nomina ex illis auctoribus, quos Liuius l. l. profert, cum nemo illorum non sine cognominibus uocauerit consules.

auctorem, ad quem Idatiani sunt referendi fasti, ex consulum nominibus conabor demonstrare.

Ille non ut Liuius eundem auctorem per longius temporis spatium solet sequi, sed aliis alios intermiscere fontes. Cum Idatio autem in cognominibus diuersis ab aliorum scriptorum uel omnino omissis consentit hisce annis [1]):

Idatius		Dionysius	
254	Camerino et Longo.	5, 52	Σερουίλιος Σολπίκιος Καμερῖνος. Μάνιος Τύλλιος Λόγγος.
255	Helua et Gemino.	5, 58	Πόπλιος Οὐετούριος Γεμῖνος. Πόπλιος Ἐβούτιος Ἑλάελβας.
256	Flauo et Siculo.	5, 59	Τῖτος Λάρκιος Φλάβος. Κόϊντος Κλοίλιος Σικελός.
259	Sabino et Prisco.	6, 23	Ἄππιος Κλαύδιος Σαβῖνος. Πόπλιος Σερουίλιος Πρίσκος.
260	Coelimontano et Gemino.	6, 34	Αὖλος Οὐεργίνιος Μοντανός. Τῖτος Οὐέμιος Γεμῖνιος.
263	Augurino et Atratino.	7, 20	Μάρκος Μηνύκιος Αὐγουρῖνος. Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος.
264	Camerino et Flauo.	7, 64	Κόϊντος Σουλπίκιος Καμερῖνος. Σέργιος Λάρκιος Φλάνιος.
265	Tullo et Rufo.	8, 1	Γαίος Ἰούλιος Ἴουλος. Πόπλιος Πινάριος Ῥοῦφος.
266	*Nautio* et *Rufo* (= *Furio*).	8, 16 [2])	Σπόριος Ναίτιος. Σέξτος Φούριος.
279	*Nautio* et Publicola.	9, 28	Πόπλιος Οὐαλέριος Ποπλικόλας. Γάϊος Ναύτιος.
280	*Mallio* [3]) et *Furio*.	9, 36	Αὖλος Μάλλιος. Λεύκιος Φρούριος.

1) Ea quibus Idatius et Dionysius, consentientes inter se, a reliquis discrepant cognomina diductis, quos uterque dat consules sine cognominibus, inclinatis latinis, rectis graecis notabo litteris.

2) Nitzsch quoque eam libri octaui partem, qua hi ipsi continentur consules, ex Macro desumptam esse censet. Quod cum faciat, quamquam sine cognominibus anni quidem 266 referuntur a Dionysio consules, quam maxime me adiuuat.

3) Non solum in omisso Manlii cognomine consentiunt Dionysius et Idatius, sed etiam in scribendo gentilicio nomine 'Mallio' pro 'Manlio', quod et in Idatianis Graecisque fastis legitur et apud Dionysium.

Idatius		Dionysius	
283	Sabino et Capitolino.	9, 43	*Τῖτος Κόϊντος Καπιτωλῖνος. Ἄππιος Κλαύδιος Σαβῖνος.*
284	*Aemilio et Valerio.*	9, 51	*Λεύκιος Οὐαλέριος. Τιβέριος Αἰμίλιος.*
285	Coelimontano et Prisco.	9, 56	*Αὖλος Ὑπεργίνιος Νομεντανός. Τῖτος Νομίκιος Πρίσκος.*
286[1])	Capitolino et Prisco.	9, 57	*Κοΐντιος Καπετώλιος. Κόϊντος Σερουίλιος Πρίσκος.*

Quae eo confidentius ex eodem fonte ab utroque auctore petita esse dico, quia non solum eisdem usque locis eadem apparent cognomina apud utrumque, sed eisdem quoque locis desunt (sc. annis 266 bis, 279, 280 bis, 284 bis). Atque stabilitur sententia mea eo potissimum, quod Nitzsch fere eadem, quibus consentire inter se Dionysium et Idatium demonstraui, apud Dionysium hausta dicit ex Macro (*Röm. Annal.* p. 66), nempe Dion. 5, 49—6, 24 et 6, 25—34 e. c. Accedit quod ipse Dionysius Licinium laudat 5, 59.

Ex Macro igitur iudico exscriptos esse fastos Idatianos et quam maxime differre a Capitolinis. Quamquam non me fugit intercedere cognationem quandam inter recensionem Capitolinam et Idatianam, tamen aliter eam esse expediendam mox uidebimus.

CAPUT TERTIUM

De fastis Diodori

Plane diuersa ab illa fastorum recensione, quam ex Idatio, Liuio, Dionysio cognouimus, ea est, quam exhibet Diodorus in libris XI ad XX. Neque tamen una eademque ratione Diodorus per totum hoc spatium utitur in proferendis nomini-

1) Anno 272 quoque Dionysius et Idatius inter se consentiunt, cum Dionysius (8, 90) alterum consulem addito, alterum omisso praebeat cognomine *Γάϊον Ἰούλιον Ἰούλλον Κόϊντον Φάβιον* (*Καίσωνος υἱόν*) atque Idatius quoque scribat 'Tertullo et Fabio II'. Hoc tamen anno posse casu factum esse consensum, non nego.

bus. Nam ipsius antiquissimae aetatis consulibus singula cognomina fere solet adscribere, cum inde ab anno u. c. 327 rarissime tantum terna consulum legantur nomina. Ab anno 268 usque ad annum 327 omnino centum uiginti tres commemorat Diodorus consules et tribunos militares consulari potestate — praeter decemuiros — atque ex his sexaginta quinque habent cognomina, quinquaginta octo non. Post annum 327 autem, usque ad annum 452 ex trecentis tredecim hominibus septem tantum cum cognominibus exhibentur, scilicet consules annorum 388 (*Λεύκιος Αἰμίλιος Μάμερκος, Λεύκιος Σέξτιος Λατερίας*) et 395 (*Μάρκος Πόπλιος Λαινάτης, Γναίος Μαιμίλιος Ἰμπεριῶσος*)[1], tum L. Manlius Torquatus[2] annis 410 et 414 atque Tib. Aemilius Mamercus consul 415.[3]

---

1) Nomina, quae tradit consulum Romanorum Diodorus, pleraque ea scribo forma, qua exhibentur in praestantissimo codice Patmio. Cuius lectiones uarias humanissime mecum communicauit Fridericus Vogel, futurus Diodori editor, cui hoc quoque loco ago gratias.

2) Torquatus eo quoque a reliquis consulibus differt, quod a Diodoro (16, 90) praeter eius consuetudinem (cf. E. Meyer, *Rhein. Mus.* XXXVII, p. 613) in enarrandis rebus consul nomine dicitur atque bello finito triumphasse refertur.

3) Praeterea in tribuniciis potissimum collegiis codices exhibent Diodorei et cognomina quaedam et nomina admodum suspecta, scilicet: *Γάϊος Μέτελλος* 322, *Τερέντιος Μάξιμος* 348, *Ἰούνιος Λούκουλλος* 350, *Παῦλος Σέξστος* 353, *Κλώδιος Οὔγων* et *Μάριος Ἄππιος* 356, *Σέξστος ... Κράσσος* 359, *Σέξστος Κένσιος* et *Ἀνίτιος Κάμιλλος* 357, *Κάτλος Βῆρος* 360, *Οὔγων* et *Σέξστος Ἄνινος* et *Γάιος Μάρκιος* 364, *Ἄγκος* 366, *Κρίσπος* 371, *Φάβιος Ἅλβος* 372. Quae omnia deesse in Patmio cum certiorem me faciat Vogel, minimae esse auctoritatis cognoscuntur, praesertim cum illis annis, quos errore bis refert Diodorus, 360—364, non utroque loco eadem illa inueniantur. Alia omnino non sunt nomina Romana ut *Οὔγων, Ἄνινος, Ἄγκος*, alia potius primis post Christum natum saeculis in usu fuerunt ac minime quarti urbis conditae saeculi conueniunt nomenclaturae, quaedam sunt nomina hominum, quos nouimus aetatis fere Domitiani imperatoris. Claudium enim Capitonem, quem falso tribunum referunt anni 352 codices Diodorei, commemorat Plinius minor (ep. 6, 13) patronum Bithynorum. Idem Plinius epistulas mittit 1, 22 et 5, 1 Catilio Seuero amico, atque huius quoque nomen redit apud Diodorum anno 360 (*Κάτλος Βῆρος*); denique Terentium Maximum, qui inter tribunos anni 348 legitur, nouimus

Praeter consules tribunosque consulares singulis annis enumeratos, nonnullis annis Diodorus breuiter quaedam adnotat de rebus populi Romani domi forisque gestis, ita tamen

---

procuratorem Domitiani in Bithynia. Quamquam qui factum sit, ut nomina ea inter tribunorum consularium ponerentur nomina, ignoratur, tamen omnia interpolata esse manifestum est. Atque etiam cur pro ueris interpolata irrepserint, demonstrabo. In plurimis enim collegiis, ubi corrupta illa nomina apparent, reuera duo fuerunt eiusdem gentis tribuni, quorum tamen alter usque desideratur apud Diodorum. Quoties enim complures cognomines uiri una referebantur a scriptoribus ueteribus, singula tantum scribebantur nomina gentilicia praemissis praenominibus, ut quo anno P. Cornelius et M. Cornelius fuerunt tribuni, diceretur: 'P. M. Corneliis tribunis': cf. Mommsen *Röm. Forsch.* II p. 227 adn. 6. Quod cum Diodorus non uideatur perspexisse alterum usque posuit praenomen, altero neglecto. Sic singula exciderunt nomina illis annis, ubi interpolata leguntur, nempe 348 ubi duorum Corneliorum alter deest, 350 ubi alter Cornelius, 352 ubi alter Seruilius, 356 ubi alter Valerius et alter Furius, 359 ubi alter Cornelius, 360 ubi alter Furius, 372 ubi alter Papirius, 364 ubi trium Fabiorum duo praetereuntur. Atque grauissimum huius rei indicium capio ex tribunorum anni 363 nominibus, quae duobus diuersis locis refert Diodorus, 14, 107 et 15, 15. Ubi cum fasti Capitolini ac Liuius dicant et C. Aemilium et L. (M. Liu.) Aemilium tribunos, Diodorus priore loco C. Aemilium, posteriore L. Aemilium exhibet, sine dubio profectus a nota 'C. L. Aemiliis'. Cum autem apud Diodorum cuique tribunicio collegio sit praescriptus tribunorum numerus (ut ἓξ χιλίαρχοι), neque tamen ubique eum congruere cum traditis nominibus uideret interpolator, pro deperditis de suo alia addidit, quae nimirum exstant adhuc in codicibus interpolata. Quae deberi homini Latinae linguae haud ignaro inde fortasse licet conicere, quod in quattuor collegiis senorum tribunorum, ubi tamen quina tantum legebantur nomina, sextum periit, interpolator habet: *Σέξστος Κένσιος, Σέξστος Κρᾶσσος, Σέξστος Ἄνινος, Σέξστος Παῦλος*. Cauendum igitur est, ne in emendandis nugis operam perdamus, ut prae ceteris facit van der Meij (Diod. Sic. fragm. ant. hist. Rom. Dauentr. 1864).

Anni 363 alia quoque de causa memorabile est collegium, quale edit Diodorus. Iam monui altero loco L. Aemilium, altero C. Aemilium exhibere Diodorum. Eadem ratione duorum Furiorum, quos tradunt reliqui auctores, Lucii et Agrippae, Lucium refert Diodorus 15, 15, cum 14, 107 legatur *Γάϊος*. Hoc quoque ita ortum uidetur, ut in fonte Diodori exstiterint L. A*gr*. Furii, ex quibus alterum altero loco posuit praenomen Diodorus, altero pro minus noto 'Agrippae' nomine frequentissimum Gaii propter litteram G adhibens. Unde Diodorum in fonte suo eosdem illos sex tri-

ut ex more antiquissimorum annalium scriptorum res tantum enarret, nomina imperatorum, quorum auspiciis bella gesta sint, taceat (cf. Nep. Cato 3, Plin. n. h. 8, 11). Quibus in commentariis historicis nomine referuntur: septem dictatores, *Αὖλος Ποστούμιος* 322 (Diod. 12, 64), *Μάνιος Αἰμίλιος* 328 (Diod. 12, 80), *Μάρκος Φούριος* 358 (Diod. 14, 95), *Μάρκος Φούριος* 364 (Diod. 14, 117), *Κόϊντος Φάβιος* 439 (Diod. 19, 72), *Γάϊος Μαίνιος* 440 (Diod. 19, 76); praeterea quinque magistri equitum *Λεύκιος Ἰούλιος* 322 (Diod. 12, 64), *Αὖλος Κορνήλιος* 328 (Diod. 12, 80), *Πόπλιος Κορνήλιος* 358 (Diod. 14, 95), *Κόϊντος Αὔλιος* 439 (Diod. 19, 72), *Μάνιος Φούλουιος* 440 (Diod. 19, 76); tum quattuor tribuni plebis, anno 283 creati, *Γάϊος Σικίνιος*, *Λεύκιος Νεμετώριος*, *Μάρκος Λουίλλιος*, *Σπόριος Ἀκίλιος*, deinde anno 269 *Σπόριος Κάσσιος* (Diod. 11, 37), anno 315 *Σπόριος Μαίλιος* (Diod. 12, 37), anno 369 *Μάνλιος* (Diod. 15, 35); denique censores anni 444 *Ἄππιος Κλαύδιος Λεύκιος Πλαύτιος* (Diod. 20, 36).

Quos uiginti unum uiros omnes moneo binis tantum nominibus a Diodoro appellari, ita ut in enarrationibus eis historicis quidem sibi constet auctor, cum per totum tempus, quod in seruatis libris tractatur, pari modo omissa sint cognomina.

Mirum autem est, non idem in fastis quoque accidisse, immo nonnunquam eisdem annis consules cognominibus appellari in fastis, eorum autem hominum, quos in rerum gestarum narratione commemorat Diodorus, bina tantum legi nomina.

Sed aliis quoque rebus fastorum pars prior, qualis exstat

---

bunos inuenisse sequitur, quos in ceteris fastis legimus. Nihilosecius utroque loco Diodoreo binis praeteritis tribunis, praemittitur nota *χιλίαρχοι τέτταρες*, ita ut non iam possit esse dubium, quin numeri illi additi sint ab ipso Diodoro. Quibus positis redarguitur illa Mommseni sententia, communi omnium plausu accepta, quam exposuit in altero uolumine libri inscripti '*Römische Forschungen*' p. 224 squ. Arbitratur enim uir praeclarissimus, illis ex numeris magnam apparere discrepantiam inter fastos Diodoreos ceterosque, eamque redire ad plane diuersas collegiorum tribuniciorum recensiones. Quodsi ipsi Diodoro debentur numeri ei, non est, cur alios tribunorum numeros relatos fuisse statuamus in fonte Diodori, quam in eo fastorum exemplari unde reliqui fluxerunt fasti.

in libris Diodori undecimo et duodecimo, ab historicis commentariis differt, quos illis adnectit auctor. Eosdem enim homines aliter uocat Diodorus quoties in fastis mentionem facit eorum, aliter quoties in rerum gestarum memoria. Ut Manium Aemilium anno 316 (Diod. 12, 38) tribunum consularem in fastis dicit Mamercum, anno 328 in narratione dictatorem M'. Aemilium; deinde A. Cornelium Cossum nominat consulem 326 (Diod. 12, 75), eundem sine cognomine magistrum equitum anni 328 in narratione (Diod. 12, 80). Eadem ratione princeps decemuirorum Ap. Claudius anno 303, quo decemuiri non nisi in fastis, ut magistratus eponymi, referuntur, cognomine Regillani condonatur (Diod. 12, 23), omisso autem cognomine legitur anno sequenti (Diod. 12, 24) ubi copiose enarrantur decemuirorum res. Cum igitur in ea operis Diodori parte, qua gerunt cognomina consules, inter se discrepent fasti et memoriae historicae, plane congruunt in parte posteriore, ubi ut in commentariis ita in fastis quoque desiderantur cognomina. Atque hanc quidem partem ex uno eodemque fonte esse desumptam, comprobari mihi uidetur illis, quae adnotat Diodorus (15, 61) ad annum 377: *παρὰ Ῥωμαίοις ἐγένετο στάσις, τῶν μὲν οἰομένων δεῖν ὑπάτους, τῶν δὲ χιλιάρχους αἱρεῖσθαι. Ἐπὶ μὲν οὖν τινα χρόνον ἀναρχία τὴν στάσιν ὑπέλαβε μετὰ δὲ ταῦτ' ἔδοξε χιλιάρχους αἱρεῖσθαι ἕξ, καὶ κατεστάθησαν Λεύκιος Αἰμίλιος καὶ Γάϊος Οὐεργίνιος καὶ Σέρουιος Σουλπίκιος, πρὸς δὲ τούτοις Λεύκιος Κοΐντιος καὶ Γάιος Κορνήλιος, ἔτι δὲ Γάιος Οὐαλέριος.* Neque enim hic potest esse dubium, quin nomina sex tribunorum prompserit Diodorus ex eodem auctore, quem sequitur in seditione referenda.

Quae cum ita sese habeant duos Diodori esse statuendos arbitror fontes rerum Romanarum, alterum qui omisisse cognomina, alterum qui posuisse uideatur. Ac narrationem quidem totam excerptam esse dico ex illo qui omisit cognomina auctore, fastos autem ad neutrum redire totos, sed priores quidem, ubicumque apparent cognomina, oriundi uidentur ex illo, qui terna scripsit consulum nomina, posteriores autem ex eo, unde hausti sunt commentarii historici.

Ut autem de utriusque fontis indole quid sentiam, paucis exponam: quae historica enotat Diodorus, pro antiquissimis habeo atque pretiosissimis eorum, quae traduntur de antiquiore historia Romana, haustaque existimo ex priorum quodam annalium scriptore. Ad quae quam optime quadrat species, quam prae se ferunt fasti consulares apud Diodorum in libris posterioribus. Nam plane similiter, atque in priscis annalibus fastos scriptos exstitisse in primo exposui capite, haec fastorum Diodoreorum pars singulos consules praenominibus dicit gentiliciisque nominibus. Utrum tamen Graeci fuerint annales illi an Latini, ex ipsis fastis, mea quidem sententia, haud potest diiudicari [1]).

Contra ut priorem quoque fastorum partem aeque antiquam esse putemus, omnino non potest fieri, cum supra apud antiquissimos quosque annalium auctores non exstitisse cognomina neque apparere ea ante septimi exeuntis saeculi scriptores, a me sit demonstratum. Itaque alterum fontem multo esse aetate inferiorem altero affirmauerim. Nam Diodorum uno tantum fonte esse usum et in eo ubique adscripta fuisse cognomina, ipsum autem Diodorum in posterioribus libris ea neglexisse, hac de causa non licet poni, quia tum explicari nequit, cur tandem in priore operis parte Diodorus cognomina in narratione tantum omiserit, in fastis uero ediderit. Denique uix putandus est Diodorus, Camillum [2]) notissimum claris-

1) Eduardus Meyer l. l. p. 611 inde quod habet Diodorus eas nominum formas ut *Φιδηνάτης* (anno 325) apud Diodori auctorem consules conicit ternis fuisse enumeratos nominibus atque ablatiua quidem forma, nam *Φιδηνάτην* ortum esse putat ex Latino ablatiuo 'Fidenate'. Quod cum per se parum mihi uideatur uerisimile, plane refutatur eo, quod benigne me commonefacit Curtius Wachsmuth praeceptor illustrissimus: eam quam legimus apud Diodorum *Φιδηνάτην* uere Graecam nominis Fidenatis esse formam, ut appareat ex Stephano Byzantio s. u. *Φιδήνη* dicente: *καὶ Φιδηνάτης ὡς Ῥαβεννάτης· οὕτω γὰρ Χάραξ κέχρηται Φιδηνάτης.* Praeterea humanissime alter praeceptor Ribbeckius monuit de Latinis formis Capenatis Ardeatis Arpinatis Ferentinatis et quae sunt aliae (cf. Prisc. p. 629 P.).

2) Pari modo Diodorus libro decimo (p. 348 Didot.) cum de Bruto narret eumque stultum se simulasse referat, tamen *Λεύκιον Ἰούνιον* dicit cognomenque prorsus tacet.

simumque uirum simpliciter dixisse *Μάρκον Φούριον* (sic legitur ap. Diod. in rebus referendis XIV, 93 et 117, atque in fastis annorum 353, 356, 360 bis, 368, 373 = XIV 44, et 82 et 97 XV 2 et 25 et 48), si in fonte nobilissimum illius fuisset scriptum cognomen 'Camilli'. Neque ulla causa potest afferri, qua permotus in libris inde a decimo tertio sequentibus cognomina addere desierit Diodorus; nam qua erat rerum Romanarum ignorantia et neglegentia, ea quae apud auctores suos inuenit non mutata uidetur repetiisse neque suo arbitrio praeteriisse silentio cognomina. Minorem etiam ueri speciem postremo is haberet, qui iam Diodori auctorem antiquissimae quidem aetatis fere ignotae et obscurae prodidisse statuerit cognomina, posterioris autem, quinti potissimum saeculi, cuius iam certior exstaret memoria, cognomina tacuisse.

Itaque praeter annalium scriptorem a Diodoro adhibitum esse puto exemplum fastorum consularium, quo ternis singuli consules tribunique consulares legebantur nominibus. Neque tamen id exemplum excerptum puto a Diodoro ex annalium scriptore aliquo, sed referendum uidetur ad tabulam chronologicam, unde Diodorus praeter consules archontes quoque Athenienses sumpsisse est statuendus. Hac enim ratione, cur tam raro in ea operis Diodorei parte, qua apparent cognomina, historicae sint adnexae res, explicatur; nam cum inde ab anno 303 ad 452 undequinquaginta annis res Romanae breuiter enarrentur, ante decemuiros inde ab anno 268 quattuor tantum anni (sc. 269, 270, 277, 283) notas eas exhibent. Atque mea quidem sententia ille, quem sequitur Diodorus in enumerandis annis, index chronologicus, cum iam antea annis singulis rettulisset archontes Athenienses, olympiadas, regum tabulas, inde ab expulsis regibus Romanis consules quoque per singulos annos descripsit atque additis quidem cognominibus. Qui fasti cum haud uideantur res quoque prodidisse, non potuit facere Diodorus, quin alium quoque historiae Romanae adhiberet auctorem, unde sumeret rerum enarrationem. Ex quo auctore primum quidem pauca exscripsit et in fastorum laterculum, quo utebatur duce, suo quaeque anno inseruit; ne-

que scio, an ea ipsa re sit factum, ut saepe alio quo anno bellum gestum e. c. referat Diodorus, quam quo ceteri auctores, nam diuersam uidentur secuti esse chronologiae rationem fastorum et annalium auctor.

Libro igitur Diodori undecimo prioribusque libri duodecimi capitibus ubique fere addita leguntur cognomina consulum [1]). Quo uero plura in sequentibus adnotat de rebus Romanis Diodorus, eo saepius cognomina omittuntur atque omnes hos annos, ubi in fastis quoque bina exhibentur consulum nomina, ad annales refero a Diodoro exscriptos [2]). Casu enim

---

1) Nonnullis annis alterius quidem consulis edit Diodorus terna, alterius bina nomina; ibi uero quae desunt cognomina neglegentia siue ipsius Diodori siue librariorum perierunt. Nam ut illud quod exstat Diod. XII 7: *Σέξτος Κοίντιος Τριγέμινος* [in Patmio ἐξ· *τὸν Κοίντιον Τριγέμηνον*] (pro *Σέξτος Κοιντίλιος Οὐᾶρος Πόπλιος Κουριάτιος Τριγέμινος*) non potest fuisse in fonte Diodori, sic alia quoque nomina, quae nunc desunt apud Diodorum, in fonte eius exstitisse apparet aliis comparatis annis, quibus eidem homines fuerunt consules. Anno enim 283 (Diod. XI 67) Ap. Claudius uocatur idem, qui dicitur Ap. Claudius Regillanus anno 303 (Diod. XII 23); T. Quinctius Capitolinus habet cognomen annis 283, 289 sed eo caret anno 286; eadem ratione Q. Fabius Vibulanus primo atque tertio consulatu cognomen habet, altero non; Q. Seruilius quamquam sine cognomine legitur anno 288, tamen Structus uocatur consul primum anno 286. Ac reuera cognomina et illorum et praeterea singulorum consulum annis 268, 270, 273, 277, 292, 293, 300, 301, 302, 305, 306, 309, 311, 312, 314, 318, 319, 325, 326 neglegentia esse omissa, inde efficio, quod omnes isti priore loco in collegiis suis referuntur, ita ut illis annis singula cognomina eadem ratione uideantur periisse, qua anno 301 tria sunt praetermissa nomina *Οὐᾶρος Πόπλιος Κουριάτιος*.

2) Solus Diodorus (XII 3) post anni 297 consules Q. Minucium, M. Horatium (pro quo tamen habet Diodorus XI 91 *Λεύκιος Ποστούμιος*) inserit consulum collegium *Λεύκιον Κοίντιον Κικιννᾶτον Μάρκον Φάβιον Οὐιβουλανόν*, quod Mommsen antea quidem (*Röm. Chron.* p. 125) habuit pro interpolato ex nominibus consulum annorum 294 et 295, nunc (*Röm. Forsch.* II p. 261) ex antiquioris memoriae reliquiis petitum esse putat. Quod cum parum sit probabile propter addita cognomina, equidem dissensisse inter se existimo chronographum et annalium scriptorem, Diodorum autem incertum ueri utriusque fontis recepisse collegium, ita quidem ut prius cuius desunt cognomina ex annalibus, posterius quod habet cognomina ex chronographo sumptum esse coniciam. Praeterea apud solum

certe non accidit, ut in eis capitibus, quibus modo desiderantur modo leguntur cognomina, ab anno 304 ad 328 (Diod. XII, 24—80) septem annorum, ubi notae historicae sunt adscriptae (sc. 304, 305, 308, 312, 315, 322, 328) quinque exhiberent consules tribunosque consulares sine cognominibus. Cum autem parum commodum uideatur fuisse Diodoro, ex duobus fontibus sua congerere, mox abiecit fastos auctoris sui chronographi atque totus secutus est annalium quem dixi scriptorem. Ultimi qui gerunt cognomina sunt anni 327 consules, L. Papirius Mugillanus C. Seruilius Structus, quos etiam dico sumptos esse ex chronographo. Quem tamen paullo post omnino non iam inspexisse uidetur Diodorus, quia ab illo anno continuo ordine bina magistratuum praebent nomina libri Diodorei. Atque cum breui post nouus incipiatur liber, tertius decimus, praecedentis autem libri quinque extremis annis, 331—35, non edantur nomina tribunorum militarium, haud scio an omissi anni cohaereant aliquo modo cum abiecto altero fonte nouoque inducto.

Huc usque cum disputationem produxissem iam humanissime Curtius Wachsmuth, praeceptor illustrissimus mihique carissimus, quemnam illum esse chronographum censeat, cui priorem fastorum partem debere Diodorum ostendi, mecum communicauit.

Usum enim esse Diodorum auctore chronographo Castore, ad quem redire priorem illam fastorum particulam ex chrono-

---

Diodorum (XII 77) post T. Quinctium A. Cornelium Cossum consules 326, quorum alteri adscriptum esse cognomen moneo, referuntur consules *Λεύκιος Κοΐγκτιος, Αὖλος Σεμπρώνιος*. Atque hos quoque ex annalibus, T. Quinctium et A. Cornelium Cossum, quorum alter adiecto cognomine appellatur, ex chronographo Diodorum puto transtulisse, neque eum uidisse, eosdem consules errore in altero fonte corruptos esse. Nam eidem esse mihi quidem uidentur, cum gentile nomen Quinctii et Auli praenomen alterius consulis in utroque collegio exstet. Simile quid antea quidem Mommsen quoque sensit (*Röm. Chron.* p. 122 adn. 226). — Plane eodem modo decemuiros anni 303 (Diod. XII 23), quorum exstant uestigia cognominum, chronographo tribuo, annum autem 304, cuius decemuiri carent cognominibus copiose tamen enarrantur res, ex annalium auctore petitum arbitror.

logica Diodori ratione luculenter demonstrauit. Summa liberalitate, ut ea, quae hac de re mihi exposuit, hoc loco ad confirmandam sententiam meam omnia adscriberem, permisit. Dicit autem:

'Es handelt sich darum zu erklären, wie es kommt, dass die Consulate der diodorischen Fasten im Beginn des 11. Buches, wo die Controlle zuerst möglich ist, 6 Jahre später fallen als in der gewöhlichen Zählung, die mit 510 v. Chr. anhebt. Mommsen Röm. Chron. S. 128 stellt zu diesem Zweck die Vermuthung auf, Diodor habe das erste Jahr der Republik auf Ol. 96, 1 = 504 gesetzt. Diese Annahme widerspricht jedoch dem directen Zeugniss des Eusebius, wie es Gelzer Africanus II, 1, 84 und 86 richtig erläutert. Danach setzt Diodor vielmehr Roms Gründung auf Ol. 7, 2 (750 v. Chr.); dazu kommen 240 Jahre Königsherrschaft, also muss Diodor den Anfang der Republik vielmehr Ol. 67, 3 = 510 v. Chr. gestellt haben. Jenes wunderliche Versehen Diodors muss mithin anders erklärt werden; und zwar ist von vorn herein wahrscheinlich, dass es zusammenhängt mit der Diskrepanz der aus älteren annalistischen Quellen entnommenen Fasten einerseits und der Consultabelle seiner chronographischen Quelle andrerseits. Die letztere muss ein in der frühesten Periode wesentlich längeres Verzeichniss von Consulpaaren gegeben haben, die Diodor auf seine mit 510 v. Chr. anhebende Zählung der Jahre der Republik übertrug, infolge dessen er nothwendig zu tief in der Ansetzung der (auch durch die annalistische Ueberlieferung bekannten) Consulpaare herabkam und z. B. zu dem Gewaltakt der einfachen Streichung von fünf Consulpaaren sich gedrängt sah, um den Anschluss an die sonstigen Aufstellungen wiederzugewinnen.

So viel wir wissen, hat ein solches längeres Consulverzeichniss nur Castor geboten, dessen Benutzung von Diodor bei der albanischen Königsreihe sicher nachweisbar ist. Er führte die Consulliste von 520 v. Chr. an (s. Gelzer Afric. II, S. 87), hatte also 10 Paare mehr als die gewöhnlichen Listen. Wenn Diodor dessen Fasten auf seine Aera (von 510 ab lau-

fend) übertrug, mussten nothwendig die Erscheinungen hervorgerufen werden, die wir vom 11. Buche an verfolgen können. Wie es nun gekommen ist, dass Diodor im 25. Jahre seiner republikanischen Aera gerade sechs Jahre der gewöhnlichen Zählung vorausgeeilt war, darüber lässt sich deswegen durchaus nichts Bestimmtes sagen, weil wir ja gar nicht wissen können, wo Castor die zur Beschaffung von zehn neuen Stellen nöthigen Einschiebungen beliebt hat, ob alle gleich im Anfang oder zum Theil erst später. Zum Beispiel liegt es nahe zu vermuthen, dass Castor aus den Collegien des ersten Jahres der Republik fünf Jahrescollegien gemacht hat. Wüsste man nun, dass die Verlängerung der Liste durchweg in die ersten Jahre fällt, so würde sich die Vermuthung ermöglichen, dass Diodor einfach die fünf Collegien auf Grund seiner annalistischen Quellen wieder in ein Jahr zusammengefasst habe und so die Ermässigung der Differenz von zehn auf sechs zu Wege brachte. Aber das einzelne bleibt um so mehr fraglich, als wir ja auch in der späteren Liste, die Diodor noch aus derselben Quelle bietet, im Einzelnen mannigfache Abweichungen von der Vulgärtradition sehen, bei denen es doch öfters zweifelhaft bleibt, wie weit sie bereits in seiner chronographischen Quelle standen oder von ihm selbst herrühren; zuweilen ist die letztere Ansicht sicher vorzuziehen.'

Quibus ego cum totus assentiar, gravissimo eorum quae posui utor adiumento atque chronographum, quem statui fontem Diodori, esse Castorem, iam habeo pro certo. Nam quae de chronicorum Castoris scimus natura ac dispositione ad indicem chronologicum a Diodoro adhibitum optime quadrant. Etiam apud Castorem pleni exstabant fasti consulum [1]), archontum Atheniensium, regum, additis olympiadibus, neglec-

1) Utrum Castor omnibus antiquissimorum saeculorum consulibus cognomina adscripserit, ex fragmentis certo diiudicari nequit. Hoc unum constat, primi liberae reipublicae anni consules eum rettulisse additis cognominibus: cf. Euseb. I p. 295 Schoen.: 'seorsum consules disponemus incipientes a Leukio Iunio Bruto et a Leukio Tarkino Collatino et in Markum Valerium Messaliam et Marcum Pisonem desinentes . . . haec Castor'.

tis autem annis ab urbe condita. Tum eodem anno (60 ante Christum natum) uterque auctor finem ponit operi suo, ut rectissime monent Gelzer (*Bursian's Jahresb.* 1873 p. 1064) et Bornemann (De Castoris chronicis Diod. Sic. fonte Lub. 1878). Quod denique gravissimum est, esse Diodorum usum Castore et in regum Albanorum indice et in aliis enarrandis rebus, comprobauit Collmann (De Diod. Sic. font. Marb. 1869 p. 26 squ.). Atque iam brevi post editum opus chronographum summa Romae Castorem ualuisse auctoritate, inde efficit Wachsmuth, quod libris eius esse usum Varronem comprobarunt Barth (De Iubae *ὁμοιότησιν* p. 30 squ.) et Frick ('die Quellen Augustins im XVIII. Buch von de ciu. dei' 1886 p. 5 sq.).

Quibus de causis eam fastorum Diodoreorum partem, qua additis cognominibus referuntur consules, desumptam esse credo ex Castoris Chronicis.

CAPUT QUARTUM

De prioribus fastorum recensionibus

Alteram postquam instauraui fastorum recensionem Licinianam, quam exhibent Idatius, Chronicon Paschale, Liuius, Dionysius: iam alterum consulum indicem — ornatum quidem cognominibus — habemus priorem fastorum Diodoreorum partem, eumque diuersissimum a Macriano. Nam inde ab anno 268 ad annum 328, quo temporis spatio uterque laterculus est seruatus, quadraginta consulum, qui in utroque indice habent cognomen, duodeuiginti diuersa, uiginti duo tantum eadem in utraque recensione gerunt cognomina, quorum tamen octo (269, 270, 287, 291, 295, 311, 312, 314) ea sunt, quae illa quidem aetate sola adhibebantur in gentibus suis.

Unde licet concludere, qualis fuerit utriusque indicis natura et indoles. Nam ex hisce nequaquam redire eos apparet ad unam eandemque consensu omnium receptam cognominum recensionem; quod tum fieri non potuit, ut ubicunque plura in

gente aliqua exstabant cognomina, tam saepe inter se discreparent.

Sed cum primo capite antiquissimos fastos, quos apud omnes auctores priores inuenimus, omissis cognominibus non nisi praenomina ac nomina gentilia consulum rettulisse ostenderim, primarium eum indicem postea duos auctores diuersos suo utrumque Marte additis cognominibus dico suppleuisse.[1]) Quod eo uidentur instituisse consilio, ut eandem fastorum formam per totam liberae reipublicae aetatem efficerent. Posterioribus enim temporibus cum terna legerent consulum nomina, antiquioribus quoque ut uindicarent cognomina studuerunt et ex eis, quae nouerunt gentis cuiusque, cognominibus singula elegerunt atque illis tribuerunt consulibus qui apparebant in fastis antiquissimis. Neque uidentur noua sibi excogitasse nisi eorum hominum, quorum cum esset iam pridem exstincta gens, non tradebantur cognomina.

Cum autem uterque auctor suo iudicio cognomina illa adderet, necessario in multis cognominibus inter se consenserunt ac primum quidem in omnibus eis, quae unica gentis alicuius ex illa aetate innotuerunt. Itaque factum est, ut in utraque fastorum recensione uocentur Macerini Geganii, Eluae Aebutii, Rutili Nautii, Mamerci (uel Mamercini) quicunque apparent ante annum 400 u. c. Aemilii, Vibulani omnes temporis antiquissimi Fabii.

In aliis casu euenit, ut ex compluribus gentis eius cognominibus idem uterque eligeret redactor. Saepe tamen id quoque accidit, ut alter hoc, alter illud cognomen maiore cum

---

1) Antiquiorem nominis partem in fastis quoque esse nomina gentilia, postea autem ad ea esse addita cognomina, inde efficitur, quod saepissime in rebus aetatis antiquissimae enarrandis inter se confunduntur homines, qui eodem gentili utuntur nomine, ut Quinctii Cincinnati et Capitolini, Papirii Cursores et Mugillani, Seruilii Ahalae et Structi, nunquam autem, ut in saeculis recentioribus saepissime apparet, ei uiri, qui diuersis ex gentibus oriundi eadem gerunt cognomina, ut Claudii et Postumii Regillenses, Claudii et Veturii et Papirii Crassi, Manlii et Quinctii Capitolini, Sergii et Seruilii Fidenates.

probabilitate statui putaret [1]), atque hac ratione magnam fastorum in cognominibus discrepantiam ortam esse censeo.

Contra in praenominibus [2]) nominibusque gentilibus fere non dissentiunt, cum continerentur eis prisci, ex quibus utraque fluxit recensio, fasti.

Qua ratione sint usi in eligendis cognominibus, optime cognoscitur in eis gentibus, quae, patriciae cum inueniantur in fastis antiquissimae aetatis, mox sunt exstinctae, quibus tamen cognomines familiae plebeiae — nullo cognationis uinculo cum priscis gentibus coniunctae — extremis liberae reipublicae uigent temporibus. Ubi cum neque exstarent stemmata neque traderentur cognomina, patriciis illis consulibus ea uidentur indita esse cognomina, quae gerebant eodem nomine gentili fruentes homines plebeii illius aetatis, qua sunt suppleti fasti. Ut P. Curiatius consul anni 301 appellatur Trigeminus in recensione Diodorea, quod cognomen in plebeia familia Curiatia floruit saeculo urbis conditae septimo et scriptum exstat in nummis huius aetatis. Tum Sp. Oppium decemuirum anni 304 Cornicinem dicit Liuius (3, 55), quo utebantur cognomine Oppii temporibus Ciceronis: cf. Cic. ad Att. 4, 2, 4.

Eadem ratione Aebutiis patriciis cognomen Eluae uidetur adscriptum esse ex M. Aebutio Elua praetore anni 586 (Liu. 44, 17).

Egregium eius rei exemplum exhibent Cloelii, cuius gentis regem sacrificulum — patricium scil. — dicit Liuius (40, 42) ‘P. Cloelium Siculum’ anno 574 inauguratum atque flaminem ‘P. Cloelium Siculum’ Valerius Maximus (1, 1, 4). Ex quibus illos quoque ‘Siculos’ puto esse dictos Cloelios, qui consules aut tribuni consulares leguntur annis 256, 310, 376. Nam ipsum

---

1) Ut T. Quinctium consulem anni 323 in alio fonte inuenit Liuius (4, 26) cognominatum Cincinnatum, in alio Poenum cf. p. 205 adn. 1.

2) Quod praenomina nonnunquam leguntur alia in aliis fastis, non ad diuersam redit memoriam, sed inde plerumque est ortum, quod praenomina singulis tantum litteris scribebantur, quae facillime poterant corrumpi. Sic saepe inter se confunduntur praenomina Marcus Manius Mamercus, Cneus Caius Kaeso, Seruius Spurius Sextus, Titus Tiberius, alia.

Siculi cognomen, quod Mommsen (*Röm. Forsch.* II, 293) aliis de causis suspectum reddit, non se peruenisse ex priscis illis temporibus ad posterioris aetatis homines testatur, quippe quod tum demum potuerit in usum uenire, cum iam arctiore quadam necessitudine cum Sicilia fuit coniuncta respublica Romanorum, i. e. non ante quintum urbis saeculum. Ergo quod fasti seruati iam anno 256 exhibent cognomen illud, non ex antiqua memoria est profectum, sed serae debetur recensioni. Nam uehementius etiam erraret, qui referret cognomen ad priscos illos Siculos, quos antiquissimos Italiae fuisse incolas credunt auctores ueteres.

Atque in gentibus hisce, minus notis clarisque, eadem apparere cognomina in fastis temporis antiquissimi, quae nouimus hominum multo posteriorum, eo mihi uidetur improbabilius, quod accuratius perlustratis cognominibus gentium nobilissimarum, quarum certior exstabat memoria, omnino non tam diu eadem cognomina teneri uidemus.

Omnium enim eorum quae referuntur ante annum 350 cognominum unum Manliorum cognomen 'Vulso' uigebat usque ad annum 576, quo consul erat A. Manlius Vulso, atque Postumiorum cognomen 'Albus' forma 'Albinus' ad septimum urbis saeculum permansit.[1])

Omnes reliquae gentes eaeque notissimae ac ualidissimae Corneliorum, Valeriorum, Fabiorum, Claudiorum al., illa, quibus utebantur prima liberae reipublicae aetate, cognomina cum aliis commutauerunt et plane diuersa gerunt saeculo septimo et sequentibus.

Augusti demum aetate, cum laete Romae efflorescerent studia genealogica, denuo in gentibus eis usu recipiebantur prisca illa cognomina atque aut cognominum aut praenominum uice adhibebantur.[2])

1) Varus, cognomen Quintiliorum, quod est in fastis annis 301 et 351 eodem fortasse modo, quo 'Siculus' Cloeliorum, posteriore aetate additum est; nam in Macriana quidem recensione anno 301 non legitur.

2) Sunt — exempli causa — Cossus et Maluginensis Corneliorum, Camerinus et Peticus Sulpiciorum, Potitus Volusus Coruinus Valeriorum, Camillus Furiorum, Atratinus Semproniorum.

Haud maiorem antiquitatis speciem prae se ferunt Graeca cognomina, quae tribuuntur quarti saeculi consulibus, ut Chilonis (sic Diodorus) uel Philonis (sic Idatius et Chronicon Paschale) C. Curtii consulis 309 et Philonis Publiliorum annis 354 et 355. Galli denique cognomen, quo appellatur P. Volumnius consul anni 293, in gente Etrusca — nam Etruscos fuisse Volumnios certissime constat — iustam mouet dubitationem.

Egregium exemplum cognominis sero orti inditique hominibus eiusdem gentis, qui diu ante fuerant, splendidissime exposuit Mommsen (*Röm. Forsch.* I, p. 65—68). Ubi rectissime cognomen Augurini Minuciorum et Genuciorum in gentibus eis non potuisse usurpari monet ante annum 454, quo M. Minucius et C. Genucius cum tribus aliis primi referuntur esse creati augures plebeii. Tamen fasti iam inde a tertio saeculo et Genucios et Minucios edunt Augurinos, scil. 257, 262, 263, 296, 297, 303, 304, 309, 355, 449.

Similiter clarissimum Ap. Claudium censorem anni 442, consulem 447 et 458, omnes fere quos habemus consulum laterculi uocant Caecum, cum hoc cognomen senex demum post administratos magistratus illos acceperit (cf. Frontin. de aquis I, 5 'aqua Appia inducta est ab Appio Claudio Crasso censore, cui postea Caeco fuit cognomen').

In nonnullis gentibus praenomina falso pro cognominibus habentur, ut 'Mamercus' Aemiliorum, 'Volusus' Valeriorum. Parum autem probabile uidetur, unum idemque nomen eodem tempore et praenominis et cognominis uice esse usurpatum in eadem gente. Mamerci potissimum, uel, ut alii habent auctores, Mamercini cognomen a redactoribus puto esse deriuatum et effectum ex gentis Aemiliae praenomine Mamerco.

Praeterea qua ratione cognomina posuerint, cognoscuntur diasceuastae illi in gentibus nonnullis, quarum singuli tantum in fastis referuntur consules, eique antiquissimis temporibus, ita ut iam tum exstinctas eas gentes esse eluceat. Quorum cum non potuerint comparando aut coniciendo probare cognomina, suo Marte ab ipsis excogitata tribuerunt.

Nam quod Sp. Tarpeium consulem anni 300 'Capitolinum uocant Idatius, Chronicon Paschale, Chronographus, 'Capitolinum Montanum' marmora Capitolina, utrumque cognomen fictum esse patet ex nomine gentili Tarpeio; nam situm erat saxum Tarpeium in Capitolino monte. — T. Romilium consulem 299, decemuirum 303, Vaticanum dicunt Diodorus ac fasti Capitolini, ea opinor de causa, quia tribus Romilia trans Tiberim uidetur sita fuisse in agro Vaticano: cf. Varr. De ling. lat. 5, 55. Tum cognomen Tusci, quod exhibent C. Aquillii consulis 267 Idatius, Chronicon Paschale, Chronographus — a Mommseno quoque (*Röm. Forsch.* II p. 293) damnatum — ea de causa illi uidetur esse inditum, quod Aquilliam gentem Etruscam esse, ut nos, redactor quoque haud ignorabat.

Plebeiorum denique magistratuum, quicunque inueniuntur in priore fastorum parte, cognomina non sincera sed postea esse addita, neque plebeios omnino usos fuisse cognominibus, cum patricii iam ea gererent, eleganti demonstrat disputatione Mommsen (*Röm. Forsch.* I, 57 et 59 adn. 91).

Atque qui sit factum, ut diuersa inter se cognomina exhibeantur eorundem consulum in diuersis fastorum recensionibus, exemplum ostendit gentis Claudiae. Quam gentem breui post reges exactos Romam migrasse ex Sabinis priscae tradiderunt fabulae, quarum haud ignarus alter redactor satis probabiliter sibi uidebatur statuere antiquissimorum Claudiorum cognomen 'Sabini', quod ubique habent Idatius, Chronicon Paschale, Dionysius, ita ut apud Macrum fuisse scriptum appareat. Accuratius etiam patriam gentis Claudiae alia prodidit memoria, quippe quae oriundam diceret ex Regillis urbe (cf. Dion. 5, 40 *ἀνήρ τις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν Ῥήγιλλον . . . Τίτος Κλαύδιος* et Suet. Tib. 1 'patricia gens Claudia orta est ex Regillo oppido Sabinorum'). Quam secutus alter redactor Regillani (Regillensis apud quosdam auctores) cognomen antiquissimum Claudiorum posuit, quod eorum qui adhuc seruati sunt scriptorum acceperunt Diodorus et Suetonius (l. l. c. 2 'Ap. Claudius Regillanus'). Verum autem cognomen priscorum Claudiorum uidetur fuisse 'Crassus'.

Gemellum fere exemplum comprehenditur Larciorum, quos consules annorum 248, 264 et 253, 256 Rufos dicit Chronographus ter (248, 253, 256), Flauos Idatius Chroniconque Paschale (264, 253, 256), Dionysius (264, 256), semel Chronographus (264), in cuius fonte utrumque cognomen exstitisse ex hisce cognoscitur. Utrumque tamen cognomen idem significare, scilicet rutilum capilli colorem, unusquisque uidet et diuersis recensionibus patet discrepantiam esse ortam.

Quamquam non possumus indagari omnium illorum cognominum originem, tamen uel ea quae exposui sufficere puto ad demonstrandum duas plane diuersas fastorum recensiones exhibere laterculum Licinianum Idatii, Chronici, Liuii, Dionysii atque chronographum, ex quo prior fastorum Diodoreorum pars fluxit[1]); utramque autem ita esse institutam, ut ab redactoribus adderentur cognomina eis, quos enumerabant fasti antiquissimi binis tantum nominibus, consulibus. Quod quidem tam diligenter factum est, ut in pluribus eorundem hominum magistratibus eadem usque cognomina adscriberentur.

1) Neque tamen Castor, quem esse eum chronographum supra uidimus, ipse putandus est recensionem illam instituisse sed aliunde accepisse. Quo de fonte certi nil inueni; cogitaui tamen de editione annalium maximorum circa annum urbis 630 a P. Mucio Scaeuola pontifice Maximo confecta, qua — cum octoginta libris annales contineret — multa ab editore esse addita iam pridem coniecerunt uiri docti (cf. Peter Hist. Rom. rel. p. XIX). Ita fortasse cognomina quoque singula antiquissimorum consulum adscribebantur. Cui sententiae fauere benigne monet Wachsmuthius locum Diodori I, 4, ubi: *πάσας* inquit *τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης* (sc. *τῶν Ῥωμαίων*) *πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων*, quibus significare uoluisse Diodorum annales maximos commemoratos apud auctorem suum chronographum, quos tamen ipse non inspexerit. Quae mihi quoque probantur, ita tamen ut quae Diodorus de annalibus tradit credam scripta fuisse apud ipsum chronographum, unde ex consuetudine sua immutata transtulerit eadem fere ratione, qua libr. 31, 10 ut suas referat Diodorus Polybii 29, 21 sententias: cf. Nissen 'Ueber die Quellen der 4. u. 5. Dek. des Liv.' p. 111 sq. Denique Atticus quoque, quem eadem fastorum recensione, qua Diodorum, usum fuisse infra ostendam, editionem istam annalium maximorum adhibuit, ut apparet ex loco Ciceronis (De leg. 1, 2, 6) et ut accuratius exposuit Seeck ('Die Kalendertafel der pontifices' p. 83 sq.).

CAPUT QUINTUM

De fastis Capitolinis

Iam peruenimus ad eos, qui plenissima referunt magistratuum nomina, fastos Capitolinos. Qui cum singulorum consulum exhibeant praenomina, nomina gentilia, cognomina singula, bina, terna, praenomina patrum atque auorum, propter hanc plenitudinem magna adhuc florebant auctoritate apud plerosque uiros doctos. Sed ea ipsa de causa, quod tam accurate enarrat res aetatis antiquissimae, cuius paucissima tantum certa peruenisse ad saecula recentiora constat, mihi quidem suspecta redditur recensio Capitolina. Et quam maxime id me offendit, quod ipsorum antiquissimorum temporum consulibus marmora saepe bina uel terna tribuunt cognomina, cum uiderimus priores quidem auctores historicos omnino nulla, posteriores singula tantum praebuisse cognomina.

Ex ipsa nominis natura sequitur inueniturque apud omnes fere populos, antiquissimis quidem temporibus homines non usos esse nisi singulis nominibus atque tum demum, cum plures cognomines exstitissent, ad distinguendos eos alterum esse additum ad primarium illud nomen. Tamen labentibus annis potuit fieri, ut ne bina quidem nomina sufficerent ad clare designandos homines; tum noua nomina prioribus sunt adnexa, patronymica aut ex locis uel corporis ex habitudine petita, primum quidem non nisi in priuato usu adhibita, postea autem recepta legitima. His ternis nominibus si quando uterentur eisdem multi homines, nouum etiam agnomen addi potuit [1]), nisi omnino alia nomina accipiebantur. Sed ubique cumulata nomina post multa demum saecula inueniuntur, iam exculta uita et republica populorum.

Atque plane idem in Romanis quoque nominibus com-

1) Exemplum profero gentis Romanae Corneliae, ubi continuo ordine primarium nomen sic amplificatur: Cornelius — Cornelius Scipio — Cornelius Scipio Nasica — Cornelius Scipio Nasica Serapio.

prehendimus [1]). Antiquissimi enim, quos norunt fabulae, reges aliique homines singulis appellantur nominibus, ut Romulus, Faustulus e. c. Deinde ad ea alia accedebant atque alia cursu saeculorum, ita ut postremo altero et tertio post Christum natum saeculo uel triginta octo legerentur nomina unius hominis (cf. Klein Fast. cons. p. 78).

Neque tamen tertio urbis conditae saeculo Romae iam eo peruentum erat, ut tot nominibus inter se distinguerentur ciues. Mommsen enim, ut iam primo capite dixi, demonstrauit, cognomina quinto demum saeculo recepta esse constanti usu neque antea adscribi nominibus esse solita. Quod cum tam sero sit factum, nemo iam ducentis annis ante tam excultam fuisse nomenclaturam existimabit, ut binis plurimos consules uel ternis cognominibus debuerint discernere ab aliis.

Sed quantum nos antiquissimorum nominum naturam et rationem cognoscimus, omnino non altero addito cognomine tum uidentur distincti fuisse; sed quicunque nouum sibi assumpserit cognomen, illud, quod antea gesserat, plane uidetur deposuisse. Ut Valerii ex quo Messalae cognomine exornantur, Maximi uocari desierunt; ut Cornelii cognomen Rufini abiecerunt, cum Sullae acciperent (cf. Plut. Sull. 1); Marcii nunquam dicuntur Rutili, cum primum Censorini cognomen est eis inditum (cf. fast. Capit. s. a. 489). Disertis deinde uerbis hoc comprobat locus, quem iam alia occasione laudaui, Frontini (de aquis 1, 5): ‘Ap. Claudius Crassus censor, cui postea Caeco fuit cognomen’. Apud nullum enim auctorem Ap. Claudius utrumque simul habet cognomen. Idem in filiis eius apparet, qui nominantur: Ap. Claudius Rufus, P. Claudius Pulcher, C. Claudius Centho, Ti. Claudius Nero. Nemo eorum praeter nouum paternum quoque cognomen habet Caeci aut auitum Crassi, unde clare patrem deposuisse Crassi cognomen elucet, cum Caeci acciperet.

---

1) Conferendus est ingeniosus Mommseni commentarius, inscriptus: ‘Die römischen Eigennamen’ (*Röm. Forsch.* I p. 1—68), quo uir clarissimus primus nominum Romanorum naturam exposuit et patefecit.

Neque unquam reuera illud factum uidetur esse, ut ad priscum gentis alicuius cognomen alterum adiceretur duoque gererentur cognomina, postea autem primario omisso nouum solum maneret; tamen fasti Capitolini antiquissimos Seruilios eo modo exhibent. 'Priscum' enim dicunt P. Seruilium consulem anni 291, deinde 'Priscum Fidenatem' dictatorem anni 336 Q. Seruilium, tandem 'Fidenates' posteros eorum Q. Seruilium tribunum consularem 352—68, Q. Seruilium tribunum 372—385. Pari modo C. Seruilium consulem 276 uocant 'Structum Ahalam', eos autem, qui post illum leguntur in fastis, aut 'Structos' aut 'Ahalas'. Cum igitur plura singulorum uirorum cognomina antiquissima aetate haud probentur ex usu nomenclaturae, multo magis fides eorum imminuitur eo, quod tam sero apud auctores inueniuntur. Neque enim Liuius [1]), Dionysius, Diodorus — ne dicam scriptores illis superiores — cuiquam consuli saeculorum tertii et quarti plura tribuunt cognomina. Primus duobus cognominibus refertur 'Iunius Brutus Scaeua' consul 429 apud Liuium 8, 29 (uel apud eum, qui hoc loco a Liuio adhibetur, auctorem), tum 'Maximus Gurges' consul 462 apud Idatium et Cn. Cornelius Scipio Barbatus consul 456, qui tamen utrumque cognomen non gerit nisi in carmine sepulcrali, sexto urbis saeculo incipiente scripto, cum in antiquiore titulo (C. I. L. I, 29 et 30) uno Scipionis cognomine appelletur.

Neque praeter Chronographum anni 354, quem ex eodem fluxisse fonte, unde fastos Capitolinos, mox uidebimus, ullus consulum laterculus antea bina praebet cognomina. Atque Idatium quidem Chronicique Paschalis auctorem in fonte suo ex Macro petito reuera singula tantum antiquissimorum consulum inuenisse cognomina eo apparet, quod inde ab illa aetate, qua primum plura singulorum hominum in usum uenerunt, id est a quinto saeculo medio, multos consules binis referunt cognominibus ut annorum 462, 485, 494, 511, 518, 526, 528, 533

1) Quod Liuius 4, 26 dicit: 'T. Quinctius ... Cincinnatus — eidem et Poeno cognomen additur', iam supra monui, alterum 'Poeni' cognomen ex Macro petitum, alterum autem ex alio quo fonte a Liuio esse desumptum.

et saepius abhinc, cum ante annum 450 ne uni quidem consuli plura exhibeant[1]).

Atque illa, quae nouimus temporum historicorum agnomina — praeter adoptiua et a uictis populis petita — omnia fere singulis hominibus ex corporis habitudine indita sunt, ut Magnus, Longus, Maximus, Paullulus, Caluus, Verrucosus e. c. neque ad filios hereditate peruenerunt. Plane autem alius sunt indolis ea, quae antiquissimorum consulum leguntur in fastis Capitolinis geminata cognomina; duarum enim diuersarum eiusdem gentis familiarum cognomina coniunguntur, ut Vulso et Capitolinus Manliorum, utrumque ductum a loco (alterum scilicet ab urbe Volsiniis; cf. act. triumph. anni 460 'de Volsonibus et Samnitibus'), quibus duae stirpes inter se uidentur distinctae fuisse. Praeterea anno 387 fasti Capitolini dictatorem dicunt (T. Quinctium Cincin)natum Capitolinum, cum ipsi antea recte duas distinxerint familias, alteram Quinctiorum Cincinnatorum (Pennorum) alteram Capitolinorum.

Cum igitur geminata cognomina non uideantur exstitisse apud antiquiores rerum Romanarum auctores, iam existit quaestio, undenam ea acceperint fasti Capitolini. Omnino non ad unam illos redire recensionem fastorum inde efficitur, quod coniungunt cognomina, quae duae diuersae recensiones habebant Claudiorum, scilicet Sabini atque Regillensis: cf. ann. 303 et 304.

Neque petita esse possunt, quae exhibent fasti Capitolini antiquissimorum magistratuum cognomina, ex illo fonte, ad quem referre solent multi uiri docti omnia ea, quorum alium fontem ignorent, ex domesticis gentium commentariis et stemmatibus genealogicis. Primum enim plurimae earum gentium, quarum gentiles apparent in fastis tertii et quarti urbis saeculi,

---

1) Hisce quoque confirmantur ea, quae de fastis posui Idatianis: non fluxisse eos — ut uidentur Mommseno — ex indice consulum, plura singulorum cognomina exhibente; neque enim casu factum est, ut rudissimus ille, qui excerpsit communem Idatii Chronicique Paschalis fontem ex Macro, singula quidem scriberet cognomina, ubi suspecta essent geminata, ac tum demum inciperet ea referre, cum reuera in usu fuisse essent iudicanda.

ipsa illa aetate sunt exstinctae neque iam floruerunt tum, cum fastorum instituerentur recensiones, ita ut earum quidem non potuerint exstare commentarii [1]). Praeterea autem tam constanter in omnibus gentibus adhibitam uidemus eandem rationem, ut non possint profecta esse nomina illa ex multis uariarum familiarum stemmatibus.

Ut tamen ueram geminatorum cognominum Capitolinorum naturam perspiciamus, cum illis comparabo ea cognomina, quae eorundem consulum referunt duae illae, quas constitui, fastorum recensiones, Diodorea et Liciniana, exhibita ab Idatio, Liuio, Dionysio et in Chronico Paschali. Cum autem Diodorus non habeat cognomina nisi ab anno 268 ad annum 328, hoc uno temporis spatio trium recensionum possumus componere memoriam. Atque sub decem omnino annis, quibus geminata leguntur cognomina in tabulis Capitolinis, et apud Diodorum et in fastis ex Macro sumptis exstant cognomina. Sunt autem haec:

288	Diod.	Albinus	Regillanus (Id. Pasch. Dion.)
	Capit.	Albus Regi(llensis).	
290	Diod.	Regulus	Albus (Liu. Dion.)
	Capit.	Albus Regill(ensis).	
293	Diod.	Amentinus	Gallus (Idat. Pasch.)
	Capit.	Amintin. Gallus.	
295	Diod.	Curitinus	Maluginensis (Idat. Pasch. Liu.)
	Capit.	Maluginensis Ur(iti)nus.	
299	Diod.	Vaticanus	Rogus (Idat. Pasch.)
	Capit.	Rocus Vaticanus.	
300	Diod.	Fontinius	Varus (Idat. Pasch.)
	Capit.	Varus Fontinalis.	
301	Diod.	Trigeminus	Festus (Idat. Pasch.)
	Capit.	Fistus Trigeminus.	

Deinde quarti saeculi adferendus est annus 395, quo praeter consuetudinem alteri consuli addit Diodorus cognomen.

---

1) Quattuordecim tantum gentes patricias ad Ciceronis aetatem usque floruisse, monet Mommsen (*Röm. Forsch.* I p. 122).

395 Diod. Imperiosus (Capitolinus)[1]) (Idat. Pasch.)
Capit. Capitolin. Imperioss.

Quibus adiungo quattuor alios annos, ubi quamquam desideratur cognomen in hac uel illa recensione, tamen comparatis aliis annis, quale fuerit adnotatum euincitur.

303 Diod. Regillanus (Sabinus)[2]) (Idat. Pasch. Dion.)
Capit. (Crass. in)Regill. Sabinus.
275 Diod. (Tricostus)[3]) Rutilus (Idat. Pasch. Liu.)
Capit. Tricostus Rutilus.
305 Diod. *Τουρπῖνος*[4]) Potitus (Idat. Pasch. Dion.)
Capit. triumph. Poplicola Potitus.
298 Diod. Lactuca Maximus (Idat. Pasch.)
Capit. (Lactuca?) Maxumus,

nam quamuis in marmore 'Maxumus' tantum legatur, tamen in fonte additum uidetur fuisse 'Lactuca'. Nepos enim huius M. Valerii in ipsis fastis Capitolinis anno 356 dicitur: '(M. Valerius) M. f. M. n. Lactucin. Maxum.' Omisit autem alterum cognomen lapicida siue errore[5]) siue spatio deficiente, nam per totos fastos singulis uersibus nomina consulum continentur neque unquam hunc modum egressum inuenimus.

---

1) Quamquam excidit in fonte Idatii Chronicique Paschalis Cn. Manlii consulis nomen, tamen ex altero eiusdem hominis consulatu, anno 397 u. c. administrato, scriptum fuisse 'et Capitolino' elucet.

2) Quod demonstrat consulatus Ap. Claudii anno 283 commemoratus.

3) Cum Diodorus unum Tricosti nouerit cognomen Verginiorum (cf. 264, 278, 298, 300, 319), nostro quoque loco Tricostum dictum fuisse T. Verginium consulem apud chronographum Diodori admodum probabiliter mihi uideor affirmare.

4) *Τουρπῖνος*, quod in Patmio quoque codice legi Fr. Vogel mihi scribit, corruptum puto esse ex *Πουπλικόλας*, quo cognomine Diodorus cunctos nominat antiquiores Valerios praeter M. Valerium Lactucam consulem 298 (cf. 271 et 284 — ubi bis 'Potito' legitur apud Chronographum a. 354 — deinde 279 et 294).

5) Neglegentia lapicidae haud pauca excidisse in fastis Capitolinis cognomina, quae in fonte exstiterant, et illa comprobant, quae solus exhibet Chronographus anni 354, omissa in marmoreis fastis, et luculenter apparet annis 498 et 504, ubi unus idemque homo priore quidem consulatu appellatur 'L. Manlius A. f. P. n. Vulso Longus', posteriore autem 'L. Manlius A. f. P. n. Vulso II'.

Ex duodecim hisce exemplis, qua ratione fasti Capitolini geminata effecerint cognomina, iam fit manifestum. Ubicunque enim idem consulis alicuius cognomen exstat apud Diodorum, quod est in laterculis Licinianis, Capitolini quoque fasti hoc ipsum unum exhibent[1]), ut anno 278 'Structum' Sp. Seruilii (nam quod praeterea supplent Henzen C. I L. I, p. 425 et Mommsen ib. p. 488 Prisci cognomen non potuit esse in lapide, ut apparet ex spatio uersus deperdito); anno 282 'Fusum' P. Furii consulis (ne hic quidem spatium capit illud, quod ponunt Henzen et Mommsen l. l. cognomen alterum Medullini); tum anno 294 'Publicolam' P. Valerii et 295 'Vibulanum' Q. Fabii; quae cognomina sunt eadem apud Idatium, Liuium, Dionysium, Diodorum et in Chronico Paschali. Ubicunque autem aliud praebet consulis cognomen Diodorus, aliud Liciniana recensio, in fastis Capitolinis utrumque legimus; quod quidem in omnibus cognoscitur annis, quibus geminata fastorum Capitolinorum cognomina conferri possunt cum utriusque recensionis memoria.

1) Contra me facere unus uidetur consul anni 302, qui ab Henzeno et Mommseno (l. l. p. 426, 443, 492) in textu fastorum Capitolinorum dicitur: 'P. Sestius Q. f. Vibi n. Capito Vaticanus', cum et Diodorus et Idatius eum uocent 'Capitolinum'. Sed cum iterum iterumque spectarem atque examinarem in aedibus conseruatorum locum illum lapidis, haud mihi erat dubium, quin, quod in textum receperunt fastorum editores Borghesi atque Henzen — ante eos nemo litterarum uestigia quae supersunt respexerat — TICANVS reuera non exstiterit in marmore. Quae Romae animaduerti nunc confirmari uideo et ectypis chartaceis, quae sumpsi fastorum, et picta eorum imagine. Post CAPITO enim euidenter conspicitur punctum, quod ipse adnotat Henzen p. 443, et post illud superior hastae derectae superest pars ante fractum lapidem. In altero fragmento extremam cognoui nominis litteram esse 'S' et tertiam a fine 'N'. Quae litterae cum maiore quam plurimorum uersuum reliquorum inter se distent interuallo, omnino non capit spatium litteras VATICA. Cognomen Sestii fuisse 'Capitolinum', non 'Capitonem' ex Diodoro Idatioque intellegitur, itaque existimo lapicidam primum quidem pro ignoto sibi cognomine Capitolini frequentissimum, quod nouit suae aetatis, Capitonis insculpsisse, ita ut fuerit incisum CAPITO·; cum autem postea errorem animaduertissent, siue ab eodem siue ab alio quo lapidario additum esse LINVS et sic rectam nominis formam prodiise 'Capitolini'.

Iam igitur ortam esse recensionem Capitolinam apparet contaminatis fastis eis, quorum partem seruauit Diodorus, atque Licinianis. Utramque enim fastorum recensionem, cognomina consulum exhibentem contulisse uidetur auctor Capitolinus atque ea, quae in utraque legit, ipse posuisse cognomina, cum discrepantibus illis inter se incertus ueri utrumque auctorem secutus bina referret cognomina, eadem ratione, qua nostra quoque aetate satis multi uiri docti, quoties diuersa apud diuersos auctores tradita sunt Romani alicuius consulis cognomina, neutrum auctorem spernentes utrumque cognomen illi inditum fuisse coniciunt [1]).

Neque tamen malo dolo fecisse putandus est redactor, sed bona fide ut utriusque memoriae haberet rationem geminata cognomina effecit. Cum autem in conflandis recensionibus non uideret, idem saepius cognomen diuersa tamen forma in utraque referri, accidit, ut cognomina idem significantia Sabinum et Regillensem Claudiorum, Rufum et Flauum Larciorum coniuncta componeret. Rationem istam redactoris quam luculentissime comprehendimus anno 299, ubi cum C. Veturius consul dicatur 'Cicurinus' in fastis Diodoreis, omisso cognomine apud Idatium, ipsi fasti Capitolini uno tantum Cicurini cognomine eum appellant, quamquam reliquos omnes, quicunque apparent in fastis ante annum 400, Veturios binis referunt cognominibus, antea quidem Geminos Cicurinos, post Crassos Cicurinos [2]). Simile quid accidisse censuerim annis 355 et 356

1) Mommsen (*Röm. Forsch.* II p. 233 adn. 15) et Hirschfeld (*Hermes* IX p. 95) L. Papirium consulem anni 435, quem alii nominant auctores Mugillanum, alii Cursorem, utroque cognomine esse usum putant, quamquam luculenter demonstrant loci Liuii (9, 15 et 8, 23) ex diuersis fontibus cognomina illa ab eo esse sumpta Papirii.

2) In actis triumphalibus anni 292 alterum quoque 'Cicurinum' cognomen incisum fuisse, quod Henzen supplet, ex litterarum deperditarum numero cognoscitur. Moneo Diodorum usque Cicurini exhibere cognomen (cf. 292, 299, et Chron. 255 et 260), fastos contra Licinianos priores dicere Veturios Geminos (cf. 255 Id. 260 Chr. Pasch., 292 Liu. Dion.) posteriores autem Crassos (cf. 337 Liu.), ita ut ex his quoque ea, quam dixi, contaminandi ratio perspiciatur.

u. c. in nominibus Publiliorum tribunorum consularium. Quorum alterum, Lucium, Liuius, secutus Macrum ut uidetur, nominat: 'Volsco(nem?)' anno 355, alteri autem Voleroni, anni 356 tribuno, non adscribit cognomen. Quam ob causam fasti Capitolini posteriorem quidem uno Philonis cognomine, quod in Diodorea recensione exstitisse puto, significat, priorem autem uocat Philonem Vulscum, utramque respiciens traditionem.

Atque adhibitam arbitror Macri quidem recensionem in priore tantum fastorum Capitolinorum parte usque ad quintum urbis saeculum, cuius aetatis in plurimis reliquis fontibus sine cognominibus exstabant consules. Nam inde nonnulla leguntur apud Idatium et in Chronico cognomina, quae desunt in Capitolinis fastis, scilicet 440 Samnis, 492 Albinus, 511 Longus, 520 et 526 Ruga, 528 Maximus. Videtur igitur Macro usus esse auctor Capitolinus non nisi propter plenitudinem, qua antiquissimorum consulum referebat Macer cognomina, tum autem, cum ceteri quoque auctores cognomina exhiberent consulum, inde ab anno 450 fere, eadem ratione eum abiecisse, qua Liuius Licinium, quem ipse in prima decade saepe sequitur, in posterioribus omnino neglegit.

Haud tamen scio an alia quoque pari, quo cognomina, modo ex duabus diuersis illis fastorum recensionibus sint consuta a redactore Capitolini laterculi. Supra enim eo inter se discrepare exposui Licinianam atque Diodoream fastorum recensionem, quod anni 276 alterum consulem appellant (C. Sergium) [Esquilinum] Idatius et Dionysius, C. Seruilium [Structum?] Diodorus et priscus quem Liuius ibi sequitur annalium scriptor; contra in Capitolinis fastis Seruilium referri consulem ordinarium, Sergium suffectum. Cum uero antiquissimis illis temporibus omnino non fuisse magistratus suffectos iam constet, non possunt esse uera, quae tradunt marmora Capitolina. Quem errorem eo ortum esse existimo, quod auctor non animaduertit idem utrique recensioni subesse nomen, deprauatum tamen in altera. Cum igitur incertus haereret, utri maiorem tribueret fonti fidem, ea de causa, ut solebat differentibus inter se cognominibus, et Sergium et Seruilium rettulit anni eius

consules, et alterum quidem suffectum, cum tres ordinarios non posset edere.

Ex quibus quanta sit aestimanda eorum cognominum, quae in fastis legimus Capitolinis, fides clare elucet. Profecto non dignae sunt qua adhuc florebant auctoritate tabulae Capitolinae, neque enim propriam integramque fastorum praebent recensionem, sed duas alias ipsas iam auctas et suppletas miscent. Ubi igitur eae sunt seruatae recensiones, ipsis potius utemur, quam deriuata ex eis Capitolina. Ubi uero desiderantur aut Diodori aut Idatii fasti, quae apud eos fuerint cognomina exhibita, cognoscere poterimus ex marmoribus Capitolinis. Quoties enim in eis singula tantum sunt adscripta cognomina, eadem etiam in utraque priore recensione legebantur, quoties autem geminata exstant in recensione Capitolina, fasti deperditi illud cognomen habuisse sunt putandi, quod non inuenitur in ea quam habemus recensione.

Iam affinitatis quoque apparent causae, quam intercedere inter fastos Idatianos et Capitolinos ne ipse quidem negaui. Neque enim, ut putat Mommsen, ex Capitolinis fluxere illi fasti, quos reddunt Idatius Chroniconque Paschale, sed contra ipsa recensio Liciniana alter est fons indicis Capitolini, isque integrior, quia plane caret cognominibus istis falso geminatis.

Haud maiorem quam cognominum auctoritatem duco notarum genealogicarum, quae antiquissimorum magistratuum nominibus adscribuntur in fastis Capitolinis patris atque aui enumerantes praenomina. Nam primum quidem tenendum est, in neutro fonte fastorum Capitolinorum, neque in Liciniana neque in Diodorea recensione, exstitisse istas adnotationes, ut manifesto docent quas illarum habemus reliquiae. Neque in antiquissimis, unde utraque recensio fluxit, fastis patres et auos consulum relatos fuisse, ex multis cognoscimus fragmentis annalium, qui ipsi antiquissimos fastos sine cognominibus receperant. Primum enim, quod inuenerim, exemplum additi praenominis paterni, aediles curules adfero anni 455 Cn. Domi-

tium Cn. f. Caluinum et Sp. Caruilium Q. f. Maximum [1]). Neque gentium nobilium stemmata commentariosque ex priscis illis temporibus seruata propagines eas suppeditauisse arbitror fastorum Capitolinorum auctori, quamquam non ignoro plerosque uiros doctos aliter hac de re sentire. Alio enim loco plurimas earum gentium, quarum nomina in fastis priorum saeculorum leguntur, diu ante redactoris aetatem exstinctas fuisse ostendi, ita ut de illarum quidem rebus genealogicis nil peruenerit ad scriptores Romanos. Atque haud paucae earum omnino non apparent in fastis nisi ante urbis a Gallis captae incendium, quo periisse uulgo putantur antiquissima monumenta litteraria. Unde igitur earum gentium stemmata — maxime cuius gentis singuli tantum consulatum gesserunt homines — sint hausta, frustra quaeritur. Tamen plenissime a quo quisque ortus sit patre et auo Tarquitius, Tarpeius, Romilius, Sestius, Aternius, Maelius, Geganius, Horatius, Titinius, Lucretius, Menenius, Verginius e. c. traditur in marmoribus Capitolinis, quamquam nullum earum gentium exstat uestigium post annum 400 u. c.

Sed ne earum quidem gentium, quae ad extremam usque liberae reipublicae aetatem florebant, commentarii domestici et genealogici reuera redierunt ad ipsa illa tempora, quorum enarrabant res et homines, sed multo post demum uidentur esse conscripti. Nam qualem eorum describunt indolem auctores ueteres studiumque suarum gentium gloriam falsis triumphis et consulatibus augendi, seram prae se fert originem. Primum uero Ap. Claudium (scilicet Caecum, consulem anni 458: cf. p. 179) Plinius n. h. 35, 12 dicit ‘posuisse in Bellonae aede maiores suos’. Tamen clarissimas gentes patricias Corneliam, Fabiam, Aemiliam ne septimo quidem saeculo extremo antiquissimorum gentilium suorum habuisse stemmata, ex loco Cornelii Nepotis elucet (Att. 18), ubi legimus ‘quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo cla-

1) Haud est praetereundum silentio, inter se eo discrepare Pisonem actaque Capitolina triumphalia s. a. 461, quod Sp. Caruilii pater Quintus dicitur a Pisone, Caius in actis.

rorum uirorum propagines possimus cognoscere' et paullo post: 'pari modo (sc. 'familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumerans, notans qui a quoque ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset') Marcelli Claudii (sc. rogatu) Marcellorum, Scipionis Cornelii [Corneliorum][1]) et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum'. Quod cur fecerit nec sine negotio fecerit Atticus, si exstitissent in gentibus illis stemmata inde ab antiquissimis consulibus exorsa, equidem non uideo. Itaque facere non possum, ut sinceram stemmatum memoriam antiquissima aetate in gentibus nobilibus credam exstitisse, quamquam non nego inde ab illis temporibus, quibus efflorescere coeperunt litterae atque studium res a maioribus gestas noscendi, diligenter mandatas esse litteris propagines gentilium.

Accedit, quod omnino non ab initio sunt soliti Romani praenomen paternum nomini adscribere. Neque enim in illis testimoniis, quae ad antiquissima monumenta redeuntia collegi in primo capite dissertationis huius, ullum exstat additum praenomen paternum aut auitum. Antiquissimi qui sunt seruati tituli, tertio fere ante Christum saeculo oriundi, patris tantum produnt nomen. Quod inuenimus iam in duobus prioribus Scipionum titulis (C. I. L. I, 29 et 31), in tabula P. Cornelii L. f. consulis (anni 518, ut probabiliter conicit Mommsen ib. p. 22) atque in antiquioribus Furiorum inscriptionibus Tusculanis et saepius[2]). Praeter patris aui quoque praenomen non

1) Codices Nepotis ita exhibent locum eum: 'Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum'. Ubi tamen post 'Cornelii' 'Corneliorum' excidisse puto, nam Scipionem gentis Fabiae atque Aemiliae sibi expetiuisse enarrationem parum mihi uidetur uerisimile. Fabius autem — i. e. Q. Fabius Maximus consul anni 707 — cum esset pronepos Q. Fabii Aemiliani, abnepos L. Aemilii Paulli (cf. Du Rieu de gente Fabia Lugd. 1856 p. 449) non sine causa utriusque gentis historiae studuit; quid tamen Fabia et Aemilia gentes ad Scipionem pertinuerint, non intellego; nam unum, qui ortus est e gente Aemilia, Scipionem, minorem Africanum, non reliquisse liberos constat. Certe facillime, ut post uocem 'Cornelii' nomen exciderit 'Corneliorum', apparet fieri potuisse.

2) Patris adscribitur nomen etiam in antiquissimo titulo Falisco, quem cum ipse Romae contulissem in museo Kircheriano seruatum, nuper, qua

legitur adscriptum in titulis ante sextum medium urbis saeculum; prima exempla inueni in titulis M. Fuluii M. f. Ser. n. cos. (ann. 565) C. I. L. I, 534, in columnis miliariis M. Aemilii M. f. M. n. Lepidi cos. 567 (ib. 535—537), in uno Furiorum titulo (ib. 71) et in tabula L. Cornelii L. f. P. n. Scipionis, quaestoris anni 587, mortui circa annum 593 (ib. 35).

Cum igitur tam sero auitum nomen addi coepisset, plane abiciendae et spernendae illae sunt, quas exhibent fasti Capitolini antiquissimorum consulum de maioribus notae, quippe quae ne ex titulis quidem effectae esse possint existimari. Quoniam autem omnes antiquiorum consulum notae genealogicae plane eandem habent naturam eademque sunt confectae ratione, non ex uariarum gentium stemmatibus titulisque prodiisse, sed eodem cunctae ortu generatae esse sunt arbitrandae. Atque omni eas carere auctoritate clare cognoscemus, si perlustrauerimus quae ex ipsis efficiuntur gentium antiquissimarum stemmata. Quae quamquam paucarum tantum gentium integra possunt constitui, maiore tabularum parte deperdita, tamen sufficiunt ad demonstrandum, quanti sint aestimanda.

Exempli causa stemma examinabo, quale constituit gentis Seruiliae ex fastis Capitolinis Eduardus Lübbert (de gent. Seru. comm. dom. Kil. 1875 p. 4), ita tamen ut eos solos respiciam, quorum propagines produnt fasti Capitolini. Sunt autem:

P. Seruilius [Priscus *Id. Pasch. Dion.* Structus *Chron.*] cos. 259.
|
Sp. Seruilius Structus [*Cap. Chron. Diod. Pasch.*] cos. 278.
|
P. Seruilius Sp. f. P. n. Prisc... [Priscus *Cap. Chr. Id. Pasch. Dion.* Structus *Diod.*] cos. 291.
|
Q. Seruilius P. f. Sp. n. Priscus Fidenas dict. 319 et 336.
|
Q. Seruilius Q. f. P. n. Fidenas trib. mil. 352—368.
|
Q. Seruilius Q. f. Q. n. Ahala cos. 389—412 dict. 394 mag. equ. 403.

---

est comitate, mecum communicauit Eugenius Bormann, edendum in undecimo Corporis inscriptionum uolumine sub numero 3081. Exstat enim in illo a dextra ad sinistram perscripto uersu altero: 'La(rs) Cotena La(rtis) f(ilius)'; eadem ratione alter titulus (ibid. 3156 a) et ipse antiquissimus habet: 'Hirmio(s) M(arci filius) Ce(so) Tertineo C(ai aut C-esonis) f(il.)'.

Tum alterius Seruiliorum stirpis idem uir doctissimus in dissertatione De gentis Quinctiae comm. domest. (Kil. 1876 p. 16) effecit hoc stemma:

C. Seruilius Structus Ahala (*ita Cap.* Structus *Chron. et Diod.?*) cos. 276.

Q. Seruilius [Structus *Diod.* Priscus *Chron. Id. Pasch. Dion.*)

C. Seruilius Q. f. C. n. Axilla (*Cap.* Structus *Chron. Liu.* Prisci filius *Liu.*) trib. mil 335

P. Seruilius [1]) [cos. 327? Structus *Chron. Diod.?* Ahala *Id. Pasch. Liu.?*]

C. Seruilius P. f. Q. n. Ahala (*Cap. Liu.* Structus *Chron.*) trib. mil. 346—52 mag. 346.

Sp. Seruilius C. f. C. n. Structus [*Cap. Chron.*] tr. 386.

Quibus in indicibus genealogicis haec potissimum me offendunt atque auctoritatem originum illarum uidentur imminuere:

Primum prorsus in eis neglegitur ratio temporum; nam longe breuiora, quam ex natura et aetate humana consentaneum est, intersunt temporis interualla inter patrum et filiorum magistratus. Vulgo aetatem humanam triginta trium annorum solemus computare, ut centum fere anni intersint inter uiri alicuius proauum atque ipsum. Eundem fere numerum praeclara disputatione ex fastis strategorum Tauromenitarum effecit Eugenius Bormann (fast. Taur. reliqu. descr. et ed. Marb. 1881 p. XVIII), qua annis 33, 8 uel 34, 4 post patres filios esse functos magistratibus demonstrat. Ex ipsis dein Capitolinis fastis, eis quae referuntur certae incorruptaeque notis genealogicis inde ab sexto fere saeculo inter se collatis, effeci medios, quos dicimus, annos tricesimum tertium ad quintum. Qua cum ratio-

1) Nescio an hic P. Seruilius fuerit relatus in fastorum Capitolinorum parte deleta consul anni 327. Ubi cum C. Seruilium dicant Diodorus et Liuius, tamen apud Liuium quidem antea scriptum fuisse Publium inde concludo, quod hoc praenomine Seruilium uocat Cassiodorus in epitoma, quam in consulum praenominibus praestantiorem saepe memoriam exhibere constat antiquissimorum codicum Liuianorum. Accedit, quod Plinius quoque (n. h. 7, 103) P. Seruilium magistrum equitum nominat, ceteroquin ignotum, nam apud Liuium non nisi Caii Seruilii referuntur magistri.

cinatione quam minime quadrat tabula supra scripta antiquissimorum Seruiliorum, quippe in qua filios legamus consules annis 19 et 13 et 10 et 19 post patres, ita ut minus sit interuallum inter P. Seruilium consulem anni 259 et nepotem eius P. Seruilium consulem 291 quam quo plerumque distare inter se statuimus patres et filios.

Neque tamen in sola Seruiliorum gente hoc animaduertimus, sed in multis aliis quoque aut minus aut maius aequo intercedit spatium temporis inter homines parentela coniunctos. Ac quam sit suspectum antiquissimorum Fabiorum stemma iam pridem notarunt uiri docti. Tum Corneliorum ex fastis exscripsit Borghesi (*Oeuvr. compl.* uol. IX, p. 146) stemma hoc:

cos. 269 Ser. Cornelius [Maluginensis *Chron. Id. Pasch.*] Τρίχοστος (Cossus?) *Diod.* [*sic in Patm. quoq.*].
|
L. Cornelius Ser. f. P. n. Maluginensis Ur[iti]nus (*Cap.* Malug. *Chr. Id. Pasch. Liu.* Curitinus *Diod.*)
cos. 295 |
M. Cornelius ... (Se)r. n. Maluginensis (*Cap. Liu.*) decemuir 304.
|
A. Cornelius [Cossus *Chr. Id. Pasch. Liu. Diod.*] cos. 326 trib. mil. 328 mag. equ. 328.
|
Cn. Cornelius A. f. M. n. Cossus [*Cap. Chr. Id. Pasch. Liu.*] trib. 340 cos. 345.
P. Cornelius A. f. M. n. (Cossus *Cap. Chron. Liu.*) trib. mil. 346.
|
Cn. Cornelius P. f. A. n. Cossus (*Cap. Liu.*) trib. mil. 348–353.

Ubi haec inter singulos uiros referuntur interualla: annorum 26, 9, 22, 14 inde a Ser. Cornelio consule 269 ad abnepotem Cn. Cornelium tribunum consularem anni 340. Anni 22 intersunt inter A. Cornelium Cossum consulem 326 eiusque nepotem Cn. Cornelium Cossum, tribunum inde ab anno 348. Neque aliter sese habet res in gentibus Valeria Aemilia Lucretia Minucia Verginia aliisque.

Sed grauius etiam alterum offendit in notis genealogicis Capitolinis, nempe quod non referuntur in indicibus eis nisi illi uiri, qui in fastis quoque exstant aut consules aut tribuni consulares aut dictatores magistrique equitum aut censores, ut non solum ex eis quae adscripsi stemmatibus Seruiliorum et Corneliorum sed ex aliis quoque apparet. Quod iustam

debet mouere dubitationem; nam si origines consulum, quales exhibent fasti Capitolini sexto uel septimo saeculo, accuratius examinauerimus, multos eorum, qui enumerantur patres aut aui consulum, etiam nobilissimarum gentium, omnino non functos esse inueniemus summis in republica magistratibus. Atque ex ipsa rei natura necessario hoc sequitur, cum haud pauci illorum mortui esse sint putandi priusquam ad consulatum peruenerint, alii autem siue corporis uitiis infirmaque ualetudine siue aliis de causis impediti omnino non petiisse magistratus. Valde igitur est mirandum, antiquissimis temporibus continuo ordine stirpes quasdam summos administrare magistratus neque quemquam ex eis hominem iuniorem decessisse, quam cui sit oblatus magistratus curulis. Neque minus ipsa illarum stirpium paucitas offendit praesertim cum multo plures etiam tum floruerint gentes patriciae, uterque consul creatus sit patricius, maiori hominum numero licuerit accedere ad publica negotia, quaternis uel senis uel octonis singulis annis creatis tribunis militum consulari potestate.

Neque igitur ullam tribuerim fidem notis genealogicis illis, quas adscribunt fasti Capitolini, immo confectas dico ab inferioris aetatis fastorum redactore, qui qua ratione effecerit genealogica sua antiquissima, non iam esse dubium censeo. Composuit enim stemmata ex ipsis fastis suis ita, ut singulis consulibus eos daret patres et auos, qui eiusdem gentis illis praecederent consules in indice eponymorum. Quo quidem modo effecit, ut ei soli legerentur in originibus, qui summos magistratus administrauerant; neque potuit fieri, quin saepe neglegeretur temporis ratio, cum modo eodem decennio, modo quinquaginta annorum interuallo interposito bini eiusdem gentis in fastis exstarent consules. Ubi autem gentis alicuius singuli tantum in fastis apparebant consules, ipsum sibi excogitasse elucet, quae adderet, praenomina paterna et auita. Neque aliena uidetur esse ea neglegentia et praua coniciendi ratio ab illa imagine, quam effecimus redactoris Capitolini ex contaminatis ab eo cognominum recensionibus. Accedunt alia quoque ementitae genealogiae uestigia; nam

anno 386 falsam propaginem 'C. f. C. n.' Sp. Seruilio tribuno consulari Lübbert (l. l. p. 17) egregie ostendit tributam esse ea de causa, ut clarissimus Sp. Maelii percussor C. Seruilius Ahala proauus diceretur posteriorum Seruiliorum.

Postremo eo quoque quam maxime offendor, quod haud raro diuersae eiusdem gentis stirpes in stemmatibus confunduntur neque respiciuntur earum, quibus inter se differebant, praenomina et cognomina; ut in Seruiliorum indice utriusque familiae homines eisdem cognominibus Structo Ahala Prisco promiscue utuntur, atque ex Fidenate Ahala, ex Ahala Structus ortus esse significatur.

Quae me permouent causae, ut notas genealogicas, quas legimus consulum in tabulis Capitolinis, eadem ratione, qua cognomina, non profectas esse dicam ex antiquissimae aetatis memoria, sed ab illo, qui recensionem istam instituit, effectas existimem.

CAPUT SEXTUM

De fastis Chronographi anni 354

Extremi, de quibus mihi est agendum, illi sunt fasti consulares, quos legimus apud Chronographum anni 354. Neque uero de eis tam multa mihi sunt facienda uerba, cum' totus fere assentiar illis, quae de fastis Chronographi egregie disputauit Mommsen (C. I. L. I p. 483 et *Röm. Chron.* p. 107). Nam ne mihi quidem est dubium, quin redeant ad exemplum fastorum plane gemellum Capitolini. Neque enim aliter explicatur utriusque laterculi consensus in multis nominibus falso scriptis aliisque in erroribus. Excerptus autem est index Chronographi ex fastis, singulorum consulum nomina primo casu exhibentibus, cum saepe nominatiuus apud eum legatur, ubi quaenam ablatiua nominis esset forma ignorabat excerptor; cf. Volso 280, 354, 358; Fidenas 325, 330, 357, 372, 376, 385; Mento 323; Priuernas 425; Aruinas 423; Saberio 450; Laenas 404, 406; Dorsuo 409; Cerco 513; Philo 415, 434 multaque alia nomina.

Tum in fonte chronographi multi consules, pari modo atque in marmoribus Capitolinis, binis exhibiti erant cognominibus, ut inde apparet, quod saepe eundem hominem alio refert Chronographus cognomine in altero consulatu, quam quo eum dixerat in priore. Pro neglegentia enim sua, cum ex geminis singula eligeret cognomina, non respiciebat reliquos eius, quem scripsit, uiri magistratus. Itaque T. Quinctium, quem in fonte appellatum fuisse 'Capitolinum Barbatum' manifesto cognoscitur, ipse Chronographus in sex consulatibus ab eo administratis dicit:

consul I 283: Barbato.
consul II 286: Barbato II.
consul III 289: Capitolino.
consul IV 308: Barbato IIII.
consul V 311: Barbato V.
consul VI 315: Capitolino VI.

Aeque Ap. Claudius refertur: 283 Inreligiense, 303 Sabino II, 304 Sabino III; Sp. Larcius: 248 Rufo, 264 Labo II (pro Flauo); L. Lucretius: 363 Tricipitino, 371 Flauo III, 373 Tricipino; T. Quinctius: 400 Capitolino, 402 Penno II; C. Poetelius, cuius primum consulatum errore omisit chronographus, in altero appellatur (408) Visulo II, in tertio (428) Libone III. Certam rationem in eligendis cognominibus non est secutus chronographus, nam cum sexagies ter in fastis Capitolinis exstent adhuc bina aut terna consulum cognomina, chronographus quinquies decies primum eorum refert, quinquagies alterum, ter tertium.

Dein genealogicas quoque notas in illis, ex quibus hausit chronographus, fastis adscriptas fuisse inde cognoscitur, quod ei 'nepos ubicunque plene scribitur, pro cognomine est' (Mommsen l. l. p. 483).

Neque tandem solos consules enumeratos fuisse dico in fonte Chronographi, sed dictatores [1]) quoque et magistros equi-

1) Dictatores omnes enumeratos inuenisse in fonte suo chronographum inde cognoscimus, quod anno 453 — quo, non exstantibus apud auctorem consulibus, dictatores refert — utrique iterati magistratus adscribit numerum. Praeterea ipse chronographus ad annum 705 adnotat: 'hoc usque dictatores fuerunt'.

tum, ut in fastis Capitolinis. Quod enim falsos saepe nominibus legimus adscriptos numeros repetiti magistratus apud Chronographum, eo uidetur ortum esse, quod nonnumquam reliquos quoque eiusdem hominis praeter consulatum magistratus, dictaturam aut magisterium equitum, perperam complectitur numeris. Sic A. Cornelio Cosso, consuli primum anno 411 numerum adnotat 'III' atque ea quidem de causa, ut opinor, quia idem Cossus magister equitum exhibitus erat in fonte Chronographi annis 401 et 405. Certissimum huius erroris exemplum est Appii Claudii, quem cum fuerit consul annis 283 et 303 illic quidem 'Inreligiense' et 'Sabino II', decemuirum autem anni 304 dicit Chronographus 'Sabino III'. Idem factum est in hisce:

C. Iunius Brutus: consul 437 'Bruto'
consul 441 'Bruto II'
(magister equitum 442)
consul 443 'Bruto IIII'.
C. Seruilius: tribun. cons. 346 (Structo); cf. 347 et 352
(magister equitum 346)
tribun. cons. 347 'Structo III'.
Q. Fabius Maximus Rullianus:
consul 432 'Rulliano'
[dictator 439]
consul 444 'Tulliano III'.
L. Papirius Cursor: [magister equitum 414]
consul 428 'Cursore II'
idem postea consul iterum anno 434 'Cursore II'
[magister equitum 434]
consul 439 'Cursore IIII'.

Alio loco L. Papirii Crassi et M'. Papirii Crassi magistratus una continua serie numerat chronographus:

L. Papirius Crassus consul 418 'Crasso'.
[M'. Papirius Crassus dictator 421]
L. Papirius Crassus consul 424 'Crasso III'.

Postremo quam fuerint Capitolinorum similes illi fasti, ex quibus excerptus est index Chronographi, mirus quem commisit Chronographus in nominibus consulum anni 631 docet error. Ubi enim quod legitur 'Metello et Appellate' pro 'Metello

et Flaminino' sine dubio ab imperitissimo epitomae auctore corruptum est ex uerbis: 'Q. Caecilius . f. . n. Metellus qui postea Balearicus appellat. e.', quales notas multis locis uidemus adscriptas nominibus in tabulis Capitolinis. Itaque iam pro certo posse statui puto, quod affirmat Mommsen, eiusdem recensionis, cuius habemus fastos Capitolinos, alterum exemplum esse fastos Chronographi. In eo quoque adstipulor uiro illustrissimo, quod ex ipsis, quae seruata adhuc sunt, marmoribus fluxisse eos negat, sed petitos esse ex pleniore aliquo exemplo dicit. Cuius rei testes profert cognomina aliquot, quae cum desint in laterculo Capitolino, exhibentur a chronographo [1]). Eadem ratione quaedam a tabularum Capitolinarum lapicida falso incisa, recte reddit Chronographus; neque enim casu accidit, ut, cum in marmore legamus nomen P. Volumnii consulis 293 'Amintin.', apud Chronographum exstet 'Amentino', quam formam confirmat Diodorus, consulem dicens *Πούπλιος Οὐολούμνιος Ἀμεντῖνος*.

Descriptos igitur arbitror fastos Chronographi ex ipsarum Capitolinarum tabularum fonte, ita ut, ubi perierunt marmora Capitolina, ex Chronographo, quae illa tradiderint nomina, cognoscamus.

CAPUT SEPTIMUM

De recensionis Capitolinae auctore

Cum eis, quae hucusque disserui, ostenderim qua ratione ortos esse putem fastos Capitolinos atque a docto homine aetate liberae reipublicae extrema ex duabus, quae circumferebantur, fastorum recensionibus in unum esse coactos statuerim,

1) Quibus addo cognomen Rufi, quod exstat apud Chronographum consulis Ser. Cornelii Lentuli anni 451; nam quamquam Henzen et Mommsen (C. I. L. I p. 433, 445, 516) in fragmento Capitolino post LENTVLVS supplent 'Rufus', tamen in lapide ne unam quidem litteram praeterea scripam fuisse eo loco, et Romae, cum describerem fastos, adnotaui in margine et nunc ex ectypo chartaceo cognosco.

iam operae uidetur pretium explorare, quisnam ille fuerit redactor Capitolinus. Priusquam tamen ad ipsam adgrediar quaestionem, paucis, quid de consilio atque genere fastorum Capitolinorum sentiam, iuuabit enarrare.

Post egregiam Mommseni disputationem, quae continetur altero uolumine operis inscripti '*Röm. Forsch.*' p. 58—85, non iam potest dubitari, quin quos habemus marmorum Capitolinorum fastos consulares, incisi sint inter annos urbis conditae 718 et 724. Neque tamen auctorum ueterum ullus de exstructis illis quidquam refert neque omnino mentio fit eorum in libris historicis. Quod eo magis uidetur mirandum, cum fuerint collocatae tabulae in parietibus regiae ad forum sitae loco frequentissimo, ubi non potuerint latere homines curiosos. Tum uix sunt putandi fasti, cum multo pleniora exhiberent consulum nomina quam reliqui indices, tam fuisse ignoti aut neglecti, ut plane praeterirentur silentio a scriptoribus. Neque nomen illius prorsus potuit sileri, qui composuit opus tam doctum specie atque diligens, ea potissimum aetate, cuius multa norimus nomina auctorum longe leuiorum. Quam fastorum Capitolinorum obliuionem aliter expediri nego, nisi statuamus, non esse recensionem Capitolinam tum primum institutam, cum regiae adfigerentur tabulae, sed descriptam tantum aut excerptam esse in commodiorem ciuium usum ex libro aliquo omnibus notissimo, praeter quem neminem uidelicet marmoreum illud exemplar laudare, non sit cur miremur. Quibuscum conuenit, quod supra uidimus non archetypum seruatum esse fastorum Capitolinorum, sed ex pleniore exemplo et nostros esse descriptos et eos, quos praebet Chronographus. Praeterea aliunde esse haustos fastos Capitolinos hac quoque de causa licet conicere, quod nonnullis annis uerbosioris quondam textus apparent uestigia, adnotata bella aliaeque res illustres. Sed cum multa eorum desiderentur, ut bellum Numantinum, bellum ciuile, bellum Mithridaticum omniaque bella ante sextum urbis saeculum gesta, non possunt in his tabulis primum esse adscripta.

Ut uero librum illum, unde fluxerunt fasti Capitolini, efficiamus, ea notanda esse existimo, quibus differunt a ceteris,

antea adhibitis fastorum recensionibus, quibusque priores eas superant. Ac superiore quidem tempore haud dubie innotuerunt fasti consulares, fasti censorii aliique, neque tamen ante Capitolinam recensionem uarios illos magistratus, tempore minime inter se consentientes, in unum esse redactos corpus continua annorum serie, certum exstat indicium. Nam apud omnes auctores antiquiores — Liuium quoque dico et Dionysium Diodorumque, quippe qui integram fere annalium reddant memoriam — constanti ordine soli consules enumerantur, cum censores, dictatores, magistri equitum non appareant nisi praeclare quid ab eis gestum narratur. Contra primi fasti Capitolini ea ratione magistratus ordinauisse uidentur, ut consulum indici dictatores, magistros equitum, censores intexerent, atque censores quidem, quorum magistratus ad binos annos pertinebat, eis annis, quibus inirent magistratus.

Deinde multo pleniora singulorum hominum nomina legi in Capitolinis fastis quam in ceteris, binis uel ternis additis cognominibus, iam accuratius exposui.

Alterum, quod nouum atque ignotum antiquioribus exhibet Capitolinus laterculus, notae sunt genealogicae, patres et auos magistratuum enuntiantes. Ex quibus quae ad antiquissima tempora pertinent, eas docti alicuius uiri deberi studiis, quinto mihi uideor comprobasse capite. Neque enim studia ea ante Ciceronis aetatem Romae colebantur. Pari modo eae notae, quibus cognomina nonnulla in fastis Capitolinis explicantur aut significantur, ut 'qui in hoc honore Venox (442), Censorin. (489), Messalla (491) appellatus est' et 'qui postea Censorinus (444 et 460), African. (549), Asiaticus (564), Callaicus (615), Felix (666), Isauricus (675) appellatus est', a docto litterato additae esse intelleguntur.[1])

Tertium deinde quod proprium sit Capitolinis fastis dico breuiter adscriptas quibusdam annis res, bella potissimum, scilicet 489 'bellum Punicum primum', 528 'bellum Gallicum Cisalpinum',

1) Illud quoque, quod legitur in fastis Capitolinis anno 575 'hei fratres germani fuerunt' auctori tribuo, qui gentium nobilium res genealogicas perscrutabatur, neque in fastis primariis exstitisse arbitror.

553 'bellum Philippicum', 562 'bellum Antiochinum', 582 'bellum Persicum', 604 'bellum Punicum tertium', 663 'bellum Marsicum'. Ad eius modi adnotatum redire illud quoque puto, quod habet Chronographus anno 475 'Saberno et Pirrico', pro 'Sauerrione et Mure'. Ubi subesse 'Pyrrhicum' recte animaduertit Bröcker ('Untersuch. über d. Glaubw. d. altröm. Gesch.' p. 333), tamen quod ortum esse sibi persuasit errorem occiso altero consule in bello Pyrrhico, non probo, sed potius refero ad 'bellum Pyrrhicum' notatum in fonte Chronographi tribus annis ante.[1]) Quae adnotationes cum alienae sint a ueris fastis, qui praeter magistratuum nomina res non exhibent enarratas, non ex simplici nominum indice transscripti sunt fasti Capitolini et Chronographus, sed ad pleniorem librum redeunt. Annales autem aut uberiorem historiam fontem illum fuisse nego. Immo forma concisa, qua singulae referuntur res, potius indicat tabulam chronologicam, ubi suo quaeque anno breuiter notatae erant res illustres historiae Romanae. Atque ex tabula tali excerptos esse fastos Capitolinos ac Chronographi, comprobant praeter bella adscripta reliqua pauca, quae nonnullis annis breuiter referuntur, facta clariora, ut anno 381 dissensionem inter patres et plebem de consulibus plebeiis creandis enarratam legimus sic: '(consules e pl)ebe primum creari coepti', ubi omissum uerbum 'sunt' prorsus tabularum redolet genus scribendi. Eadem breuiloquentia ad annum 386 adnotant fasti Capitolini de primo plebeio creato magistro equitum 'primus e plebe' et de primo plebeio consulum collegio ad annum 582 'ambo primi de plebe'. Clarissima P. Decii Muris consulis mors duobus uerbis enarratur ad annum 459 '(s)e deuouit'.

Chronologiam uero sequuntur fasti Capitolini eam, quam constituerunt circa annum urbis septingentesimum Atticus atque Tarutius (cf. prae ceteris Matzat *Röm. Chron.* I p. 345), ita ut intra uiginti quinque fere annorum spatium ortam esse recen-

1) Secunda codicis Vindobonensis manus ad annum 512 adnotat: 'f. belli p.' (finis belli Punici); quod cum desit in reliquis libris manuscriptis, non licet affirmare, fines quoque bellorum in communi Chronographi et fastorum Capitolinorum fonte fuisse relatos.

sionem Capitolinam possimus affirmare, scilicet post annum fere 700 u. c. et ante annum 724, quo iam fuisse insculptum illud, cuius exstant fragmenta, exemplar Mommsen demonstrauit.

Atque historica et chronologica illius aetatis perlustrantes opuscula, unum inuenimus, quod ab auctoribus ueteribus describitur simillimum fastorum Capitolinorum: ipsius Attici librum annalem. Itaque iam Pighius (Annal. tom. I pag. 13 squ.) — ut comperio ex Hullemanni Diatribe in T. Pomponium Atticum Trai. 1838 p. 189 — et Vossius (De hist. lat. p. 50) ex Attici annali fluxisse censuerunt fastos Capitolinos. Nuper idem sensit — Pighii et Vossii opinionis ignarus — Matzat (*Röm. Chron.* I p. 353 adn. 2), qui unum eorum, quos illi, comparat locum Cornelii Nepotis. Ego quoque iam pridem, priusquam eam apud illos uiros doctos legissem sententiam, in eandem coniecturam incideram atque diligentius disquisita re non solum omnia ea, quae propria indici Capitolino enumeraui, cadere in annalem uidebimus, sed etiam consulto ficta quaedam, quae exstant in fastis Capitolinis, ad Attici redire auctoritatem.

Prodit autem de annali illo Nepos (Att. cap. 18) haec: ‘(Atticus) moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine exposuerit, quo magistratus ordinauit. Nulla enim lex nulla pax neque bellum neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata; et quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum uirorum propagines possimus cognoscere’. Praeterea conferendi sunt loci Ciceronis, Brut. 3, 14: ‘(libro) quo iste (sc. Atticus) omnem rerum memoriam breuiter et, ut mihi quidem uisum est, perdiligenter complexus est.’, ibidem 3, 15 ‘eam utilitatem ... ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia uiderem’; denique orat. 34, 120: ‘cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae ueteris ordinem, maxime scilicet nostrae ciuitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor, qui conseruatis notatisque temporibus, nihil cum illustre

praetermitteret, annorum septingentorum [1]) memoriam uno libro colligauit.'

Quibus locis cunctis et diligens plenitudo et breuiloquentia praedicatur, qua res Romanas inde ab urbe condita uno libro rettulit Atticus ('uno libro' Cic. orat. — 'liber, quo' id. Brut.) Quod aliter uix potuit consequi, nisi tam concisis formulis singulas res significauit, quales hic illic adnotatae sunt in fastis Capitolinis, ut 'bellum Punicum primum', '(consules e pl)ebe primum creari coepti', aliae.

Annalem Attici, quem inter annos 700 u. c. et 708 editum esse constat, cum septingentorum annorum memoriam continuerit, exorsum esse apparet ab urbe condita, id est ex tertio sextae olympiadis anno (= 753 a. Chr. n.), quo urbis initium statuisse Atticum scribit Solinus (1, 27). Sed etiam Capitolini fasti, exorsi ex eodem anno a. Chr. n. 753, regum aetatem respexerunt, cum triumphales tabulae exhibeant triumphos Romuli, Tarquinii Prisci, Ser. Tullii, Tarquinii Superbi, et in consularibus quoque lapidibus nomina regum enumerata fuisse ex spatii deperditi ratione comprobauit Henzen (C. I. L. I. p. 420).

Summis efferuntur laudibus a ueteribus merita libri illius de rebus chronologicis ('explicatis ordinibus temporum' Cic. Brut.; 'conseruatis notatisque temporibus' id. orat.). Quod fecisse uidetur Atticus compositis olympiadibus cum annis urbis Romae consulumque collegiis, nam omnes ei anni ex annali proferuntur a scriptoribus, olympias a Solino l. l., anni urbis conditae a Cicerone (Brut. 18, 72), anni consulares ab eodem Cicerone (ad Att. 12, 23, 2) et Cornelio Nepote (Hann. 13). Plane eadem ratione fasti Capitolini in indice magistratuum eponymorum decimo quoque anno adscribunt numerum anni ab urbe condita, ut DL, DLX, DLXX, 'notatis temporibus' perinde atque Attici liber: cf. Cic. orat. 120. Denique ut in marmoribus Capitolinis, ita in annali quoque anni cuiusque consulibus fuisse adiunctas res gestas, diserte dicit Nepos l. l.: 'nulla lex ... nulla res ... quae non in eo suo tempore sit notata.'

1) Utrum reuera septingenti anni libro eo contenti fuerint, an praeterpropter dicat Cicero numerum, ex ipsius uerbis non elucet.

Cum igitur compositionem, dispositionem, ordinem eundem comprehenderimus annalis Pomponiani atque fastorum Capitolinorum, omnia illa, quibus ultra antiquiorum fontium modum progressam demonstraui recensionem Capitolinam, ab Attico quoque in annali fuisse posita apparebit.

Quorum primum supra dixi uariorum magistratuum fastos in unum redactos corpus. Id ipsum autem ab Attico factum esse indicat Nepos (Att. 18), cum scribat ‘in eo libro, quo magistratus ordinauit’. Neque enim Nepos dicit: ‘consules ordinauit’, unde alios quoque magistratus ab Attico enumeratos fuisse intellegimus. In quibus non fuisse praetores tribunosque plebis ex duobus Ciceronis locis, ad Att. 13, 30, 3—32, 3 et 16, 3 effecit Mommsen (*Röm. Chron.* p. 145 adn. 274), atque eos ipsos ne in Capitolinis quidem fastis referri, recte monet Matzat l. l. (*Chron.* I p. 353 adn. 2). In ordinandis magistratibus Atticum praeterea existimo esse amplexum suffectos consules, quos antiquioris quidem aetatis ignorant annalium scriptores et qui eos secuti sunt Liuius, Dionysius, Diodorus, tum abdicationes causasque earum, mortes magistratuum (‘i. m. m. e.’ uel ‘i. pr. occ. e.’), causas dicti dictatoris (rei gerundae, comitiorum habendorum, claui figendi, seditionis sedandae causa) alia eius modi, quae fere adnotare solent fasti Capitolini.

Alterum idque maximum, quo ab omni memoria priore differunt fasti Capitolini, statui plenos quos exhibent inde ab antiquissimis temporibus consulum indices genealogicos. Quos, cum ex fontibus superioribus non uideantur hausti esse, sero compositos esse uidimus. Atque his potissimum studiis Atticum prae ceteris operam dedisse locus demonstrat Nepotis iam antea laudatus. Nam singulares libros scripsit de gentibus Iunia, Claudia, (Cornelia? cf. p. 237 adn. 1), Fabia, Aemilia neque in imaginibus neglexisse putandus est genealogiam. Quam diligentissime autem in eam inquisiuit ipso annali, ubi secundum Nepotem l. l. ‘quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum uirorum propagines possimus cognoscere’. Quodsi quaerimus, quo modo ‘subtexuerit’ propagines eas Atticus, plena gentis cuiusque stemmata eum exhi-

buisse neque Nepos significat neque in breui tabula chronologica probabiliter statuitur. Accedit quod non omnium gentilium dicit Nepos cognosci potuisse propagines ex annali, sed clarorum tantum uirorum, quos consules dictatores aliosque magistratus maiores esse facile intellegitur. Immo magis artificiosa ratione usum esse Atticum, quam per stemmata enumerando homines, ex uerbis Nepotis apparet 'et quod difficillimum fuit'. Qui cum dicat 'subtexuit', rationem eam docet; subtexere enim idem ualet atque 'innectere, immiscere', neque quo alio modo genealogicae consulum origines fastis potuerint immisceri uideo, nisi eo, quo in Capitolinis tabulis adduntur uel subtexuntur nominibus genealogicae adnotationes. Nam ex eis quoque ut ex annali Attici 'clarorum uirorum propagines possumus cognoscere', nempe compositis comparatisque inter se notis uariorum eiusdem gentis hominum. Itaque Atticum quoque in chronologico indice notas suspicor adscripsisse ad consulum nomina, patrum atque auorum referentes praenomina. Libros enim, quibus separatim tractauit Atticus genealogiam plane diuersos atque annalem describit Nepos: 'familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumerauit; notans qui a quo ortus quos honores quibusque temporibus cepisset', ita ut in eis omnes enumeratos fuisse gentiles, etiam illos, qui non peruenerint ad magistratus curules, eluceat, cum in annali non nisi clarorum uirorum fuerit habita ratio.

Tertio loco de quibus mihi est disputandum, quae exstant in fastis Capitolinis adnotata nonnullis locis bella aliaeque res clariores, quam maximam demonstrant similitudinem intercedentem inter laterculum Capitolinum et annalem Attici. Namque apud Atticum enarratas fuisse tradit Nepos: leges, paces, bella, res illustres populi Romani. Atque bellorum quidem haud ita pauca inueniuntur in Capitolinis fastis uestigia (ut 'bellum Punicum primum', 'bellum Gallicum Cisalpinum' alia). Sed etiam res illustres quaedam in fonte suo adscriptas casu potius quam consilio retinuit lapicida marmorum Capitolinorum, ut mortem deuotionemque P. Decii Muris, consulis 459, primum consulem plebeium anno 387 creatum e. c. Res illustres

Matzat l. l. putat dici triumphos neque habeo quod contra hanc uiri doctissimi proferam sententiam. Qua accepta alteram esse epitomam propriamque ex Attici annali postea factam indices triumphales Capitolinos, statuendum est et explicantur fortasse hac ratione discrimina quaedam, quae inter utrumque laterculum intercedunt [1]). Itaque his quoque consentire uidentur fasti Capitolini cum annali Attici.

Latius autem patere cognationem fastorum Capitolinorum librique Pomponiani certis argumentis probabo.

Extrema liberae reipublicae aetate multi originem familiarum suarum referre solebant ad claros antiquissimorum saeculorum uiros, ad reges, ad Aeneae socios Troianos; ad deos, ut progeniem sese putabant Numae Pompilii regis gentes Aemilia Calpurnia Pomponia Pompilia, Anci Marcii gens Marcia, Iuli filii Aeneae gens Iulia. Aliae, plebeiae potissimum familiae, quae sero commemorantur in fastis et a scriptoribus, originem suam referebant ad cognomines tertii aut quarti saeculi homines patricios, ut Mucii a notissimo Scaeuola, qui Porsennam fuerat percussurus, oriundos sese gloriantur, Cassii Longini a Sp. Cassio Vecellino. Pari modo ei, quos nouimus plebeios consules inde a quinto urbis saeculo, Iunii Bruti auctorem familiae suae iactant L. Iunium Brutum, a quo expulsos reges constitutamque libertatem populi Romani fabulae ac poetae narrabant. Quod cum esse uerum suo iure negarent et ueteres nonnulli (ut Cassius Dio 44, 12 atque *οἱ τὰ Ῥωμαίων σαφέστατα ἐξετακότες* Dion. 5, 18) et recentiores plurimi, inde quoque fictum cognoscitur, quod prorsus diuersis

1) Triumphales tabulas anno 742 u. c. incisas esse cum Mommseno (*Röm. Forsch.* II p. 79) recte demonstratum censeo ab Hirschfeldio (*Hermes* IX et XI). Praeter litterarum formam, qua ab alio esse insculptos lapicida triumphales, ab alio consulares fastos intellegitur, in minoribus quibusdam rebus inter se differunt; L. Anicius L. f. Gallus in consularibus fastis dicitur 'L. n.' anno 594, in triumphalibus 'M. n.' 587; P. Licinium Crassum triumphales tabulae anno 661 nominant: 'M. f. P. n.', consulares anno 665 'L. f. P. n.. Tum fasti consulares usque scribunt 'Aimilios', cum in triumphalibus actis bis (annis 443 et 639) legatur 'Aemilius': cf. Mommsen C. I. L. I p. 623.

utuntur praenominibus plebeii Iunii atque patricii, quorum praenomina Titus, Tiberius (cf. Liu. 2, 4, Dion. 5, 6) postea nunquam redeunt in gente. Haud tamen est mirum, ipsos Iunios propter nomina congruentia se posteros existimasse L. Bruti. Quam rem iam Posidonius tradidit (Plut. Brut. 1), primus autem docta disputatione et stemmate Iuniorum constituto plebeios Brutos rettulisse uidetur ad primum consulem ipse Atticus, de quo Nepos (Att. 18): 'fecit hoc idem, inquit, separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumerauerit, notans qui a quoque ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset.' Indicem igitur Iuniorum genealogicum composuit Atticus usque ad M. Brutum Caesaris interfectorem; 'wozu aber viel Erfindung erforderlich war', rectissime adnotat Teuffel (*Röm. Literaturg.*[4] 171, 2 c). Neque tamen unum tyrannicidam auum statuere M. Bruti satis habuerunt aequales illius, sed alterum etiam maternae gentis posuerunt C. Seruilium Ahalam, qui Sp. Maelium regni adfectatorem, ut uocabatur, necauerat. Ab eo enim matrem Bruti Seruiliam oriundam esse dixerunt (cf. Plut. Brut. 1 et saepius; locos enumerat Drumann *Gesch. Roms* uol. IV, p. 15 adn. 8). Atque hoc quoque per genealogicam rationem demonstratum esse ab Attico, colligo ex loco quodam Ciceronis. Qui cum compluries (Brut. 14, 53 et 97, 331; Phil. 2, 11 et 10, 6) originem Bruti ex ipsis illis gentibus, Iunia et Seruilia, praedicet, ad Atticum scribit quadragesima libri tertii decimi epistula: 'ubi igitur *φιλοτέχνημα* illud tuum, quod uidi in Parthenone, Ahalam et Brutum?' Ubi non potest *φιλοτέχνημα*, ut nonnulli uoluere, reddi 'deliciae', neque subesse signum marmoreum, et Bruti et Ahalae simulacrum continens, cum hac notione post Platonem non legatur uocabulum illud apud auctores ueteres. Neque Atticus tam ardenti libertatis studio Caesarisque inimicitia flagrauit, ut tale monumentum faciundum sibi curasse sit putandus. Immo *φιλοτέχνημα* secundum locos, quos laudat Stephanus, significare potius uidetur: 'artificiose et diligenter aliquod confectum opus.' Hac sententia exstat apud Diodorum, aequalem fere Ciceronis (3, 37), dictum de artifi-

ciose inuenta corbi, qua anguem ingentem caperent uenatores; eodem capite hac notione etiam usurpatur *πεφιλοτεχνημένον* atque una referuntur *φιλοτεχνίᾳ τε καὶ δόλῳ*. Cum autem Atticum stemmate ad regum expulsorem reduxisse M. Brutum constet atque in epistula illa sermo sit de Bruto et Caesare, mihi quidem non iam est dubium, quin dicat Cicero stemmata artificiose ab Attico composita, quibus Bruti maiores et Seruilios et Iunios usque ad Ahalam et ad L. Brutum enumerauerit, et utrumque ostenderit esse auum M. Bruti. Ciceronem igitur stemmata ea uidisse conicio picta in tabula uel pariete Parthenonis Attici, scilicet in bibliotheca eius. Nam ab ipso Attico *φιλοτέχνημα* illud esse confectum, ex addito uocabulo ‘tuum’ intellegitur.

Quodsi Attici esse eam propagationis tabulam statuimus, miro euenit casu, ut in Capitolinis fastis duo comprehendantur corruptae memoriae uestigia, quae ad ipsam eam Bruti originationem fulciendam uidentur esse conficta.

Primum enim ut p. 242 exposui Eduardus Lübbert dissertatione De gentis Quinctiae commentariis domesticis (Kil. 1876) p. 17 egregie ostendit, Sp. Seruilio Structo, tribuno consulari anni 386 falsam adscriptam esse in fastis Capitolinis notam genealogicam ‘C. f. C. n.’ pro ‘C. f. P. n.’ et ea quidem de causa, ut a C. Seruilio Ahala, Sp. Maelii interfectore, qui progeniem non uidetur reliquisse, originem possent ducere posterioris aetatis Seruilii. Quamquam autem stemma Seruiliorum, deperdita ea laterculi Capitolini parte, inde per integrum fere saeculum ignoramus, tamen Caepiones, quorum ex familia oriunda erat Seruilia M. Bruti mater, ad Sp. Seruilium Structum illum redire, hac de causa est uerisimile, quod una omnino gentis Seruiliae stirps ad posteriora saecula permansit, nempe ea qua continentur Seruilii Caepiones et Seruilii Gemini.[1]) Cum tamen ex Plutarchi loco laudato Caepiones ab Ahala duxisse origi-

1) Primum enim, quem nouimus Caepionem, consulem anni 501, primumque Geminum, consulem 502 ex uno eodemque auo, Cn. Seruilio ortos esse, notae genealogicae docent, quas iam sinceras ad eos annos adnotant fasti Capitolini.

nem sciamus, horum ipsorum causa Sp. Structo alium uindicatum esse in fastis Capitolinis auum arbitror.

Simile quid, mea quidem sententia, apparet in Iuniis, quos commemorant marmora Capitolina. Nam si M. Brutus ceterique qui sexto septimoque saeculo fuerunt Iunii Bruti orti esse dicebantur ex L. Iunio Bruto consule anni 245, omnes qui medii ponerentur Iunii necesse erat et ipsi cognomen gererent Bruti. Faciunt autem contra C. Iunius consul annorum 437 sq. et C. Iunius consul 463, 477. Utrumque enim C. Iunium Bubulcum appellant antiquiores fontes, Idatius, Chronicon Paschale illique quos sequitur Liuius nono et decimo libro scriptores annalium. At Capitolini fasti, ubicunque illi leguntur C. Iunii (sc. annis 437, 441, 442, 443, 445, 447, 452 et triumph. 443, 452, 477) cognomini Bubulci alterum adnectunt Bruti, quod alicubi eis non adscribitur atque uno eo consilio uidetur esse additum, ut continua Brutorum series inde a L. Bruto, libertatis uindice efficiatur ad Brutos sexti saeculi eorumque posteros. Quoniam autem primum eam seriem descripsisse uidimus Atticum, haud mihi uideor facere audacius, quod et Brutorum additum cognomen et falsam Sp. Structi notam genealogicam ad illum refero, quippe qui eo studio, quod utroque comprehendimus loco, et Seruiliorum et Iuniorum redegerit stemma. Eo autem, quod utrumque redit in fastis Capitolinis, quam maxime confirmatur illa, quam exposui, sententia mea de fastorum Capitolinorum cum Attici annali coniunctione atque iam certo illos esse excerptos ex annali credo.

Unum tamen restat, quod sententia ea accepta sit expediendum. Neque enim, si ex libro Pomponiano reuera fluxerunt fasti Capitolini, toti inde possunt esse petiti; nam cum editus sit annalis ante annum u. c. 708, quo Cicero emisit Brutum suum de claris oratoribus, auctor tabularum Capitolinarum, quas exstructas in regia esse intra annos 718 et 724 constat, uiginti fere extremorum annorum consules aliunde sumpsisse est arbitrandus. Atticus annalem scripsit post editos libros Ciceronis de republica, i. e. post annum 703 (cf. Mommsen *Röm. Chron.* p. 141 c. adn. 273 et Drumann *Gesch. Roms* uol. VI

p. 83 squ.); nam ipsum facit dicentem Atticum Cicero in Bruto (5, 19): ‘eisque (sc. libris de republica) nosmet ipsi ad ueterum rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus’. Cum igitur inter annum 703 et 708 [1]) composuerit librum Atticus et hucusque produxerit seriem consulum, quam dignissimum est notatu, quod Chronographus anni 354, quem pendere ex Attici annali ex eis quae disserui sequitur, adnotat ad annum 705 (Mommsen ‘*Ueber den Chronographen v. J. 354*’ p. 618): ‘hoc usque dictatores fuerunt’ [2]). Sed fuerunt etiam postea dictatores annis 705, 706—8, 709, 710; itaque nota illa chronographus aliud quid uidetur significare. Quodsi meminerimus, in fonte Chronographi fuisse enumeratos dictatores quoque (cf. supra p. 244), sic explicandam censeo notam, ut eum fontem pertinuisse dicamus usque ad ipsum annum 705 et pronuntiare chronographum uerbis illis, se hucusque sequi auctorem dictatores exhibentem, aliunde autem inde ab anno 706 se petere consules.

Annalem igitur Attici substitisse puto in consulibus anni 705, quo bellum exarsit ciuile, atque annos 706 ad 718—24 tum, cum inciderentur fasti Capitolini ex memoria esse additos. Quibus fauet, quod inde ab anno 705 in ipsis fastis Capitolinis inueniuntur quaedam aliter expressa atque in priore parte. Nam cum ante eum annum, quibus annis dictatores fuerunt, nomina eorum statim ponantur post consules, adscripta tantum nota ‘dict.’, inde ab anno 705 ubique dictatoris nomini (cf. 705, 707, 709 bis) praemittitur singulis uersibus nota ‘eodem anno’, addita ut opinor ab homine, qui — diu intermissa dictatura — non iam ueram eius naturam nouerat [3]).

---

1) Atticus, anno 704 ex Epiro Romam redux, ibi commoratus est annis sequentibus (cf. Drumann l. l. uol. V p. 25 squ.); atqui librum cum non nisi in urbe scribi potuisse sit manifestum, annis 705—708 studiis illis uidetur Atticus operam dedisse annalemque paullo ante annum 708 emisisse.

2) Vix casui est tribuendum, quod inde ab anno 706 usque ad 715 desiderantur apud Chronographum et dierum anni incipientis et epactarum significationes.

3) Quibus annis penes singulos consules summa erat potestas, apud

Iam perueni ad finem disputationis, cuius summa capita breuiter liceat comprehendere.

Fasti igitur consulares antiquissimi sine cognominibus enumerabant priorum saeculorum magistratus atque hos fastos antiquiores omnes receperunt scriptores. Quem tamen iudicem postea, profecti a ternis nominibus, quae legebantur consulum aetatis posterioris, singulis additis cognominibus suppleuerunt duo uiri docti, suo uterque coniciens Marte. Qua ratione duae ortae sunt fastorum recensiones, quarum alteram exhibent Idatius et Chronicon Paschale, ac certae Liuii Dionysiique operum partes; et huius quidem auctor putandus est Licinius Macer. Alterius recensionis particulam habemus (per Castorem suppeditatam) in Diodori fastis ubicunque referuntur consules cognominibus adscriptis. Ex utraque tertiam effecit recensionem aetatis Ciceronianae homo doctus, quem esse Atticum, libri annalis auctorem, multis indiciis proditur. Eum esse fontem et fastorum Capitolinorum et Chronographi anni 354 probabiliter statuitur, ita ut Capitolina recensio composita sit ex duobus prioribus fastorum exemplis.

Quodsi, quae legimus consulum antiquissimorum cognomina, non nisi coniecturis debentur antiquariorum, qui infima liberae reipublicae aetate fuerunt, omni ea carere fide apparet; atque inde iam sequitur omnem aetatis antiquissimae memoriam, petitam et coactam ex cognominibus, nullius esse auctoritatis, sed sera coniectura effectam. Neque tribuenda est fides nisi binis prioribus nominibus, gentilicio ac praenomini. Sic neglectis cognominibus satis multae resoluuntur et explicantur controuersiae, inde natae, quod idem factum in diuersis

---

Atticum nomen eorum uidetur fuisse scriptum addita nota: 'solus magistratum gessit', ut legimus in fastis Capitolinis ad annum 670; idem apparet apud Chronographum annis 379 ('Baccho solo') et 702 ('Magno III solo') et eadem ratione postea quoque anno 708 'Caesare IIII et solo (!)'; fasti autem Capitolini in illis, quae non iam ad annalem redire dixi, anno 709 aliter atque in priore parte habent 'C. Iulius C. f. C. n. Caesar IIII sine c (onlega)', ita ut post annum 705 neque iam plane consentiant inter se Chronographus et fasti Capitolini, neque prior posteriorque laterculi Capitolini pars.

fontibus diuersis eiusdem gentis hominibus adscribebatur, nempe ob diuersa ab auctoribus posita cognomina [1]).

1) Quod cum accuratius exponere hoc loco sit longum, uno exemplo quae posui conabor comprobare. Iteratam esse narrationem de seruato consule Romano et a T. Quinctio Capitolino et a L. Quinctio Cincinnato, luculenter ostendit Lübbert (De gent. Quinct. comm. dom. p. 20 et De gent. Fur. comm. dom. p. 9). Primum enim Liuius (3, 4) et Dionysius (9, 63) — quem utrumque propter addita cognomina consulum hausisse arbitror ex Macro — S. Furium Fusum consulem obsessum ab hostibus liberasse tradunt T. Quinctium Capitolinum. Tum paullo post (anno 296 u. c.) eidem auctores (Liu. 3, 36, Dion. 10, 25 — ubi apud neutrum scriptorem legi cognomina notandum est, quia aliunde illa uidentur esse desumpta —) plane eadem ratione L. Minucium consulem seruatum esse narrant a L. Quinctio Cincinnato dictatore anni 296. Neque tamen in eo consentio cum uiro illustrissimo mihique carissimo, quod inde putat fabulam esse iteratam, quia gloriae cupidi et Quinctii Capitolini et Quinctii Cincinnati suo quique auo factum illud postea uindicassent. Immo eam fuisse repetitionis originem arbitror, ut in antiquissimis annalibus, qui consulum nomina in rebus enarrandis non solebant referre (Nep. Cat. 3, 4) id tantum exstitisse scriptum, 'consulem Romanum ab hostibus circumuentum obsessione liberatum esse a Quinctio'. Iam cum illa aetate duo putarentur uixisse clari Quinctii, alter T. Capitolinus, alter L. Cincinnatus, postea alios quidem ad Capitolinum rettulisse factum illud existimo eiusque adscripsisse cognomen, alios autem auctores Cincinnatum dici sibi persuasisse atque ideo eum nominasse. Unde factum est, ut alio alii anno prodiderint rem gestam, posteriores autem scriptores, ut Liuius et Dionysius, cum non uiderent, eandem rem mutatis nominibus bis narrari, utroque anno eam reciperent. Uter autem Quinctius reuera rem illam gesserit, nos iam non possumus diiudicare, quamquam libere confiteor, uehementer me dubitare de toto L. Cincinnato, cum nomen eius non exstiterit in fastis consularibus, quos antiquissimum uerissimumque fontem esse disserui. Nam quod consul suffectus dicitur anni 294 apud auctores recentiores Dionysium fastosque Capitolinos — neque Diodorus neque Liuius suffectum eum commemorant —, etiam auget suspicionem. Antiquissimis enim temporibus fuisse magistratus suffectos iam supra negaui. Praeter consulatum illum spurium duas dicturas Cincinnato tribuunt auctores, quas tamen ipsas sero demum inuentas esse existimo. Mihi cum parum sit probabile, tam clarum, qualem describunt auctores, uirum omnino non consulem esse creatum, totum Cincinnatum nil nisi umbram esse iudico T. Quinctii Capitolini, quem sexies exhibent consulem fasti.

CONSPECTUS

pagina

Caput I. De fastis consularibus antiquissimis 173
Caput II. De fastis Idatii Chronicique Paschalis 189
Caput III. De fastis Diodori 208
Caput IV. De prioribus fastorum recensionibus 219
Caput V. De fastis Capitolinis 226
Caput VI. De fastis Chronographi anni 354 242
Caput VII. De recensionis Capitolinae auctore 245

INDEX RERUM

Post. Aebutius Elua (Cornicen) cos. 312 p. 200.
agnomina 229.
annales maximi 173; 225, 1.
annus consulum nominibus significatus 173.
Attici liber annalis 249 sq., quando editus 256, studia genealogica 251.
Augurini 223.
Brutorum ex L. Bruto origo 253.
Bruti Bubulci 256.
Q. Caedicius cos. 498 p. 193 squ.
Cassius Hemina 183.
Castor chronographus 216 squ., Castoris fontes 225, 1.
Cato 183.
Chronographus anni 354 p. 242, fontes eius 243 squ.
Claudiorum cognomina Regillensis ac Sabinus 224.
Ap. Claudius Caecus 175. 179, 2. 223 et filii 227.
Claudius Quadrigarius 184.
cognominum primordia 177.
cognomina mutata 222. 227, c. antiquissima Augusti aetate repetita 222, c. errore praetermissa in fastis Capitolinis 231, c. Graeca 223, c. geminata 227 squ. 230.
collegia consularia anni 275 p. 231; 276 p. 197. 234; 278 p. 190; 288 p. 196. 199. 230; 290 p. 230; 293

p. 320; 295 p. 320; 297 p. 215, 2; 298 p. 231; 299 p. 230; 300 p. 230; 301 p. 230; 302 p. 232; 303 p. 231; 305 p. 231; 320 p. 198; 327 p. 239; 326 p. 216, 1; 355 et 356 p. 233; 361 p. 197; 363 p. 210; 395 p. 231; 498 p. 193.
commentarii domestici 236.
Corneliorum stemma 240.
Diodori corruptelae unde ortae 197, 1, interpolata apud Diod. cognomina 209, 3, cognomina deperdita apud Diodorum 215, 1.
Dionysii fontes 206 squ.
C. Sergius Esquilinus 198.
K. Fabius Dorsuo 180, 1.
Fabius Pictor 183.
Q. Fabius Rullus (Rullianus) cos. 432 squ. p. 196.
Fidenas — Fidenates 213, 1.
foedus Latinum 173.
Cn. Gellius 183.
genealogicae notae 235 squ.
Idatii auctor 205.
Larcii, Rufi aut Flaui 225.
Licinius Macer 185 squ. 205 squ. 233 squ.
Mamercus 223.
nomina antiquissima 226 squ., nom. cumulata 226.
Papirii — Papisii 174 squ.
L. Piso 183.
Plutarchi Poplicola 184, Camillus 187, 1.
Poblilii Vulscus et Philones 234.
Sp. Postumius Regillianus cos. 288 p. 199, 1.
praenomina 221, 1, pr. pro cognominibus habita 223.
L. Furius Purpureo cos. 558 p. 193.
Quinctii T. Capitolinus ac L. Cincinnatus 259, 1.
Regillensis — Regillanus 196.
rhotacismus 174 squ.
sacerdotes antiquissimi 180 squ.
Seruiliorum stemma examinatum 238 et 239, Seru. ex Ahala origo 255.
P. Sestius Capitolinus (Vaticanus?) 232.
Siculus 221.
P. Sempronius Sophus cos. 486 p. 191. 193.
stemmata ex Capitolinis fastis effecta 238.
suffecti consules 234.
Sp. Tarpeius Montanus Capitolinus 224.
tituli antiquissimi 173. 178 squ.
tribunorum consularium collegia 210, 1 squ.
Trigeminus 221.
Valerius Antias 184.
T. Romilius Vaticanus 224.
Veturii — Vetusii 175.
Veturii Gemini, Cicurini, Crassi 233.
vetus ἔτος 176.
Vulso 229.
φιλοτέχνημα 254.

INDEX LOCORUM

Capitolini fasti ann. 276 p. 198, 1,
ann. 302 p. 232,
ann. 451 p. 245.

Chronographus anni 354 p. Chr.
ann. 631 p. 244
ann. 705 p. 257.

Cicero ad fam. 9, 21 p. 174 squ.
ad Att. 13, 40 p. 254.
Diodorus 11, 52 p. 197, 1.
Dionysius 9, 60 p. 199, 1.
Idatius ann. 290 p. 203, 1.
Nepos Att. 18 p. 235, 1.
Varro l. l. 6, 49 p. 176, 1.

DE REBUS TEGEATICIS

SCRIPSIT

GEORGIUS IMMANUEL SCHWEDLER.

Caput I.

De pagis.

Vox *Τεγέα* componenda uidetur cum *τέγη* (u. Hesych.) et *στέγη*, *τέγος* et *στέγος*, ut id quod tegit, arcem significet. Quod a Tegeate Lycaonis filio [1]) sibi nomen inditum esse Tegeatae dictitabant [2]), id nimirum commentum est. Tegeatae potius nomen ab oppidi nomine ciues formauere. Secundum Pausaniam (l. l.) initio pagatim se habitasse aiebant, scilicet Gareatas, Phylacenses, Caryatas, Corythenses, Potachidas, Oeatas, Manthurenses, Echeuethenses. Sub Aphidantis regno nonum accessisse pagum Aphidantes. Urbem autem ipsam Aleus rex Aphidante natus teste Periegeta condidit. Quod cum Strabo quoque (VIII p. 337) e nouem uicis eam effectam esse adfirmet, non est cur dubitemus, quin Tegea ut aliae urbes Graecorum synoecismo orta sit. Neque uero ei qui hoc perpetrauit nomen Aleo erat, quippe quod Mineruae Aleae causa inuentum sit.

Belli discriminibus Tegeatidis incolas passim habitantes per uicos moenibus non defensos permotos esse suspicamur, ut unius regno sese subderent, qui rusticos congregatos arcis supposuit praesidio murisque cinxit domicilia. Ita urbe aedificata nihilo secius ueteres uici conseruati sunt. Quamquam illa sedes rei publicae facta est, ad cuius auctoritatem singuli pagi quouis momento carentes sese applicabant.

Ordo uicorum a Pausania plane confusus est, qui caeli regionem in eis enarrandis parum respexerit. Corythenses enim iuxta Gareatas, Oeatas non procul a Caryatis incoluisse constat. A solis ortu incipientibus Tegeatarum fines peragrare primus Corythensium (i. e. galeatorum) pagus obuiam fiebat. Hic in uia quae Tegea Argos ducit Parthenio monti, quo su-

1) Sepulcra herois et Maerae uxoris Atlantis filiae in foro uisebantur. Paus. VIII 48, 6. Verum in Mantinensium quoque finibus Maera sepulta esse existimabatur, quo loco uicus eiusdem nominis exstabat. Paus. VIII 12, 7.

2) Paus. VIII 45, 1.

perato in Argiuorum fines perueniebatur, suppositus fuit, quoniam ibi Pausanias (VIII 54, 3) sacrum fuisse quercetum ait cum templo Cereris Corythensis (*ἐν Κορυθεῦσι καλουμένης*). Etiam Alei temporibus — id enim incognito synoecistae interim nomen relinquere liceat — rex pago praefuit, cui Corythum nomen confinxerunt. Is Telephum infantem, quem Auge Mineruae sacerdos et filia Alei ab Hercule uitiata pepererat, in Parthenio expositum, cum pastores eum attulissent educandum curauit [1]). Regnum Corythi illius qui fertur aut synoecismum Tegeatarum praecessit aut minoris potentiae Aleoque subditum erat. Magis ad meridiem conuersi in ualle Gareatis [2]) amnis, qui rectam uiam in Thyreatarum agros ducentem praeterfluit [3]), alter pagus Gareatae habitasse uidentur, tertius Phylacensium supra planitiem in meridionali Tegeatide, scilicet in angulo illo et Thyreatidis et Laconiae parte incluso [4]). Est enim manifestum Phylacen ad Alphei caput [5]), cuius summus cursus Lacedaemoniorum agros et Tegeatarum Pausaniae aetate limitabat, sedem fuisse Phylacensium. Qui cum Caryis occupatis proximi essent Lacedaemoniis eorumque incursionibus maximo opere premerentur, castellum uidentur exstruxisse quo se recipere possent; unde nomen accepisse uicum coiciendum.

A Phylace meridiem uersus euntem et in Oenuntis uallem descendentem pagus excipit Caryatarum cum celeberrimo Dianae fano, haud procul a uia situs quae Thyrea Spartam ducit [6]). Caryae [7]) uicus antiquis temporibus Tegeatis ereptus et Laconiae finibus adiectus est [8]). Quod Pausanias (IV 16, 9) iam ante

1) Apollod. III 9, 1, 4. Diod. IV 33.

2) Formam *Γαρεάτης* cum Sylburgio pro librorum *Γαράτης* reponimus, nisi pagi nomen *Γαρεάται* in *Γαρᾶται* mutare praeplacet; nam fluuii nomen et paganorum nihil inter se differre apertum est.

3) Paus. VIII 54, 4.

4) Bursiani Geogr. Graec. II p. 216 sq.

5) Paus. VIII 54, 1. 6) Paus. III 10, 8.

7) Singularem numerum (Carya) Vitruuius, Ptolomaeus, Stephanus Byzantius auctore ut uidetur Theopompo (Philipp. l. LV) s. u. *Καρύα* usurpant.

8) Vide Photii lexicon: *Καρυάτεια· ἑορτὴ Ἀρτέμιδος· τὰς δὲ Καρίας Ἀρκάδων οὔσας ἀπετέμνοντο Λακεδαιμόνιοι.*

bellum Messeniacum alterum factum esse uult. Dissentit Od. Mueller: Dor. II p. 65 n. 2. Iniuria credo; nam Aegys quae et ipsa fuit Arcadiae pars Archelao et Charilao [1]) Spartae regnantibus, ergo Lycurgi aetate expugnata esse traditur [2]). Licet Sciritidem et Caryas postea Spartani adripuerint, uix post proelium ad Hysias anno a. Chr. 669/68 [3]) commissum id accidit, quoniam tum uia Tegea Argos ducens et Tegeatis ipsa in Lacedaemoniorum potestate uidentur fuisse [4]). Etiamsi mox inde expulsi esse merito putantur, quid tamen facilius nobis persuadeamus, quam ex illo tempore Sciritidem et Caryas Laconiae partes fuisse, quae extra montium iuga Tegeatidem cingentia sitae et angustiis faucium praesidiisque firmatae aegre a Tegeatis recuperari possent?

Postero aeuo Caryarum ciues cum Persis contra Graeciam fecisse belloque confecto communi uictorum consilio eorum oppidum excisum esse singulari testimonio Vitruuii (I 1, 5) accepimus, qui Caryatidum nomen in hunc modum explicat: 'Carya ciuitas Peloponnensis cum Persis hostibus contra Graeciam consensit; postea Graeci per uictoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto uiris interfectis ciuitate deleta matronas eorum in seruitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronas deponere, uti non uno triumpho ducerentur, sed aeterno seruitutis exemplo graui contumelia pressae poenas pendere uiderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, aedificiis publicis designauerunt earum imagines oneri ferendo collocatas, ut etiam posteris nota poena peccati Caryatium memoriae traderetur.' Apud neminem praeterea ueterum scriptorum tale quid inuenias; etenim quod Herodotus (VIII 26) Arcades quosdam refert transfugas ad Xerxem uenisse, ea minime conspiratio est totius populi.

1) Forma *Χαρίλαος*, Dorice *Χαρίλας*, alteri quae est *Χάριλλος* ob titulorum testimonia praestare uidetur; item *Περίλαος* (*Περίλας*) antiquioris notae est quam *Πέριλλος*. Cf. Boeckhium: C. I. Gr. I p. 49.

2) Paus. III 2, 5. 3) Paus. II 24, 8.

4) V. Busolti Lacedaem. p. 132.

Prellero in 'electis disputationibus' de Caryatidum nomine disserenti (p. 136 sqq.) Vitruuius errasse paululum et factum haud longo spatio a Persicis bellis remotum ad eorum aetatem reuocasse uidetur. Atque illud quidem et Herodotus (IX 35) et eum secutus Pausanias (III 11, 7) tradunt: intra Plataeensem pugnam et tertium bellum Messeniacum Lacedaemonii duobus proeliis cum Arcadibus decertauere, altero cum Argiuis et Tegeatis apud Tegeam, altero cum ceteris praeter Mantinenses Arcadibus apud Dipaeam in Maenalio agro [1]). Tum uir doctus defecisse Caryas suspicatur et cum hostibus conspirasse. Dein Arcadibus uictis Caryas euersas, ciues occisos, matronas in seruitutem abductas esse. Spartae autem ferme eodem tempore, quo porticus illa Persica cuius tectum Persarum simulacra sustinebant [2]), aliud aedificium exstructum esse, in quo Caryatarum mulieres matronali habitu conspicuae pro columnis statuerentur. Equidem Vitruuii fidem ita uindicare nolim neque, si quidem Caryatae haud multo post Leuctricam pugnam ad Arcades defecerunt ideoque ab Archidamo rege oppido expugnato trucidati sunt [3]) prius uici excidium concedere queo. Quid enim Spartanos semel perfidia perspecta et crudelissime punita, ut restituerent oppidum relictis ex caede, commoturum fuisse credamus? Immo colonos spectatiore fide in regionem incertis sociis obiectam deduxissent.

Nec summus Scaliger felicius de Caryis uico septentrionalis Arcadiae cogitauit, quem Pausanias (VIII 13, 6 et 14, 1) commemorat, alius nemo. Plus ualeret, nisi saepius in historiam Vitruuius peccasset. In ipsis quae illum de quo agitur locum insecuntur Pausaniam uictorem Mardonii filium Agesipolidis appellat, cum Cleombroto natus fuerit; in praefatione autem libri VI inter priscae comoediae poetas Eucratem nominat aliunde non notum, ubi non recte quidam Cratetem reponere uoluerunt.

1) Adde Paus. VIII 8, 6. 45, 2. Isocr. VI 99.
2) Vitr. I 1, 6. Paus. III 11, 3.
3) Xen. Hist. Gr. VI 5, 25 sqq. VII 1, 28.

Quocirca ad alteram Caryatidum explicationem a Prellero monstratam confugio: easdem uirgines Spartanas, quae choreas ducerent Caryis in Dianae honorem, antequam saltarent sollemni in pompa Canephororum uicibus functas esse. Vitruuii uero fabula meo quidem arbitratu, si non ab ipso, at certe a Graeco quodam scriptore quem Romanus secutus est, inuenta uel ut mitius iudicemus confusione aliqua rerum producta est. Ille quidem cum Caryas quondam dirutas esse resciuisset simulque Herodotei loci meminisset, inepta coniectura utrumque factum in unum conglomerando causam cur matronae columnarum uice positae Caryatides uocarentur commentus est. Neque quisquam dicat Caryas ab Archidamo nequaquam deletas esse, cum captae tantum uirique inquilini caesi esse a Xenophonte traderentur. Huius enim ut Lacedaemoniorum amici eorum crudelius facta quam maxime attenuare intererat. Alios autem scriptores de excisis Caryis uerba fecisse Polyaeni discimus narratiuncula (I 41, 4) ex Ephoro fortasse hausta.

Euerso uico propter cladem quam breui post ad Medeam [1]) Arcades ab Archidamo acceperunt et exitum fatalem proelii ad Mantineam commissi ut pagum Caryatarum sibi repararent Tegeatis non contigit. Philippi demum aetate haec spes uidetur expleta esse; qui proelio apud Chaeroneam commisso ab Arcadibus in Peloponnesum aduocatus partem Lacedaemoniorum terrae, fortasse Sciritidem et Caryas, Tegeatarum agris adiecit [2]). Tum uicum esse restitutum haud male coiciamus. Deinde diu Caryae ad Tegeatidem pertinuisse uidentur, si qua aetate Cleomenes tertius, Spartanorum dignitatis in breue tempus restitutor, Laconiae fines amplificauit excipias. Namque cum T. Quinctius Flamininus deuicto Philippo ut Achaeorum socius et tutor anno a. Chr. n. 195 aduersus Nabim crudelissimum Spartae tyrannum expeditionem suscepisset, ad Caryas posuit castra ibique priusquam hostium intraret agrum sociorum auxilia exspectauit.

1) Xen. Hist. Gr. VII 1, 28 sqq. Diod. XV 72, 3. Plut. Ages. 33.
2) Polyb. IX 28, 7. XVIII 14, 7.

Tametsi idem uicus, quem hic (XXXIV 26) Liuius extra Laconicam esse ponit, alio loco (XXXV 27) a scriptore pars huius terrae habetur: '(Philopoemen) ad Caryas primum in hostium terra posuit castra'. Agitur initium redintegrati Achaeorum cum Nabide belli anno 192. Priore loco errasse Liuium quod olim Tegeatarum fuissent Caryae cogitare nequeo, quoniam contrarium peccare promptius erat, ut si ad Arcades uicus pertineret, peruerse in Lacedaemoniorum finibus conlocaretur, ubi et Pausaniae et Augusti aetate uidetur situs fuisse. Iam qui utrobique Patauini fidem defendendam susceperit, Romanorum imperatoris interfuisse dicet tyrannum inter populi Romani amicos recipi. Quod ut efficeretur nec tamen Achaei nimium indignarentur, pace anno 195 cum Nabide composita eripuisse illi quidem Flamininum Argos maritimasque Laconiae regiones, condonasse uero Sciritidem et Caryatidem quae tum in Achaeorum dicione essent, nempe fines Lacedaemoniorum accuratius definiendi usum praetextu, quia ipsa natura haec loca Laconiae potius quam Arcadiae attribuerentur. Ei opinioni Pausaniae locus (VII 13, 4—5) adaptari potest, ubi haec fere proferuntur: Diaeus Achaeorum praetor anno a. Chr. n. 147 renuntiatus, quaecumque oppida in orbem Spartae finitima erant, ad Achaeorum amicitiam pellecta praesidiis firmauit, ut unde Spartanos uexare possent castella haberent Achaei. Qua re indignatus Menalcidas dux Lacedaemoniorum uiolata indutiarum fide Iasum oppidum Laconiae terrae, sed Achaeorum dicionis subito impetu captum diripuit. — Iasum E. Curtius (Peloponn. II p. 322 n. 58) et unum ex illis castellis a Diaeo Spartanis demptis et Sciritidis oppidulum fuisse neque ab Oeo Xenophonti et Stephano Byzantio memorata diuersum opinatur.

Quae si ita fuerint, Sciritarum agri ante Diaei expeditionem intra Lacedaemoniorum fines fuisse uideantur nec minus Caryatarum pagus, cuius fortuna cum Sciritide fere coniuncta esset. At certis argumentis Curtii coniectura de qua ipse dubitat non potest euinci. Dein satis mirum sit non prius Achaeos plagas ademptas sibi restituisse, qui iterum ac saepius post bellum a Flaminino cum Nabide gestum Spartam penitus ad-

fligerent agrumque Belbinatem iniuria a tyrannis Lacedaemoniorum possessum anno 192 Philopoemene duce recuperarent ex decreto uetere Achaeorum, quod factum erat Philippo Amyntae filio regnante [1]). Talia respicienti nihil superest nisi ut posteriore loco (XXXV 27) neglegentius egisse Liuium credat Caryasque inde a Philippi aetate usque ad annum 146, quo societate Achaeorum soluta Graecia in prouinciae formam redacta est, Tegeatidis partem fuisse statuat. Tunc autem termini natura inter Arcadiam et Laconiam positi ciuitatibus etiam disiungendis ita a Romanis uidentur obseruati esse, ut Belbina, Sciritae, Caryae Lacedaemoniis redderentur, quibus sub imperatoribus Romanis subdita fuerunt.[2])

At relictis Caryis iam ad Oeatarum uicum ueniamus in Sciritide situm [3]). Sciritarum fines Parrhasiis uicini erant [4]), qui ad superiorem Alpheum prope eam regionem ubi postmodo Megalopolis aedificata est habitasse uidentur [5]). Hinc Oeatas consentaneum est non multum a Caryis afuisse occidentem uersus et montanas regiones inter Eurotae et Oenuntis summi conualles incoluisse. Apud Pausaniam ubi pagos Tegeatarum enumerat librariorum inscitia nomen Oeatarum oblitteratum est. Exhibentur *οἱ τὰς Μανθυρεῖς* nec defuere qui octo tantum uicos Periegetam indicare arbitrati ut Strabonis numerum complerent Tegeam ipsam mente adderent nonam [6]). Iam uero cum apud Stephanum legamus: *Οἶον* [7]), *πολίχνιον Τεγέας. Αἰσχύλος Μυσοῖς* [8]), de emendanda Pausaniae corruptela nulla dubitatio remanet.

---

1) Liu. XXXVIII 34. 2) Paus. III 10, 8. 21, 3.

3) Xen. Hist. Gr. VI 5, 24. 4) Thuc. V 33.

5) Confer fragmentum e Niciae Arcadicis seruatum apud Athen. XIII p. 609 e. Respiciendus etiam Steph. Byz. *Σκίρος· Ἀρκαδίας κατοικία πλησίον Μαινα λέων καὶ Παῤῥασίων.*

6) V. Muelleri Dor. II p. 65, G. Konerum: De reb. Tegeat. capp. pr. p. 13

7) Formam *Οἰός* quam Xenophontis codices praebent utique praeferendam iudico, cum in pagis Atheniensium homonymis ab Arcadio (p. 37, 13) et schol. Il. λ 24 commendetur.

8) De Mysis Aeschyli, quae fabula Telephi fata tractabat, confer Nauckii Fragm. trag. p. 35.

Quod anno 369 sub Epaminondae inruptionem in Laconiam factam Oeus Spartanorum erat castellum in agrorum confinio contra Arcades exstructum [1]), E. Curtium (Pelop. II p. 322) inducere non debebat, ut duos uicos eius nominis fuisse sumeret, alterum Tegeatarum alterum Laconum, non magis quam binas Caryas. Sciritae enim perinde atque Caryatae mature a gentilibus abscissi in Lacedaemoniorum dicionem peruenere. In exercitu Spartanorum cohors erant peculiaris peditum leuis armaturae, numero aetate belli Peloponnesiaci sescentorum, quibus regum custodia et periculosae stationes permittebantur; uelut frontem faciebant in itinere et cornu laeuum in proeliis tenebant [2]). Nimirum hac praecipua prae ceteris perioecis condicione propter fortitudinem dignabantur, qua bello diuturno sedes suas contra Spartanos defendisse uidentur. Memores tamen pristinae patriae, cum Thebani et Arcades post Leuctricam pugnam Laconiam ingressi essent [3]), statim ad eos defecerunt cuius rei postea poenas dederunt Archidamo rege Sciritidem depopulante [4]). Ceterum quae Caryatis acciderent Oeatas communicasse reor.

Tegeatidis regionem et ad meridiem et ad solis occasum uergentem *Μανθυρεῖς* siue *Μανθουρεῖς* tenebant. Ibi enim sub Boreo monte ad dextram Aggeris (*Χῶμα*), qui Pallantiensium et Tegeatarum fines terminabat, Manthurica iacebat planities eaque quinquaginta stadia ab oppido Tegea aberat [5]). Vici rudera Bursianus (Geogr. II p. 217) se uidisse autumat.

1) Xen. Hist. Gr. VI 5, 24. Diod. XV 64.

2) Thuc. V 67 sq. Xen. Res publ. Lac. 12, 3. 13, 6. Cyr. IV 2, 1. Diod. XV 32.

3) Oeum tunc temporis Ischolaus Laco cum praesidio neodamodum et iunioribus Tegeatarum exsulantium fere quadringentis tenebat. Qui ab Arcadibus hac uia Laconiam intrantibus uincitur et undique circumuentus cum maxima exercitus parte perit. Xen. Hist. Gr. VI 5, 24—26. Diodorus (XV 64) eundem Ischolaum dicit, qui fore, ut superioribus hostium copiis succumberet, prospiciens Leonidam imitatus dimissis iunioribus ipse cum senioribus in aditus angustiis pro patria morti se deuouerit. Quin Polyaeni (II 22) Ischolaus ab illo non diuersus sit, nemo dubitabit.

4) Xen. Hist. Gr. VII 4, 21. 5) Paus. VIII 44, 7.

Signum Mineruae Aleae, quod Pausaniae aetate Tegeae conspiciebatur, ex Manthurensium pago deportauerant, ubi Hippiae cognomine dea culta erat [1]). Itidem cognominatae alibi etiam Palladi sacra reddebantur, uelut in Colono Atheniensium.

Qua in regione *Πωταχίδαι* siue *Βωταχίδαι* uicus fuerit non habeo exploratum. Suspicari autem licet in occidentali uel septentrionali Tegeatarum agro ei sedes fuisse constitutas. Praeter Pausaniam Stephanus Byzantius pagi mentionem inicit, apud quem haec inueniuntur: *Βωταχίδαι, τόπος Ἀρκαδίας, ἀπὸ Βωτάχου. Νικόλαος ε΄· Ἰοκρίτου δὲ τοῦ Λυκούργου Βώταχος, ἀφ᾽ οὗ ὁ τόπος Βωταχίδαι ἐν Τεγέᾳ ἐκλήθη.* Nicolaus igitur Damascenus cum Iocritum Lycurgi fuisse filium dicit, et a Pausania et a bibliothecae auctore quae Apollodori fertur nomine discrepat. Ille enim (VIII 4, 10) Ancaeum [2]) et Epochum solos Lycurgo natos nouit, hic (III 9, 2, 1) quattuor [3]) nominat: Ancaeum et Epochum, Amphidamantem [4]) et Iasum [5]). Diuersam uici scripturam — Pausanias *Πωταχίδαι* exhibet — non tam librariorum errori tribuendam censeo, ut Koner (p. 13 n. 3) qui apud Pausaniam π in β mutatam uult, quam uarietati elocutionis.

---

1) Paus. VIII 47, 1. 2) Ancaeus nepos etiam Lycurgi dicebatur, ut Hyginus (Fab. 14a) narrat.

3) Quod idem (I 8, 2, 4) e Lycurgi liberis Cepheum pro Epocho (Paus. VIII 45, 7) iuxta Ancaeum uenationi Calydoniae interfuisse tradit, ea culpa siue compilatoris qui auctor est bibliothecae siue librariorum ducenda uidetur. Verus Apollodorus, si modo ex hoc deductum est illud opusculum, haud dubie Epochum nominauerat. Cui opinioni refragari non potest schol. Apoll. Rhod. I 162, ubi alterius Cephei Hellanicus mentionem fecisse indicatur. Is nimirum Cepheum Neptuno genitum intellexerat, quod euicisse mihi uideor conlato schol. Eur. Phoen. 150.

4) Neque uero inter Alei liberos Amphidamantem enumerat. Cf. III 9, 1, 2.

5) Hic Iasus Atalantae pater apud Aelianum (Var. hist. XIII 1) Iasio, apud reliquos Iasius appellatur. Neque alius ni fallor est Iasius, qui Olympiae equo uicerat ideoque statua in foro Tegeatarum posita honoratus erat. Paus. V 8, 4. VIII 48, 1. Item de uxore Lycurgi dissentiunt scriptores, quam schol. Apoll. Rhod. I 164 Antinoam, Apollodorus l. l. Cleophilam siue Eurynomam fuisse aiunt. Antinoam Pausanias (VIII 8, 4 et 9, 5, ubi suo iure Siebelis *Αὐτονόην* librorum correxit) Cephei filiam, neptem Alei uocat.

Crebrius in hunc modum formae nominum propriorum uariant; exstiterunt scripturae *Κάνωπος* et *Κάνωβος*, quarum illam rectiorem esse Herodianus auctor est (II p. 530) nec tamen hanc usurpari negat (I p. 189), *Βρεντέσιον* et *Βρενδέσιον* ita rarissime (schol. Hom. Od. *α* 184), ut frequentissime uel semper apud Latinos Brundisium adhibita, *Ἀμπρακία* et *Ἀμβρακία*, *Κνωσός* fere usque, *Γνωσίων* tamen in duobus nummis imperatoriis (Eckhelii Doctr. Numm. II p. 309) — aliter in Latino sermone forma Cnosus inuenitur illa quidem, sed usitatior est Gnosus [1]) — denique *Κνίδος*, Latine Cnidus etiam, frequentior uero Gnidus [2]). Insuper uide G. Curtium: Elem. Graec. Etym. p. 533 sqq. et O. Immischii dissertationem: De glossis lexici Hesychiani Italicis, Studd. Lips. uol. VIII insertam, p. 309. Saepe alia aetas aliam nominis formam praestat; nonnumquam, ut etiam nunc fit idque maxime in pusillis uicis quorum nomina raro litteris mandantur, isdem temporibus incerta est scriptura, donec magistratuum auctoritate stabilitur. Sic uindicata Pausaniae memoria nihilo minus dubitare nolim quin rectius scribatur *Βωταχίδαι*, quippe quod nomen a radice *βου* quae inest in uoce *βοῦς* deriuandum uideatur [3]).

Restant duo Tegeatarum pagi, Echeuthenses et Aphidantes, quorum illos haud procul a Botachidis habitasse probabile est, quamquam de sedibus eorum certius nihil discimus. De Aphidantibus initio sequentis capitis disseremus.

Caput II.

De tribubus.

Quo loco postmodum Tegea urbs nouem pagis agrestibus coniunctis effloruit, iam antea pars populi habitasse uidetur, cum in media Tegeatide situs collibusque pluribus qui muni-

1) Terent. Maur. 890 (Gr. L. VI).

2) Adde nomina *Μηκύβερνα* et *Μηκύπερνα*, *Βρεττανία* et *Πρεττανία*, *Ἀτουατικοί* Cassii Dionis (XXXIX 4), qui sunt Aduatuci Romanorum, *Ἐπίδαυρος* et *Ἐπίταυρος*. 3) Cf. Lobeckii Path. p. 335.

rentur idoneis distinctus ad incolendum homines inuitaret. Neque ipsae fabulae de antiquissimis Arcadiae temporibus circumlatae aduersantur quippe quae tribus saeculis, postquam Tegeates Lycaonis filius conditor Tegeae exstiterit, synoecismum per Aleum Aphidante natum fieri memorent [1]). Ante eum igitur Tegea ipsa e numero nouem pagorum fuit. Quod si quaerimus quinam fuerit, nemo non de Aphidantibus cogitabit, quos ultimos sub Aphidantis regno ad ciuitatem accessisse Pausanias (VIII 45, 1) testatur. Quo modo id accidere potuit? Aphidas, unus de tribus Arcadis liberis genuinis quos cum Eratone Dryade procreauerat [2]) sortitione facta a patre Tegeam et quae adiacent (*Ἀφειδάντειον κλῆρον*) [3]) acceperat. Quem quoniam Lycosorae prisca Arcadicorum regum sedes conlocata fuit, extrinsecus cum manu suorum quos Aphidantes nuncupabant Tegeam aduenisse et in media terra arce opportuno loco aedificata domicilia sibi suisque constituisse facile coicias.

1) Paus. VIII 3, 4. 45, 1.

2) Paus. VIII 4, 2 (conl. X 9, 5), ubi *Ἐπιμηλίδας* cum Siebeli scribo; sequentia uerba *τὰς ἑαυτῶν ἐκάλουν Ναΐδας* sic mihi restituisse uideor, ut post *ἐκάλουν* inseram *νύμφας καί*. Ante sequentem *καί* coniunctionem quae 'etiam' significet fortius interpungendum. — Apud alios aliter coniunx Arcadis audit: Leanira, Meganira, apud Eumelum Chrysopelia nympha. Apollod. III 9, 1, 1. Schol. Eur. Orest. 1647. Nomen Prosopeliae, quod Tzetzes ad Lycophr. 480 nymphae uindicat, corruptum esse mihi persuasi. Quo loco uix recte ad Apollonium quendam prouocatur; immo Apollodorum laudare debebat grammaticus. Leanira eadem uidetur esse atque Laodamia, quae et ipsa Amyclae Lacedaemonii filia uocatur. Cum ea Triphylum genuisse Arcadem Pausanias (X 9, 5) tradidit. — Enarrator ad u. 1647 Orestae Pherecydem paulo supra laudatum exscripsit; quod nollem neglexisset C. Mueller in Fragm. hist. Unus enim Pherecydes Apollodoro testante (III 8, 2, 2) Ceteo genitam fecit Callisto matrem Arcadis. De patre consentit Ariaethus in Arcadicis secundum Hygini Poet. astron. II 1, nisi quod nomen e prima ut ita dicam declinatione flectit; genetricem uero Megisto appellat. Eandem pro nepte Lycaonis ducit, non pro filia quae uulgo existimatur Callisto. Aliter rursus Pherecydes plura genera inter hanc et Lycaonem intercedere uult. Tertium nomen Themistus ab Istro impositum esse matri Arcadis Stephanus Byzantius prodidit s. u. *Ἀρκαδία*. Adsentitur Eustathius ad Il. p. 300, 30.

3) Paus. VIII 4, 3. Apoll. Rh. I 162.

Scilicet cum Aleus huic recentiori uico ex octo prioribus homines agrestes adgregasset, ut Tegea urbs inter cetera regionis oppidula haud mediocriter praemineret, haec quidem stare non desiere; Aphidantium uero memoria oblitterata est neque quidquam nisi uestigia eorum in urbe remanserunt.

Minime enim in nouo oppido uetus terrae distributio in nouem partes eorumque nomina tenebantur, sed quattuor tribus Pausania auctore (VIII 53, 6) discernebantur his nominibus inditis: Clareotis, Hippothoitis, Apolloneatis, Athaneatis; quarum singulae singula Apollini Agyieo (uiarum custodi)[1] signa dedicarant, in media nimirum urbe prope theatrum nec longe a foro [2]. Appellari eas dicit Pausanias ab agri sorte quam liberis Arcas proposuerit suis simulque ab Hippothoo Cercyonis filio. *Τεγεάταις δὲ τοῦ Ἀγυιέως τὰ ἀγάλματα τέσσαρά εἰσιν ἀριθμόν, ὑπὸ φυλῆς ἓν ἑκάστης ἱδρυμένον· ὀνόματα δὲ αἱ φυλαὶ παρέχονται Κλαρεῶτις, Ἱπποθοῖτις, Ἀπολλωνεᾶτις, Ἀθανεᾶτις· καλοῦνται δὲ ἀπὸ τοῦ κλήρου ὃν τοῖς παισὶν Ἀρκὰς ἐποίησεν ὑπὲρ τῆς χώρας καὶ ἀπὸ Ἱππόθου τοῦ Κερκύονος.* Quae explicatio ad duas tantum tribus primo loco nominatas spectare potest; nec tamen Periegeta is est, apud quem in tali locutione offendendum sit.

Cum quattuor illarum tribuum apud nullum alium scriptorem mentio fiat, bene accidit quod tituli Tegeatici in eisque

---

1) Initium cultus Agyiei Pausanias (VIII 53, 1—3) a Scephri caede Tegeatae et Maerae filii repetit, quam Limo frater perpetrarit. Huic enim in suspicionem Scephrus uenerat propter conloquium, quod cum Apolline habuerat cum sorore in Tegeatidem aduenienti ut Latonam a mortalibus contemptam ulcisceretur. Limo Dianae spiculis statim interemptus est. Ad expiandum illius facinus oraculo Delphico parentes Scephrum lugere iussi sunt, quae religio in festis Agyiei diebus ex illo tempore conseruata est.

2) Haec non in eadem regione omnia stetisse, sed terminos quattuor urbis partium fecisse Bursianus (Geogr. II p. 320 n. 2) mihi non persuasit. Quis nescit Athenarum heroes eponymos in uno foro conlocatos? Theatrum quod Pausanias (VIII 49, 1) memorat non diuersum fuisse ab eo uidetur, quod priore dimidio secundi ante Chr. n. saeculi 'magnificum e marmore facere instituit' Antiochus Epiphanes Syriae rex. V. Liu. XXXXI 20.

praecipue notissimus ille (Boeckhii C. I. Gr. I 1513, Lebasii II 338b, Caueri Del. 454) Pausaniae indicium magna e parte confirmant. Enumerantur ibi tributim ciues et inquilini Tegeatici, qui per nonnullos annos uictores ludorum facti coronas pro praemiis acceptas numini cui ludi celebrabantur deuouerant. Quodnam fuerit numen haec docent superscripta: *Ἐν ἀγῶσι τοῖς Ὀλυμπικοῖς τῷ μεγίστῳ καὶ κεραυνοβόλῳ Διὶ ἀνατεθειμένοις ἐκομίσαντο τοὺς στεφάνους.* Erat igitur Iuppiter Olympius siue Fulminans, de quo aliunde nihil compertum habemus. Hoc certum est Iouem uariis adoratum cognominibus complura templa Tegeae habuisse. Ab Ioue Clario uicus ille excelsior Pausaniae, in quo multas Tegeatae aras habebant, cognominatus erat. Praeterea in foro ara et signum quadrangulum Iouis Telei (*Τελείου* i. e. perficientis) exstabant, ad laeuam autem uiae a Tegea in Laconiam ducentis Lycaei Iouis ara et delubrum, cuius tantum modo rudera Pausaniae aetate conspiciebantur [1]). Titulo denique II 337 Lebasii de Ioue *Μελιχίῳ* i. e. exorabili docemur.

Ludos Ioui Olympio celebratos Pausanias ipse quoque attingit, ubi de colle Iouis Clarii loquitur (VIII 53, 9): *Τὸ δὲ χωρίον τὸ ὑψηλόν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ βωμοὶ Τεγεάταις εἰσὶν οἱ πολλοί, καλεῖται μὲν Διὸς Κλαρίου, δῆλα δὲ ὡς ἐγένετο ἡ ἐπίκλησις τῷ θεῷ τοῦ κλήρου τῶν παίδων εἵνεκα τοῦ Ἀρκάδος. ἄγουσι δὲ ἑορτὴν αὐτόθι Τεγεᾶται κατ' ἔτος.* Annui ludi etiam in inscriptione illa intellegendi uidentur. Neque opus est sumere Pausaniam de festis diebus Clarii Iouis cogitasse, cum permulta in cliuo illo altaria essent posita, quorum nescio an unum ad Iouem Olympium pertinuerit. Namque ut in arce Atheniensium diuersa Mineruae numina colebantur, ita Iouis cultus in colle Clario, qui non minus arcis uices explesse uidetur, complura loca habere potuit.

Sed reuertamur ad tribus Tegeatarum, quarum ordinem a Pausania peruerse redditum esse titulo illo comprobatur. Ibi enim quamquam ita mutatur ordo, ut quotannis per singula

1) Paus. VIII 48, 6. 53, 11.

quadriennia alia tribus initium faciat tabulae uictorum, tamen numquam inuersa series comparet, cum una quaeque tribus sequenti anno in locum proxime superiorem succedat praeter primam quae postremo loco ponitur. Sic igitur tribus sese excipiunt: I. *Ἐπ' Ἀθαναίαν, Κραριῶται, Ἀπολλωνιᾶται, Ἱπποθοῖται.* II. *Κραριῶται, Ἀπολλωνιᾶται, Ἱπποθοῖται, ἐπ' Ἀθαναίαν* etc. Nullo autem pacto Hippothoithae Crariotas insequi possunt, ut fit apud Pausaniam.

Ceterum hunc in scribendis tribuum nominibus neglegentius uersatum esse negamus atque exitus in *εᾶτις* et *εῶτις*, qui uulgo in editionibus pro *αιᾶται, ιῶται, ιᾶται* lapide exhibitis leguntur, scribarum socordiae originem debere confidimus, quando reliquiae uerae scriptionis in codicibus indagatae sunt. Nam forma *Ἀθαναιᾶτις* Angelico, *Ἀπολλωνιᾶτις* Lugdunensi a et Vindobonensi b praestantur. Quapropter optimo iure P. Foucartus in commentario, quo collectionem titulorum Lebasianam instructam edidit, *Ἀθαναιᾶτις* in Pausaniae uerbis reponendum censuit, nec non laudandum quod Schubartus in minore editione scripturam *Ἀπολλωνιᾶτις* restituit. His probatis non grauabimur etiam formam *Κλαριῶτις* scriptori uindicare. Quid enim uocalis *ε* sibi uelit in eiusmodi formis[1])?

Quod Pausanias scriptiones *Κράριος, Κραριῶτις* proprias dialecti Tegeaticae non conseruauit, id seriori eius aetati condonamus. Exempla commutationis liquidarum *λ* et *ρ* non desunt, etsi illud abiciendum est quod Boeckhius attulit: *ναύκραρος* ab Atticis pro *ναύκλαρος* (*ναύκληρος*) dictum esse. Namque G. Meyer in Curtii Studd. uol. VII magna cum specie ueritatis hanc uocem e *ναῦς* et radice *κραν* quae subest uerbo *κραίνειν* compositam formamque *ναύκλαρος*, quae apud posteros raro occurrit, uel uitandae gratia similitudinis consonarum uel peruersa etymologia natam esse proposuit. Aptiora haec

1) Idem Pausaniae (VIII 53, 10) scripturam *Κνακιάτιδος* inuitis libris qui *Κναχεάτιδος* exhibent restituendam duco. Cf. *κνηκίας* (Babr. 122. 12) lupum significans *Κναξίας* (Paus. VI 10, 7) quod equi nomen est. Fortassis ad eandem stirpem referendum nomen Dianae *Κναγίας*, quam Spartae ueneratione prosequebantur (Paus. III 18, 4), ut rectius *Κναχία* scribatur.

sunt: ἔρχομαι, Aor. ἦλθον; αἱρέω, Aor. εἷλον: hic in Cretica dialecto λ etiam in formas praesentis et futuri temporis inrepsit ut αἵλεῖν etc. pro αἱρεῖν in titulo Gortynio recentissime in lucem retracto legatur, ἀφαιλήσεσθαι in alia inscriptione eiusdem insulae. Exstabat Phocensium oppidulum, cui nomen erat et Ἀνεμώλεια et Ἀνεμώρεια. Porro quin radices ἀλκ et ἀρκ (cf. ἀλκή, ἀρκέω etc.) eandem notionem includant nemo in dubium uocabit. Litteras κλ et κρ inter se fluctuantes deprehendi in nominibus κρίβανος (κλίβανος) i. e. furnus, κριβανίτης (κλιβανίτης) reliquisque eiusdem stirpis, ubi Phrynichus p. 179 (Lob.) scriptionem per ρ Atticam et unam ueram esse praecipit. Altera scriptura cum in Doriensium maxime usu fuerit, non minus apud Herodotum passimque apud posteriores legitur [1]).

Sed tanden accedamus ad soluendam eam quaestionem, unde tribubus Tegeatarum nomina indita esse uideantur. Atque localem fuisse earum rationem neminem debet effugere, quod significatione tribulium Minerualium οἱ ἐπ᾽ Ἀθαναίαν (scil. ἐπῳκημένοι) luculentissime cognoscatur. Hac nimirum ii intelleguntur qui circa aedem Mineruae incolebant, itemque Κραριῶται, Ἀπολλωνιᾶται, Ἱπποθοῖται propter delubra Iouis Clarii, Apollinis, Hippothoi habitabant. Minerua autem, Iuppiter, Apollo tanto opere Tegeae praeter ceteros caelestes in honore fuerunt, ut tamquam patroni ciuitatis singulis quisque tribubus nomina imponerent. Atque haec tres tribus quin iam a conditore oppidi, cum congregatio facta esset nouem pagorum, constitutae fuerint nihil est cur dubitemus, quamquam pristinis temporibus magis ad religionem quam ad rem publicam uidentur spectasse.

Quarta Hippothoitis uel idcirco posteriore aetate accessisse putanda est, quod Hippothous a quo nomen duxit multo post Aleum regnasse fertur. Ergo in tres potissimum partes qui

1) κλ et κρ praeterea mixtim habes in κλῶμαξ i. e. aceruus saxorum (cf. glomus), κλωμακόεις (saxosus) et κρῶμαξ, κρωμακίσκος deminutiuo, κρωμακωτός idem ualentibus. Cf. etiam uerba κλάζειν et κράζειν olim significatu aegre diuersa.

antiquitus Tegeam incolebant secundum cultum ac religionem distincti fuerunt. Una pars ex occidentali et meridionali terrae regione conuenerat et Mineruam in praecipuo honore habebat; altera ex orientali plaga Argiuis finitima Apollinis cultum secum asportauerat. Ioui denique iam ante synoecismum in colle Clario arce Aphidantium sacra facta esse coicio; cuius accolae tertiam ciuitatis partem efficiebant.

Iuppiter apud maiores Aphidantis inde a Lycaone qui in honorem eius ludos Lycaeos instituerat summa ueneratione colebatur, unde facile suspicamur illum cum Lycosora in regnum sorte acceptum proficisceretur sacra summi deorum Tegeam attulisse. Quod ibi inter alia epitheta cognomen *Κράριος* (*Κλάριος*) Iouis proprium erat, id parum probabiliter a sortitione Arcadis filiorum repetit Pausanias; immo Clarius attributum Iouis est ab Aeschylo quoque usurpatum, cuius in Suppl. u. 360 exstant: *ἱκεσία Θέμις Διὸς κλαρίου*, ad quae scholiasta adnotat: *παντάπασι* (Weil. *πάντα πᾶσι*) *κληροῦντος καὶ κραίνοντος;* ita Iuppiter sorte (*κλήρῳ*) distribuens intellegitur, atque uel summum numen caeco fato subiectum fuisse indicatur.

Aliter Boeckhius in commentario, quem ei quem tractamus titulo subiecit, hunc Iouem tutorem sortitorum agrorum (*κλήρων*) interpretari uidetur. *Κραριώτας* enim eos fuisse qui fundos certis legibus exercerent, inferioris quondam condicionis homines quales essent Cretensium Clarotae ab agri sortibus appellati [1]). Insuper Hilotas Spartanorum et Penestas Thessalorum confert. Arcades enim Hilotis similes *προσπελάτας* habuisse Theopompo auctore apud Athenaeum (VI p. 271 e). Denique Tegeaticos Clarotas principio eadem fuisse condicione qua Creticos inde conligit, quod insignes Cretae urbes Cydonia, Gortys, Catre a Tegeatae filiis dictae feruntur. Sed Tegeae illos posthac ciues fuisse.

Quae coniectura cum partim falsis fundamentis nitatur nunc stare nequit. Athenaei loco haec leguntur: *ἔτι Θεόπομ-*

1) V. Muelleri Dor. II p. 53.

πος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Φιλιππικῶν Ἀρκαδίους φησὶ κεκτῆσθαι προσπελατῶν ὥσπερ Εἱλώτων τριάκοντα μυριάδας. Primum miri quiddam habet forma *Ἀρκάδιοι* nullibi de Arcadiae incolis adhibita. Deinde prorsus idem in decimo Athenaei libro (p. 443 b) redit ex eiusdem auctoris secundo libro Philippicorum desumptum nisi quod de Ariaeis dicitur, et hoc nomen ex *Ἀρκάδιοι* corruptum esse aegre quisquam contendet. Quamquam ne Ariaei quidem innotuerunt. Quod cum altero loco commonstretur Theopompum libro secundo res Illyriorum tractasse, equidem nullus cunctor Casauboni emendationem amplecti utrobique *Ἀρδιαῖοι* reponentis. Hic Illyriae populus fuit per alios scriptores sat notus [1]). Maximum autem seruorum numerum aeque Dardanis fuisse, quae et ipsa gens Illyrica erat, idem Athenaeus (VI p. 272 d) Agatharchide Gnidio auctore narrat. Ceteroqui nusquam de parte Arcadiae incolarum alteri parti ita subiecta ut seruiret proditur. Immo Arcades semet indigenas esse omnesque extrinsecus in ipsorum terram inrumpentes uelut Dorienses reppulisse adserebant. Priuatorum hominum serui apud eos procul dubio exstiterunt [2]), etiamsi pauciores fuerint quam in maritimis Graeciae regionibus [3]).

De coloniis Tegea in Cretam deductis haec sunt Pausaniae (VIII 53, 4) uerba: *Λέγουσι δὲ καὶ ὅσοι τοῦ Τεγεάτου τῶν παίδων ἐλείποντο μετοικῆσαι σφᾶς ἑκουσίως ἐς Κρήτην, Κύδωνα καὶ Ἀρχήδιον καὶ Γόρτυνα· καὶ ἀπὸ τούτων φασὶν ὀνομασθῆναι τὰς πόλεις Κυδωνίαν καὶ Γόρτυνά τε καὶ Κατρέα. Κρῆτες δὲ οὐχ ὁμολογοῦντες τῷ τῶν Τεγεατῶν λόγῳ Κύδωνα μὲν Ἀκαλλίδος θυγατρὸς Μίνω καὶ Ἑρμοῦ, Κατρέα δέ φασιν εἶναι Μίνω, τὸν δὲ Γόρτυνα Ῥαδαμάνθυος* [4]).

1) Polyb. II 11, 12. Strab. VII p. 314 sqq., Arist. de mir. aud. 138, App. Ill. 3 et 10 (*Ἀρδεῖοι*), Cass. Dio fr. 49, 2—3 (*Σαρδιαῖοι*), Steph. Byz. *Ἀρδέα*.

2) Qui tamen condicione solita meliore gaudebant, ut Athenaeus (IV 149 c d) ostendit Theopompi locum laudans e libro XXXXVI Philippicorum. Inspice etiam titulum Lebasianum 341 b.

3) Ipse Boeckhius in Addendis primi uol. C. I. Gr. suam de Prospelatis Arcadum sententiam ualere iussit.

4) Ut saepius apud Pausaniam, mira deprauationis pestilentia nominum memoriam inuasit. Numquam nomen *Ἀρχήδιος* in Graecorum usu

Praeterea legis apud Stephanum s. u. *Ἀρκάδες· πόλις Κρήτης, ὡς Ξενίων ἐν Κρητικοῖς· οἱ πολῖται ὁμοίως Ἀρκάδες. Δημήτριος* [1]) *δὲ οὐκ Ἀρκάδας τὴν πόλιν ἀλλ᾽ Ἀρκαδίαν φησίν. εἰκότως οὖν καὶ τὸ ἐθνικὸν ταύτης Ἀρκάδες.* His uerba s. u. (*Ἀρκαδία*) adiunguntor: *ἔστι καὶ Ἀρκαδία παραθαλάσσιος πόλις* [2]). Nec dedecet Vellei Paterculi (I 1, 2) et Stephani s. u. *Τεγέα* addi testimonia, quibus Tegea Cretae oppidum ab Agamemnone Troia redeunti siue a caduceatore eius Talthybio condita refertur; nam Arcades facile poterant inter conditores uersari, qui naues ab Agamemnone accepisse atque quodam modo sub huius imperio ante Troiam pugnasse tradantur [3]).

At licet Tegea et ex aliis Arcadiae oppidis homines in Cretam immigrauerint, non tot fuerunt tantaque auctoritate, ut uestigia morum Arcadicorum in publicis insulae institutis mansisse uideantur. Artiorem fuisse cognationem inter Arcades et Cretenses id quod alterutri negabant inscriptionibus refellitur. In titulo quidem aedificiali (Lebasii II 340e, Caueri 457) et in iure Gortynio nuperrime inuento, ubi proprietates sermonis utriusque gentis purissime seruatae comparent, fere nihil deprehendi unde maior similitudo dialectorum possit constitui. Per Dorienses igitur factum esse iudicabimus, ut classis Clarotarum apud Cretenses exsisteret, hominum bello domitorum et in seruitutem detrusorum.

Supra posuimus cliuum Clarium arcem fuisse Aphidantium nec non postea acropolim Tegeatarum inde euasisse arbitramur. Nam collis iste, hau dubie merito a uiris doctis is agnitus qui

---

fuit, quod quam inepte hoc loco se habeat penitus liquet. Utique pro eo *Κατρέα* cum Siebeli rescribendum est quo carere nequeamus. Oppidum autem a Catreo conditum non item *Κατρεύς* nominabatur, sed *Κάτρη* Herodiano teste apud Stephanum, eamque formam restituendam esse censeo, cum facillimo errore oscitantia librariorum conditoris nomen repetere potuerit.

1) Demetrius intellegitur Magnesia Thessalica oriundus, Ciceronis aequalis qui *περὶ ὁμωνύμων* scripsit.

2) Cuius ciuitatis duo decreta publica foedera cum Teis continentia exstant apud Lebasium (V 1, 71 et 80).

3) Hom. Il. *β* 612.

hodie uocatur Hagios Sostis, cum maxime emineat e planitie amplumque prospectum praebeat, aptissimus erat struendis munitionibus. Non plus semel apud ueteres arcis Tegeae urbis mentio fit. Polybio auctore (V 17, 2) Lycurgus Spartanorum tyrannus capto oppido arcem quo ciues recesserant frustra oppugnauit; quod cadit in annum a. Chr. n. 218. Ab acropoli discernendum existimo tumulum, quem sua aetate Phylactridem nuncupari Periegeta (VIII 48, 4) perhibet. Sub eo feminae Tegeatides in insidiis conlocatae Lacedaemonios Charilao duce cum uiris decertantes oppressisse et uictoriam confecisse narrantur. Quod si hunc quoque Clarium collem Pausanias dixisset, certe aliquid addidisset. Itaque Phylactridem nomen a castello praesidioque Macedonum siue Romanorum nanctam esse suspicor. Ceterum Hagios Sostis magis ad septentriones et occidentem solem uergit quam ceterae urbis reliquiae, unde de situ arcis et tribus Clariotidis concludere in promptu est.

In eodem uico prytaneum stetisse uidetur, quod a Xenophonte (Hist. Gr. VII 4, 36: *δημοσία οἰκία*) intellegi existimo. Huc Pausaniae uerba (VIII 53, 9) spectant: *Καλοῦσι δὲ οἱ Τεγεᾶται καὶ ἑστίαν Ἀρκάδων κοινήν*, eis praemissa quae de cliuo Clario disseruntur. Ante ea necessario lacuna est statuenda, qua commemorationem prytanei intercidisse putamus. Ille enim focus est publicus; ibi ignis sacer Vestae alitur. Eiusmodi autem lacunis scatere textum Pausaniae omnes prudentes concessere.

Apollini non Agyieo soli Tegeatae sacra faciebant; in urbe ipsa Pausanias (VIII 53, 7) aedem dei cum inaurato simulacro Chirisophi Cretensis opere conspexit. Quae utrum Agyiei fuerit an Apollinis aliter cognominati nescimus. Hoc pro certo adfirmes illud fanum quasi umbilicum fuisse tribus Apolloniatidis. Quod cum Pausanias per portam ad Manthuream conuersam, ergo ad meridiem et occidentem spectantem, Tegeam intrarit ac postremo in septentrionalem oppidi partem peruenerit, templum et tribum Apollinis a foro septentriones et orientem uersus eunti sese obtulisse non ueri dissimile. Cui rei situs reliquiarum theatri, quod in hoc uico aedificatum

fuisse uidetur, non repugnat [1]). Quod ex orientali regione cultum Apollinis aduectum esse contendi id meo iure feci, quando Pausaniae quoque temporibus rudera aedis Apollinis Pythii relicta erant, quae stadium fere aquilonem uersus distabant a uia populari Tegea per Corythensium pagum Argos ducenti [2]).

Venimus ad Mineruae tribum. Cuius numen antiquissima florebat religione apud Tegeatas et maiore reliquis deis honore. Scimus cum Poliatidi tum Aleae Palladi in oppido esse sacrificatum. Huic Aleus rex templum aedificasse fertur [3]). Vox ἀλέα quam Attici dicebant ἁλέαν aut teporem significat aut effugium, praesidium prout cum ἥλιος, εἵλη i. e. calor solaris [4]) aut cum ἀλεωρή componitur. Utroque significatu iam apud Homerum exstat. Od. Muellero (Scripta min. II 175) et Welckero (Theol. I 309), ad quorum doctrinam adspirare non audet tirocinium meum, priorem notionem praeferentibus adstipulor. Huc enim aiunt Augen deam Lucinam Tegeatarum pertinere, quae filia Alei et sacerdos Mineruae Aleae fuisse dicitur cuiusque nomen splendor uertendum est [5]), huc Maeram [6]) Tegeatae uxorem fulgorem et sidus fulgens Sirium indicantem. Inde a Tegea sacra Aleae per totum κλῆρον Ἀφειδάντειον peruulgata sunt, uelut de fanis eius in oppidis Mantinea et Alea quae nomen a numine, non ab Aleo adepta uidetur scimus [7]). Etiam in Laconia aliqua ueneratione fruebatur, cum in uia Sparta Therapnam ducenti simulacrum Aleae

1) Cf. Bursiani Geogr. II p. 220. Non procul ab Agyiei statuis theatrum aberat, quas uix e tribu Apolloniatide remouere licet. Praeterea hic duo Liberi templa stabant; theatro ea propinqua fuisse haud in cassum iacto. Paus. VIII 53, 7.

2) Paus. VIII 54, 5. 3) Paus. VIII 4, 8. 45, 4.

4) Hesych., Suid., Etym. M. ἀλέα.

5) Alcid. Ulix. 14. Paus. VIII 4, 9. 48, 7, ubi ingeniose Auges nomen pro librorum αὐτῆς restituit Valckenaer (Diatr. p. 164). Templum signumque Lucinae in foro stabant. Cognomen eius siue Auges quod est ἐν γόνασιν in Ceteo redit Megistus — sic Callisto ibi cluet — patre. V. Ariaethum apud Hygin. Poet. astr. II 1.

6) Paus. VIII 12, 7. 48, 6. 53, 3.

7) Paus. VIII 9, 6. 23, 1.

conspiceretur [1]). Sedes uero religiosissima huius cultus Tegeae mansit. Ibi templum magnum dignumque quod uiseretur multo post Alei tempora ciues erexerant. Quod cum anno a. Chr. 395/94 flammis deletum esset, nouum Scopas Parius aedificauit, longe pulcherrimam atque amplissimam quotquot in Peloponneso exstabant aedium [2]). Vetus deae signum, eburneum Endoei opus, simulque Calydonii apri dentes qui in templo adseruabantur Caesar Augustus uicto Antonio eiusque sociis, in quibus Arcades omnes praeter Mantinenses fuerant, Romam abduxerat ubi simulacrum in foro principis conlocatum est [3]). Rem diuinam Aleae puella nondum pubes facta curabat [4]). Praeterea inscriptionibus compertum habemus annuum ei fuisse sacerdotem, a quo ut antistite numinis summa religione celebrati unus quisque annus denotabatur. Tituli incipere solent *ἐπὶ ἱερέως* etc. numinis nomine non addito; sed cum Mantineae sacerdos Neptuni *ἐπώνυμος* fuerit, Tegeae hoc insigne antistitis Aleae fuisse iudicabimus [5]).

In honorem huius Mineruae ex antiquissimis temporibus ludi agebantur Aleaea, quae uocis forma inscriptionibus et Polemonis loco (de Heracleis Thebanis) in scholiis ad Pindari Olymp. VII 153 probata apud Pausaniam (VIII 47, 4) refragantibus libris restituta est. In hoc conuentu sollemni non raro

1) Paus. III 19, 7. Xen. Hist. Gr. VI 5, 30.

2) Paus. VIII 45, 3—5. Cuius in fundamentis nunc ecclesia uici Piali exstructa est.

3) Paus. VIII 46, 1 et 4. Posteriore loco memoriam grauiter laborare paret. Traduntur haec: *Ῥωμαίοις δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα ἐς τὴν ἀγορὰν τὴν ὑπὸ Αὐγούστου ποιηθεῖσαν, ἐς ταύτην ἐστὶν ἰόντι.* Haud perperam Schubartus post *ἰόντι* lacunam adgnouit; at ante uerba *ἐς ταύτην* iterum excidit aliquid, scilicet uerbum sententiae *ἐκομίσθη*; quare satius erit et hoc et quae ad participium *ἰόντι* requiruntur una lacuna post *ποιηθεῖσαν* statuenda putare absumpta esse.

4) Puellam intellego propter Augen hoc munere functam. Paus. VIII 47, 3.

5) Quae opinio titulo confirmatur in uico Piali, qui super ruinis Tegeae aedificatus est, ante hos tredecim annos a Deffnero inuento biennioque post ab H. Sauppio in ind. scholl. Gotting. semestr. hib. anni 1876/77 iuris publici facto. Cuius in fine subscriptum legis: *ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς Εὐαίνετος.*

accidisse uidetur, ut praemia uirtutis ergo alicui decreta per caduceatorem pronuntiarentur, id quod de Isagene cognouimus titulo 341 b Lebasii, quem societas seniorum corona aurea statuaque honorari censuerat. Certamina in stadio non multum a templo deae distanti fiebant. Mirum quantum dignitas Mineruae exinde aucta est, cum deuictis Lacedaemoniis qui Charilai ductu Tegeatidem inuaserant eius tutela efficacissima uidebatur. Tum Marpessae armatura ducis in illo proelio feminarum Tegeatidum in aede Aleae consecrata est, tum compedes quibus uincti Lacedaemonii captiui hostibus in campo fodiendo seruierant ibidem suspensae, ita ut uel Herodotus et Pausanias eas conspicarentur, tum Aleaeis ludis Halotia (cf. *ἁλίσκομαι*) addita, quod magnam partem hostium in eisque regem uiuos ceperant [1]). Postea aliae quoque praeclarissimae belli manubiae in fano illo adseruabantur. Velut e pugna Plataeensi, in qua primi Tegeatae in Persica castra inruebant ac Mardonii tentorium expilabant, huius praesaepe equorum aeneum spectatuque dignissimum Tegeam auectum Aleae consecrauerunt [2]).

Ceterum, si Frontino (Strat. III 2, 8) fides habenda est, olim festo die Mineruae Tegea ab Aristippo Lacedaemonio capta est. Exscribo uerba scriptoris: ‘Aristippus Lacedaemonius festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Mineruae sacrum urbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis palea refertis onusta Tegeam misit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum specie inobseruati portas aperuerunt suis.’ Tempus rei inquirentes frustra tenebras temptabimus.

---

1) Her. I 66. Paus. VIII 47, 2. In eodem capite paulo infra sic exhibetur oratio: *Τοῦ ναοῦ δὲ οὐ πόῤῥω στάδιον χῶμα γῆς ἐστι, καὶ ἄγουσιν ἀγῶνας ἐνταῦθα, Ἀλεαῖα ὀνομάζοντες ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς, τὸν δὲ Ἁλώτια, ὅτι* e. q. s. Quia desiderari patet quod respondeat uerbis *τὸν δέ*, iure in maiore Schubarti editione insertas reor uoculas *τὸν μέν* ante *Ἀλεαῖα*. Quam emendationem cur in editionem Teubnerianam non receperit ego non adsequor.

2) Her. IX 70.

Unum hucusque non tetigimus quod praecipuam Mineruae Aleae auctoritatem suppeditauit: dico asylum in fano constitutum ac perfugis etiam exterarum ciuitatium apertum. Quod reputans facile quis eo inclinet, ut alteram uiam explicandi Aleae nominis praeferat; hanc uero seriore aetate propter increbrescentem asyli famam munitam esse ueri similius duco. De perfugio illo Pausanias (III 5, 6) consulendus est, ubi de secundo Pausania rege Lacedaemoniorum qui cunctando calamitatis ad Haliartum acceptae anno a. Chr. 395 mortisque Lysandri auctor exstitisse putabatur haec refert: *Τότε δὲ ἐν αἰτίᾳ ποιουμένων τῶν πολιτῶν τὴν βραδυτῆτα αὐτοῦ τὴν ἐς Βοιωτίαν οὐχ ὑπέμεινεν ἐσελθεῖν ἐς δικαστήριον, Τεγεᾶται δὲ αὐτὸν ἱκέτην ἐδέξαντο τῆς Ἀλέας. ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν τοῦτο ἐκ παλαιοῦ Πελοποννησίοις πᾶσιν αἰδέσιμον καὶ τοῖς αὐτόθι ἱκετεύουσιν ἀσφάλειαν μάλιστα παρείχετο. ἐδήλωσάν τε οἵ τε Λακεδαιμόνιοι τὸν Παυσανίαν καὶ ἔτι πρότερον τούτου Λεωτυχίδην καὶ Ἀργεῖοι Χρυσίδα καθεζομένους ἐνταῦθα ἱκέτας, οὐδὲ ἀρχὴν ἐξαιτῆσαι θελήσαντες.* Fugam Pausaniae similiter narrat Xenophon (Hist. Gr. III 5, 25), nisi quod eum Spartae capitis esse damnatum Tegeaeque morbo perisse addit [1]). Usque ad annum 385 quo ab Agesipolide filio expeditio in Mantineam suscepta est pater in uiuis fuisse uidetur [2]). Leotychidem Tegeam aufugisse ibique mortuum esse ab Herodoto (VI 72) et Pausania (III 7, 10) proditur; regno abdicatus est anno 469 [3]). De Chryside sacerdote Iunonis Argiuae, cuius neglegentia templum conflagratum erat, historia apud Periegetam (II 17, 7) exponitur [4]).

1) Cf. Plut. Ag. 3. 2) Xen. Hist. Gr. V 2, 3.

3) Quod Diodori potissimum indiciis conligitur (XI 48. XII 35): Archidamum qui Leotychidi successit quadraginta duos regnasse annos; huius enim annum fatalem nouimus.

4) Ibi nomen *Χρυσηΐς* scriptum est, quod minus rectum esse inde demonstratur, quod Thucydides aetate suppar *Χρυσίδα* eam bis appellat (II 2. IV 133), aliter nusquam. Per hunc et annus incendii aedis fugaeque sacerdotis constat — est a. Chr. 423 —, et natalicium Chrysidis annum propemodum licet diuinare. Etenim cum ineunte bello Peloponnesiaco per duodequinquaginta annos Iunonis antistita fuisset, omnino plus

At non supplices soli, uerum quicumque male tractati in patria exsulabant aut peregre adueniebant sedes suas commutaturi comiter excipiebantur; quo factum est ut haud pauci inquilini in oppido uersarentur, qui per cunctas tribus distributi [1]) eximia prae metoecis ceterae Graeciae condicione utebantur, uelut ludis urbanis nullo discrimine inter ipsos et ciues facto intererant. In eo numero rex quidam fuit Argiuorum [2]). Huic populares succensuisse narrantur, quod postquam multa bello contra Lacedaemonios gesto perpessi Arcadibus patriam restituissent, agros exsulibus reddidisset neque inter ipsos diuisisset. Idcirco cum uis ei pararetur, rex Tegeam profugit ibique honoratus ab eis quos beneficio adfecerat uitam degit. Quem priore saeculi septimi dimidio regnasse alibi ostendam. Item Herodoti (VIII 170) aliorumque testimoniis Micythus Choeri filius Tegeae aeuum finiuit. Seruus is fuerat Anaxilae Reginorum et Zanclaeorum tyranni, cui tanta fides a domino habebatur, ut post mortem eius anno a. Chr. 476 tutor filiorum in tyrannide succederet. Cum uero nouem annis post rationes ei reddendae fuissent, siue sua sponte siue pulsus patria discessit [3]). Denique huc Leonidam secundum referimus, Cleonymo natum et regem Spartanorum, qui anno 242 regno priuatus Tegeam petiuit unde sequenti anno Spartam redux iniurias inlatas crudeliter ultus est [4]).

Nec defuerunt qui hospitalitate ciuium abuterentur, ut de Sthenippo Spartano Polyaenus (II 26) narrat. Ille ab ephoris se multatum simulans Tegeam confugit et benigne a ciuibus exceptus est. Iam corruptis eius aduersariis Aristoclem archontem in pompa sacrificare parantem interficiendum curauit.

---

quinquaginta sex annos ministerio functa est, ut seni mulieri ueniam peccati dare possimus. Ceterum Thucydides eam Phliuntem facit abeuntem; quare nescio an exclusa a Phliasiis posthac in Tegeatarum tutelam peruenerit.

1) Aliter Athenis tribubus exclusi erant.

2) Diod. VII 14b. 3) Cf. Diod. XI 48 et 66.

4) Plut. Ag. 12 et 16. In temporibus constituendis Droyseni (Hellenism. III 1 p. 435—37) uestigia pressi a quo dissidet Pausanias (III 6, 7—8).

Quae res, si narratiunculas paulo praecedentes apud Polyaenum respicis, ei aptissime tribuetur aetati quae inter pacem Antalcideam et pugnam Leuctricam intercessit. De Lichae fraudulenta apud Tegeatas commoratione infra agemus.

Cultus Mineruae Poliatidis hoc erat proprium, ut quotannis non plus semel sacerdoti concessum esset in fanum introire. Propugnaculi templum (*ἐρύματος ἱερόν*) appellabatur, cum cirrus ibi seruaretur quem dea de Medusae capite desectum tamquam custodem Tegeae Cepheo filio Alei dedisse ferebatur, numquam expugnatum iri oppidum promittens. Quam fabulam accuratius Pausania (VIII 47, 5) [1]) Apollodorus (II 7, 3, 5 sqq.) expedit. Herculem Pylo capta Spartam proficisci in animo habuisse Hippocoontis filios ulturum. Ita cum Cepheum eiusque prolem uiginti adulescentes in auxilium uocasset [2]), hunc Argiuorum metu perculsum se suppetias iturum negasse. Tum Herculem Gorgus cincinnum a Minerua in amphora aenea acceptum Steropae Cepheo genitae hoc monitu tradidisse, ut in aduentu hostium in muros adscenderet terque donum auerso uultu tolleret. Quod in fugam aduersarios esse acturum. Sic participes factos Herculeae expeditionis Cepheum filiosque interisse [3]); Herculem uero occiso Hippocoonte cum stirpe potitum Lacedaemone Tyndareo expulso regnum reddidisse [4]). Praeterea tres scriptores conferendi sunt: Photii lexicon s. u. *πλόκιον Γοργάδος*, Suidas s. eadem u. qui fere nihil differt a Photio, Apostolius (XIV 38) qui cum Apollodoro formam *Λακεδαιμονίαν* pro *Λακεδαίμονα* communicat, cum Photio et Suida Asteropam Cephei filiam appellat, in ceteris non dissentit. Non potest non de communi fonte fabulae cogitari,

---

1) Pausaniae loco cum Schubarto codicis Lugd. a probo lectionem: *τοῦτο δὲ ἐρύματος ἱερόν* . . . .

2) Cepheus iam antea erga Herculem amice se gesserat. V. Valer. Flacc. I 374 sqq.: Erymanthei sudantem pondere monstri, Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus, iuuit.

3) Diodorus (IV 33) tres Cephei filios superstites fuisse memorat.

4) Pausanias (III 15, 5) bis contra Hippocoontem filiosque dimicasse Herculem, sed e priore pugna sauciatum clam aufugisse indicat.

quem tragicum quendam fuisse poetam Naber ad Photium coniecit. Quod nomen puellae non sibi constat, corruptelae suspicionem mouet. Videntur enim ut iam Heynius perspexit et Sterope et Asterope ex eo nomine deprauata esse, quod una de Cephei filiabus tulit Pausania (VIII 45, 7) teste, nempe ex Ἀερόπη. Quae labes compilatorum socordiae deberi uidetur, nec scio an merito C. Mueller num nomen Aerope in Apollodori textu restituendum esset dubitarit.

Restat tribus Hippothoitarum, cuius posteriorem fuisse originem supra diximus. Hippothous a quo nomen accepisse narratur Agapenori, cum Troia domum non redisset, in regno Tegeatico successit; quem nihil aliud memoratu dignum patrantem facit Pausanias (VIII 5, 4), nisi quod domicilium regni Trapezuntem transtulerit. Talem causam exstitisse ut uni tribui nomen ab eo imponeretur nemo credet. Iam id unus quisque debet mirari, quod rex ille non filius Agapenoris nominatur, quod omnino non ex Aphidante et Aleo prognatus audit, sed Stymphali pronepos filii Elati [1]). Hippothous igitur cum princeps fuerit nouae stirpis regiae, per uim hanc dignitatem obtinuisse uidetur, scilicet Alei gente regno pulsa. Quae cum reputaueris, uide num quid mea coniectura proficiatur: illum non sedem regiam Trapezuntem mouisse, sed regem in hoc fuisse oppido unde profectus Tegeatidem sibi subiceret. Ita noua pars incolarum, dico manum Hippothoi, huc adducta est quae seorsim habitasse nomenque a duce uidetur tulisse, nisi forte hic potius ab equitibus secum aduectis, quoniam Ἱπποθοῖται fere ei intelleguntur quos Romani Celeres uocabant. Quamuis autem uictores Tegeam intrassent, quamuis sacra cum indigenis haud communicarent, tamen eos pari iure uti passi sunt. Mortuo quidem Hippothoo diuinos prope honores memor militum turba tribuit et sacellum dedicauit, quod sensim quarti uici euasit umbilicus. Mythici etiam artiore eum uinculo cum prisca gente regia coniunxerunt, ut commilito fieret Ancaei et Epochi filiorum Lycurgi in uenando

1) Elati gentem aliquamdiu Tegeatis imperasse simulacro eius significatur in foro posito. Paus. VIII 48, 8.

apro Calydonio interque socios expeditionis in fastigio templi Aleae fingeretur [1]).

Distinguendus ab hoc is est Hippothous, quem Hyginus (Fab. 187) Alopae et Neptuni filium, nepotem Cercyonis facit latronis saeua sceptra Eleusine gerentis donec a Theseo interficitur. Hic enim a reliquis scriptoribus Hippothoo nominatur et ipse unius tribus heros esse ἐπώνυμος putabatur, nimirum Atheniensium. In promptu erat eum cum Arcade commiscere, quando alterius patri et auo alterius idem nomen erat; hic uero Neptuno siue Volcano natus et frater Triptolomi, ille Agamedis filius habebatur [2]). Insuper Thesei aduersarius a Plutarcho (Thes. 11) Arcas appellatur. Item Charax in quarto libro historiae Graecae Callimacho auctore Cercyonem ex Arcadia in Atticam uenisse uoluit, ut scholio ad Arist. Nub. 508 luculenter apparet. De Trophonio ibi agitur, qui cum Agamede patre et Cercyone fratre Augeae thensaurum Elide compilasse narratur. Capto autem patri Daedali laqueis filios ne adgnoscerentur caput desecuisse et Orchomenum fugisse. Tum his Characis uerbis pergit scholiasta: *Αὐγείου δὲ κατὰ κέλευσιν Δαιδάλου πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν ἐπιδιώκοντος καταφεύγουσιν ὁ μὲν Κερκυὼν* [3]) *εἰς Ἀθήνας, ὡς Καλλίμαχος* (fr. 143) [4]):

ὃς ῥ᾽ ἔφυγεν μέν
Ἀρκαδίην, ἡμῖν δὲ κακὸς παρενάσσατο γείτων,

ὁ δὲ ἕτερος εἰς Λεβάδειαν e. q. s. Illud quempiam potest offendere quod Trapezuntis regem Hippothoum facio, cuius auus Agamedes secundum scholium laudatum Stymphali regnarit. At posteros huius emigrasse nouasque regias constituisse ipsa fabula uidetur docere Trophonii et Cercyonis fugam referens [5]).

1) Paus. VIII 45, 7. Ouid. Met. VIII 307. Hyg. Fab. 173.

2) Paus. I 43, 3. Hyg. Fab. 38.

3) *Κερκυών, όνος* rectius scribi quam *Κερκύων, ονος* quod plerisque locis libri manuscripti tradunt Arcadius praecipit p. 15, 27.

4) Fragmentum esse Hecalae uidit Ruhnkenius.

5) Iam Aepytus filius Elati maximus natu ad Alpheum regnauerat, cuius stirpe emortua nescio an pars gentis Agamedeae eo se conuerterit. Pind. Ol. VI 34 et schol. Ipse Elatus regionem Cyllenae propinquam Orchomenumque caput sortitus erat.

De situ quartae tribus nihil certi scitur. Ne delubri quidem herois Pausanias mentionem inicit, unde liceret fortasse coniecturam facere. Ideo Bursiani opinio (l. l.) qua tribus media fuit inter Minerualem et Apolloniatidem omni fundamento caret. Facilius Pausaniam Hippothoi uicum aut prorsus non intrasse aut pauxillam partem tetigisse iudicauerim.

Hactenus de origine ac situ tribuum. Lubrica est quaestio, qua tempestate hanc urbis diuisionem ad religiones quondam maxime spectantem in usum rei publicae receptam esse reamur. Qua de re cum clara testimonia deficiant, ex analogia quam dicunt ceterarum ciuitatum ueri similia magis quam uera concludas. Ne nomina quidem auctorum nouae ciuium distributionis liberaeque inquilinorum condicionis constant; certe ii inter quattuor legum latores quorum statuae in foro oppidi conspiciebantur [1]), Antiphanem et Crisum [2]) dico, Tyronidam et Pyrrhiam [3]), quaerendi erunt.

Caput III.

De regno.

Primam rei publicae formam in omnibus Graeciae ciuitatibus regnum fuisse abunde constat. Reges igitur antiquissimis temporibus in Arcadiae quoque pagis sceptra tenuerunt. Errarit tamen si quis singulos plerumque toti terrae imperasse Pausaniae credat. Nam si ne in aliis quidem Graeciae terris, quae mature legibus omnium uicorum communibus adstrictae erant, uelut in Attica hic rerum status pristinus est iudicandus, de Arcadibus qui nec bellis Persicis nec posteris aetatibus ante pugnam Leuctricam umquam unam effecerint ciuitatem hoc statuere absurdum est. *Κατὰ κώμας* enim initio Graeci

1) Paus. VIII 48, 1.

2) Sic recte nomen Meinekius (Diar. antiq. a. 1845 p. 1067) e librorum *Κροῖσος* restituisse uidetur.

3) *Πυῤῥίας* pro *Πυρίας* codicibus exhibito Dindorfius reposuit. Cf. Xen. Exped. Cyr. VI 5, 11.

habitabant, ut Kuhnius libro de origine oppidorum ueterum inscripto exposuit; inde complures pagi in oppida singula coniungebantur, quae postmodo uinculis quibusdam inter se conexa delato ad urbem praepollentem imperio in unam terram atque ciuitatem coalescebant. Quod in Arcadia seris saeculis effectum est nec in longum tempus conseruatum; permagna pars terrae etiam tum cum fastigium potentiae Graeci conscenderant oppidis carebat dispersosque in multos uicos homines alebat. Aliter Tegeatidis incolae iam uetustissimis aeuis unam urbem sibi constituerunt, unde uicinas regiones facile in dicionem redigere potuerunt. Numquam uero totam Arcadiam sub sua iura cogere ualebant.

Primum synoecismo nondum facto Aphidantem [1]) Tegeae gessisse imperium memorauimus. Is cum Azane et Elato fratribus quartus est a Pelasgo, principe seriei regum Arcadicorum per Pausaniam proditae. De partitione Arcadiae inter tres Arcadis filios praeter Periegetam (VIII 4, 3 sq.) laudator Eustathius (ad Dionys. 415): *μετὰ τὸν Ἀρκάδος θάνατον οἱ παῖδες αὐτοῦ τρεῖς ὄντες ἐνείμαντο τὴν ἀρχήν· Ἔλατος μὲν ἔλαχε μοῖραν Ὀρχομενόν, Μαντίνειαν καὶ τὴν Κυνουρικήν* e. q. s. [2]), *Ἀφείδας δὲ Τεγέαν καὶ τὰ περὶ μὲν ἄλλης* (Meinekius Anal. Alex. p. 160: *τὰ περὶ Μαίναλον*), *Ἀζὰν* [3]) *δὲ καὶ τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ Ἀζανίαν* etc.

Aliter Apollodorus (III 9, 1, 1) duos Arcadis filios Elatum et Aphidantem recipit [4]), cum Clitorem qui Azanis suboles a

1) Schol. Ven. a Il. β 603 Amphidamas pater Alei et filius Arcadis perhibetur. Cf. Eustath. ad Il. p. 300, 34.

2) Apud Pausaniam Cyllenen montem accipit, quod non nimis abhorret.

3) Azanem gentis Azanum gratia commentum esse apparet, quae olim potentissima fuisse Arcadum uidetur. — Posteriore tempore septentrionalis Arcadia circa Clitorem, Pheneum, Psophidem Azania nuncupabatur; olim Parrhasiam quoque ad inferiorem Alpheum adiacentem Azanes obtinuisse existimantur, cum Clitor Azanis filius Lycosorae regnarit (Paus. VIII 4, 5) et Phigalenses oraculo illo a Pausania allato (VIII 42, 6) Azanes appellentur. Cf. Muelleri Dor. II p. 436, Busolti Laced. p. 117 sqq., Schubringii de Cypselo dissert. Gotting. a. 1862[1] p. 18.

4) Cf. Charonem Lampsac. apud Tzetzam ad Lycophr. 480.

Pausania uocatur Lycaone natum dicat (III 8, 1, 4). Hoc inde explicamus quod opes gentis Azanum breui ita sunt imminutae, ut rarissime in Graecorum annalibus redeant. Quod apte fabulis Arcadum significatur, si quidem Clitor nullis relictis liberis mortuus fertur [1]).

Post Azanis mortem Pausanias (VIII 4, 5—8) Clitorem [2]) ceteris principibus praecellentem facit; quo mortuo Aepytum [3]) Elati prolem Phaesanae in oppido prope Alpheum sito dominantem Arcadiae regnum esse adeptum; dein Aleum, iam prius patris heredem, in principatu secutum regiam Tegeae conlocasse. Hinc nihil licet conligere, nisi primis aetatibus modo aliud modo aliud Arcadiae oppidum cum rege suo maiore ceteris auctoritate floruisse. Tantum tamen concessum est sumere, belli temporibus et in expeditionibus communiter susceptis omnes uel multas Arcadum ciuitates regem unius oppidi dignitate praeualentem ducem secutas esse [4]), praesertim cum uincula quaedam communionis exstiterint, quo in numero antiquissimi ludi Lycaei Iouis, cultus Dianae Hymniae cui templum sanctissimum in finibus Orchomeniorum Mantineam uersus stabat, ἑστία Ἀρκάδων κοινή Tegeae aedificata referuntur [5]). Quo fieri potuit ut haud paruae Arcadum copiae Agapenoris ductu Troiano bello interessent, si quis hanc poetarum fabulam pro historia uelit accipere.

---

1) V. Hoehlium: Arcadia ante aetatem bellorum Persicorum, Meeranae a. 1883°, p. 33.

2) Clitor rex oppidi homonymi causa inuentus est, cuius conditor exstitisse narratur apud Pausaniam (VIII 4, 5), ubi uocabulum ὠνομασμένον post ᾤκισεν uidetur excidisse.

3) Hic in uenando ad Sepiam montem qui paulum abest a Cyllene, in patrio igitur regno, morsu anguis paruuli σήψ nuncupati mortem obisse dicitur, ibidemque tumulus eius monstrabatur iam auctori nauium catalogi (Il. β 604) cognitus. Paus. VIII 4, 7. 16, 3. — Ceterum Tegeae Aepytus cognomen erat Mercurii; rex inde fingi potuit. Paus. VIII 47, 4.

4) Non ita absurde Busoltus (Laced. p. 141 sqq.) Thirwallo (Hist. Gr. I p. 430) praeeunte cum Thessalorum dignitate quae est ταγεία regnum comparat Arcadicum.

5) Paus. VIII 2, 1. 5, 11. 53, 9.

Iam duobus saeclis ante maior Arcadum exercitus exisse dicitur, cum apud Pheam ad Celadontem et Iardanum flumina cum Pyliis de dicionis finibus decertaretur [1]). Bis in Iliade (δ 319 et η 133 sqq.) Nestor hac pugna gloriatur in qua ipse adulescens Ereuthalionem filium Hippomedontis siue Aphidantis (Amphidamantis) siue Xanthippi insignem hostium propugnatorem ad certamen singulare prouocatum occiderit. Quamquam si Ariaetho fidem habemus, Pylii non nimis felici euentu adiuti sunt. Arcades enim, quod leges pugnae Nestor uiolasset, neglecto foedere adgressi aduersarios fuderunt [2]). Hoc bello oppida Arcadiae Pyliis uicina et Lycurgum Tegeae regem et alias terrae ciuitates auxilio uocasse non temere coiciamus. Lycurgus autem cum ipse senio confectus suppetias ire non posset, Ereuthalionem familiarem cum manu suorum miserat, qui propter praeminentem dignitatem regni Tegeatici summum imperium tenuisse uidetur.

Ad extremum neglegi nolim quod indicium societatis Arcadicae ex Herodoto (VI 74) compertum habemus. Cleomenes enim, cum malignae eius machinationes in Demaratum alterum Lacedaemoniorum regem Spartae innotuissent, metuens in Thessaliam secessit unde in Arcadiam reuersus Arcades aduersus patriam sollicitauit cum aliis iuramentis adstringens ut se quocumque duceret sequerentur, tum principes (*τοὺς προεστῶτας*) in Nonacrim oppidum ductos iure iurando per Stygis aquam adigere paratus. Non nimium distat a probabilitate hunc sollemnem fuisse locum, ubi conuentus agerent proceres Arcadum resque grauioris momenti deliberarent. Quod factum ad aetatem Persicis bellis paulo superiorem pertinet.

1) Ubi conflixissent ne inter ueteres quidem geographos constabat. Iardanus Pausaniae (V 5, 9) idem est atque Acidas (Strabonis Acido). Alii Celadontem amnem postea Acidontem dictum esse putabant, oppidi autem Pheae nomen in Chaam mutatum. Didymus Pherecydem secutus *Φηρᾶς* apud Homerum pro *Φειᾶς* legi uoluit, non optime. Schol. Ven. a Il. η 135. Inter amnes cum Alpheo aquas miscentes a Pausania (VIII 38, 9) Celadus nominatur fortasse non diuersus a Celadonte Callimachi (Hymn. III 107). *Ἀγχαῖον ὄρος* uix recte legitur in scholio.

2) Schol. Il. δ 319.

Sed redeamus ad priora tempora! Aleo [1]) testibus Apollonio Rhodio (I 161 sqq.) et Pausania (VIII 4, 8) tres filii Lycurgus, Amphidamas, Cepheus unaque filia Auge nati sunt. Alteram Diodorus (IV 68) addit Alcidicam. Quorum matrem Apollodorus (III 9, 1, 2) Neaeram Pereo genitam et neptem Elati nuncupat, quamquam Pausanias (VIII 4, 6) hanc Autolyco Mercurii siue Daedalionis proli nupsisse tradit [2]). Per Augen Aleus Telephi auus factus est [3]), per Alcidicam Salmonei socer. Ipse grandaeuus fuit, cum Amphidamas et Cepheus filii et Ancaeus nepos in numero Argonautarum in Colchidem profecti sunt. Domus Alei etiam Pausaniae aetate Tegeae uisebatur [4]).

Hunc Lycurgus filiorum maximus natu [5]) in principatu excepit, cuius persona minus caeca caligine obtecta latet, cum uel Homero cognita sit. Quem Iliadis uu. η 137 sqq. Areithoum in angustiis uiae ubi clauus huic usui non esset dolo interfecisse legimus. Armis uiri a Marte donatis dehinc ipsum sese ornasse in pugnam iturum, donec senectute oppressus Ereuthalioni ea concederet. Causam caedis scholiasta Ven. a Il. η 8 e Pherecyde accersitam promit: Boeotos cum Arcadibus de finibus terrae certasse. Quod cum Areithous maximam ex Arcadia praedam abduxisset, Lycurgum multa parte hosti-

1) *Ἀλεός* Arcadius (p. 38, 18, ubi *Μαλεός* praue exhibetur) scribendum docet, quod alibi etiam libri manu scripti conseruarunt. Praeterea *Ἄλεος* et *Ἄλεως* leguntur.

2) Rectius Hyginus (Fab. 14) Cleobulen uidetur matrem perhibere.

3) Paus. VIII 4, 9. 47, 4. 48, 7. Primo loco Hecataeum recoquit. Alcid. Ulix. 14 sqq. Varias fabulae formas quam pulpitis aptare ueteres tragici adamabant Koner p. 32 sq. enarrat.

4) Paus. VIII 53, 10.

5) Auctor bibliothecae (III 9, 1, 2 conl. II 7, 3, 4 sqq.) Cepheum ut uidetur primum esse genitum ac tenuisse regnum sumit; a quo Caphyae septentrionalis Arcadiae oppidum nominatae esse dicuntur; Paus. VIII 23, 3. Nec uero defuerunt qui Romanorum rebus maiorem operam nauantes Capyi Aeneae comiti hunc honorem uindicarent. Dion. Hal. Arch. I 49, Steph. Byz. *Καφύαι*. Interim id fauet Apollodoro, quod Pausanias (VIII 5, 1) Lycurgo non eius ipsius nepotem, sed Cephei in regno successisse tradit. — Schol. Ven. b Il. β 609 Amphidamas Lycurgi pater dicitur.

lis exercitus ad defectionem commota insidiis aduersarium perdidisse, praedam recepisse.

In uersu ad quem pertinet scholium de Menesthio agitur incola Arnae oppidi et Areithoi filio. Quia utroque Homeri loco epitheton κορυνήτης redit, uesanum sit cum scholio Il. η 138 [1]) conlato scholio u. 9 et 10 Areithoum Arcadem et Boeotum distinguere. Simul elucet non recte scholiastam de certamine περὶ γῆς ὅρων uerba fecisse, quoniam nec uicinae terrae sunt Boeotia et Arcadia nec omnino de regno Areithoi constat [2]). Hic potius, si non grassator, — ἄριστος enim τῶν καθ' αὐτὸν ἀνθρώπων uocatur — at certe homo nouarum rerum cupidus et inquietissimus fuit, ut dux manus cuiusdam audaciorum praedationibus pacatas ciuitates uexare non uereretur. Ceteroqui Pausanias (VIII 4, 10) idem facinus infame Lycurgi criminatur, quod ab aeuo heroum quam maxime abhorrebat. Locus ubi rem accidisse existimabant in finibus Mantinensium apud Phoezonem monstrabatur [3]) cum angusto tramite et tumulo Areithoi. Scholiasta teste Apoll. Rhod. I 164 [4]) in memoriam facti ab Arcadibus Μώλεια festum celebrabatur, quod nomen acceperit ab Homerica uoce μῶλος (cf. l. l.) pugnam significanti.

Lycurgi senectus propter immaturam liberorum mortem ingrata fuit. Epochus enim morbo, Ancaeus apro Calydonio perierat [5]). Vitam rex non in patria, sed Leprei in oppido Triphyliae uidetur finisse, si modo huius incolae uerum Lycurgi sepulcrum apud ipsos habuerant, quod Pausaniae temporibus iam non conspiciebatur [6]). Quid eum illuc adduxerit haud liquet; de expeditione ab Arcadibus in Triphyliam Lycurgo duce facta non ariolantis sit cogitare.

1) Ibidem Areithous socius Arcadum uocatur, quem inuidia incensus Lycurgus e medio sustulerit.

2) Si re uera rex fuit, quod possit suadere epitheton ἄναξ (Iliad. η 8) opes eius non ita magnae erant, cuius quidem filius Menesthius in numero ducum ante Troiam imperantium non referatur.

3) Paus. VIII 11, 4.

4) Falso hic Ereuthalio a Lycurgo occisus narratur.

5) Paus. VIII 4, 10. 6) Paus. V 5, 5.

Nunc ad Cephei stirpem fratris Lycurgi regnum transit. Echemus Aeropo genitus Cephei [1]) filio succedit, cuius pater Spartae uitam posuisse uidetur. Ipsorum sane Tegeatarum memoratu [2]) Aerope Cephei filia a Marte uitiata Aeropum peperit, ut Echemus abnepos esset Cephei, quod minus pulchre cum temporum rationibus congrueret. Qui Timandram filiam Tyndarei et Ledae in matrimonium duxit [3]). Arte luctandi aequalibus antecellens Olympiae exstitit, ubi in certaminibus primum ab Hercule institutis palmam tulit [4]).

Summam gloriam et sibi et ciuitati eo acquisiuit, quod Heraclidas a Peloponneso arcuit Hylloque in Isthmo occiso impetum ingruentem retardauit; unde et nomen Ἔχεμος (h. e. is qui tenet, conseruat) conformatum uidetur. Cuius rei duplex potissimum exstat memoria Herodoti (IX 26 conl. 27) et Diodori (IV 58 conl. 57) qua haec conliguntur. Ceyx Trachiniorum rex post Herculis obitum ab Eurystheo Mycenis regnanti Herculis et Licymnii liberos simulque Arcadum manum Alcidae comitum [5]) e finibus suis expellere iussus erat. Quos cum sponte emigrassent incertique per Graeciam uagarentur praeter Athenienses ulla ciuitas recipere noluit; ab his in Tetrapoli Ionica sedes Heraclidis adsignatae sunt. At ne hic quidem Eurystheus eos sollicitare desiit; immo bello persecutus est contemptis Atheniensibus, qui societatem cum exsulibus inierunt. Proelio ad Marathonem commisso [6]) Eurysthei exercitus a sociis quibus Iolaus, Theseus [7]), Hyllus praeerant plane funditur; ipse in fuga apud Scironia saxa [8]) ab Hyllo occiditur.

1) Quod apud Herodotum (IX 26) Phegeus auus Echemi nominatur, id aut scriptoris neglegentia aut scribarum error peccauit.

2) Paus. VIII 44, 7—8.

3) Paus. VIII 5, 1, Apollod. III 10, 6, schol. Pind. Ol. X 79. Timandra Hesiodo auctore (fr. 164b) postea relicto Echemo ad Phyleum se contulit.

4) Pind. Ol. X 79. 5) Apollod. II 7, 2, 1. II 7, 7, 7.

6) Strab. VIII p. 377.

7) Alii ut Euripides in Heraclidis, Anton. Liber. 33 tunc Demophontem Thesei progeniem Atheniensibus imperasse uolunt.

8) Apollod. II 8, 1, 3.

Qua freti uictoria paulo post Heraclidae Hyllo duce Peloponnesum subigere temptant. Atreus uero ad quem populi scito [1]) regnum Persidarum transierat, postquam Achiuos, Iones, Tegeatas foedere coniunxit in Isthmo cum hostibus congressus est, ubi Hyllus uno ex aduersariis ad singularem pugnam prouocato ab Echemo interficitur [2]); is e compluribus ultro se offerentibus electus erat. Atque hunc in modum inter se erant pacti, ut si Hyllus uicisset Eurysthei regnum Heraclidis redderetur, sin occubuisset ne intra centum annos — Diodorus de quinquaginta annis loquitur — in Peloponnesum reuerterentur. Quod si rationes chronologicas respexerimus, utique Herodoti testimonium de temporis spatio maioris probabilitatis speciem quam Diodori prae se ferre iudicabimus. Etenim et Callimachus et Eratosthenes centum fere annos inter Hylli obitum et Heraclidarum in Peloponnesum reditum intercedere uoluerunt [3]).

Neminem offendet quod tunc Tegeatae ut aliae gentes Peloponnesi in dicione quadam regis Mycenaei uidentur fuisse. Scimus Arcades Agamemnonis imperio in expeditione Troiana obtemperasse, cuius nomine Menelaus ante bellum prope Caphyas uersatus erat copias coacturus [4]), et posthac Orestem maximam terrae partem subiectam habuisse [5]). Antea autem Pelops cum Stymphalo Arcadum rege filio Elati bellum gessisse fertur; qui cum ui Arcadiam expugnare non posset, amicitiam simulans imprudentem aduersarium occidit [6]). Propter Echemi uictoriam cum aliis honoribus Tegeatae in Peloponnesiorum societate digni habebantur tum in proeliis cornu alterutrum ducebant; quod priuilegium in pugna Plataeensi contra Atheniensium postulata retinere studebant.

1) Thuc. I 9.

2) Hylli sepulcrum Megaris monstrabant. Paus. I 41, 3. Tegeae Echemi cum Hyllo pugna pilae insculpta Pausaniae aetate cernebatur. Paus. VIII 53, 10.

3) Cf. Clintonis Fast. Hell. I p. 140. Qui hoc certamen singulare neque in Isthmo et longe post factum malunt, eos satis esse refutatos ab Hoehlio p. 39 sq. existimo.

4) Paus. VIII 23, 4. 5) Paus. II 18, 5. 6) Apollod. III 12, 6, 9.

Alterum Echemi bellum aetate superius unus Dicaearchus apud Plutarchum (Thes. 32) commemorat. Ibi de Tyndaridarum in Atticam inuasione ob raptam a Theseo et Pirithoo Helenam facta sermo est. Theseus forte afuit in custodia retentus ab Aidoneo Molossorum rege [1]). Sororem Aphidnis occultari Dioscuri indicio Academi comperiunt [2]); quapropter et uiuum illum a Tyndaridis honoratum esse et mortuum a Lacedaemoniis, qui quotiens in Atticam incurrentes agros depopularentur semper Academia abstinerent Academi gratia. Dicaearchum uero tradere Echemum et Marathum illis temporibus ex Arcadia profectos una cum Tyndaridis in Atticam uenisse, quorum ab altero Echedemiam nomen accepisse quae nunc Academia appelletur, ab altero Marathonem uicum quod ultro ex oraculo quodam mactandum se ante aciem praebuisset.

Hunc locum temptare nequiquam plerique recentiorum editorum conati sunt, nescii nimirum quo pacto ab Echemo Echedemiae nomen ducere liceret. Proinde Xylandrum qui ex anonymi scriptura *Ἐχέμου* correxerat in *Ἐχεδήμου* secuti sunt. At hercle uereor ne in sano corpore ulcus deprenderint. Primum nihil de Echedemo Arcade seu aliunde orto exploratum est. Dein quae apud Stephanum Byzantium s. u. *Ἑκαδήμεια* legis plane refragantur: *Ἐκαδήμεια ἢ Ἀκαδήμεια, ἀπὸ Ἀκαδήμου. καὶ Ἀθήνησι τόπος, ὁ Κεραμεικός. ὁ ἥρως δὲ διὰ τοῦ ε γράφεται, οἱ δ' ὅτι Ἔχεμος ὁ Ἀρκὰς συστρατεύσας τοῖς Διοσκούροις ὑποχείριον ἔσχε τὴν Ἀττικήν, ἐξ οὗ Ἐχεμήδειόν φασιν. μὴ βουλόμενοι δὲ σώζεσθαι τὸ ὄνομα Ἀκαδήμειαν ἔφασαν. ὁ δημότης Ἀκαδημαϊκὸς τροπῇ καὶ τοῦ τελευταίου ε εἰς η.*

Equidem nullus dubito quin hic eadem Dicaearchi explicatio proferatur simulque ansa praebeatur conexus inter Echemum uocemque *Ἐχεδημία* siue potius *Ἐχεδήμεια* [3]) sta-

1) Plut. Thes. 31.

2) Dissentit Herodotus (IX 73) qui Deceleenses uel Decelum heroem eponymum de hac re Tyndaridas certiores fecisse tradit.

3) Praestat *Ἐχεδήμεια, Ἀκαδήμεια* per diphthongum *ει* scribere nec per breue *ι* propter correptam ultimam ut Buttmannus docuit (Gramm.

tuendi. Urgenda enim sunt uerba *ἔσχε τὴν Ἀττικήν*, quibus ad nomen Arcadis alludi patet. Hic possessor erat terrae Atticae (*ὁ ἔχων τὸν δῆμον*) per illud bellum. Itaque Plutarchi *Ἐχέμου* ne amplius lacessamus, quod quasi nouo adminiculo Hesychii glossa fulcitur: *Ἐχεδημία· ἡ νῦν καλουμένη Ἀκαδημία*. Immo Stephani *Ἐχεμήδειον* cum Berkelio ex illis emendemus. Traditas uocis litterulas religioni habere dedecet; etenim eam aegrotare uel exitus in *ειον* pro exspectato *ειαν* clamat [1]). In ore hominum forma *Ἐχεδήμεια* aegre umquam fuit, sed eam Dicaearchus alucinatus est quia *Ἑκαδήμεια* difficilior erat interpretatu [2]). Utrum ipse etymologiam parum

---

Gr. II p. 282). De accentu scholiasta Dem. XXIV 114a haec adnotat: *ὁ δὲ τόνος τῆς εὐθείας τῆς Ἀκαδημείας προπαροξύνεται.*

1) Stephani uerba non uno loco medicina indigent uel excerptoris uel scribarum socordia misere lacerata. Primum ante *καὶ Ἀθήνησι* hiulcam uideo orationem; uidentur olim post *ἀπὸ Ἀκαδήμου* haec fere stetisse: *γυμνάσιον Ἀθήνησι καὶ τόπος* etc. Cf. Steph. *Ἀκαδήμεια* et Hesych. *Ἀκαδημία*. In sequenti enuntiato ut *καί* post *δέ* inseratur sensus impense flagitat. Postremo Westermannus recte perspexit in fine huius expositionis sic restitui scriptoris manum: *τροπῇ καὶ τοῦ τελευταίου ε εἰς α*. Ceterum initio *Ἑκαδήμεια* aspero spiritu legendum.

2) E duabus quae restant formis uetustior *Ἑκαδήμεια* putanda est, quod complura euincunt testimonia. Unum est Diogenis Laertii [III 9 (7)]: *Ἐπανελθὼν δ' εἰς Ἀθήνας (ὁ Πλάτων) διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ. τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἑκαδήμου, καθὰ καὶ Εὔπολις ἐν Ἀστρατεύτοις φησίν·*

Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἑκαδήμου θεοῦ.

Quicunque animum aduerterit ceterorum librorum *Ἀκαδήμου* in Eupolidis uersu pessimam esse scripturam sentiet; illud praestanti codice Burbonico offertur. Dehinc sic pergit: *ἀλλὰ καὶ ὁ Τίμων εἰς τὸν Πλάτωνα λέγων φησί·*

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορήτης
ἠδυεπής, τέττιγξιν ἰσόγραφος, οἵ θ' Ἑκαδήμου
δένδρῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱᾶσιν.

πρότερον γὰρ διὰ τοῦ ε Ἑκαδημία ἐκαλεῖτο.

Praeterea scholium Dem. XXIV 114 quod repetiit Suidas haec habet: *Ἀκαδημία· γυμνάσιον ἐν Ἀθήναις προάστειον ἀλσῶδες, ἐν ᾧ διέτριβε Πλάτων, ἀπὸ Ἑκαδήμου τινὸς ἥρωος ὀνομασθὲν τοῦ καθιερώσαντος αὐτό. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἑκαδημία, ὡς Ἀριστοφάνης· ἀλλ' εἰς Ἑκαδημίαν κατιών*. Laudatur hic uersus Nubium 1005, cuius scholium in lemmate

probabilem confinxerit an alio scriptore fretus propinauerit in medio relinquamus; originem autem fabulae de Echemi et Marathi expeditione in Atticam facta, cum tam singularis sit rei memoria, ad antiquiora tempora referre uelle absonum est[1]).

Echemo regnante prior expeditio septem uirorum contra Thebas uidetur accidisse eaque ante Hylli obitum, si ueterum computationibus credere licet[2]). Inter duces Parthenopaeus nominatur princeps Tegea oriundus. De parentibus eius ualde dissentiunt scriptores; plerique tamen Melanione[3]) et Atalanta eum progenitum esse censent[4]). Patrem Meleagrum nominat

---

quidem *Ἀκαδημίαν* praebet, nomen uero ita explicat: *ἦν δὲ γυμνάσιον ἀπὸ Ἑκαδήμου τινὸς καταλείψαντος τὴν κτῆσιν ἑαυτοῦ πρὸς ἐπισκευὴν τοῦ τόπου.* Unde elucere arbitror ipsum commentatorem legisse *Ἑκαδημίαν*. Itaque cum pridem Casaubonus in nota doctissima ad Diogenis l. l. lectionem codicum Aristophaneorum quae est *Ἀκαδημίαν* mutandam esse censuisset, non tamen editores obsecuti sunt; nihilo setius uera ibi scriptura est *Ἑκαδήμειαν*. Extremo loco Etymologici Magni interpretationem uocis *Ἀκαδήμιον γυμνάσιον* appono, ubi post alia haec adduntur: *διττὴ δὲ ἡ ἀρχὴ τοῦ ὀνόματος. οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ α τὸν Ἀκάδημον, οἱ δὲ δια τοῦ ε τὸν Ἑκάδημον* (scribe *Ἑκάδημον* secundum perspicuam etymologiam). *οὕτως Ὡρίων.*

1) Marathum quoque ex Arcadia in Atticam inuadentem Dicaearchi uel auctoris eius inuentum esse liquet. Eadem nominis forma ab uno Suida s. u. *Μαραθών* heroi Marathonio tribuitur, qui loco Callimacheae Hecalae niti uidetur et filium Apollinis Marathum facit. Alias heros cum pago homonymus est. Paus. I 15, 3. 32, 4, Philostr. u. soph. II 1, Nonn. Dion. XXVI 336. XXVIII 157. XXXXVII 340. Marathonem Epopei subolem, nepotem Aloei cum illo unam personam esse mea quidem opinione existimat Pausanias qui bis eum commemorat (II 1, 1. 6, 5). Quorum locorum priore Maratho patris iniquitatem et superbiam fugiens in Atticam immigrasse narratur.

2) V. Clintonis Fast. Hell. I p. 140.

3) *Μελανίων* rectior scriptura est quam et auctores pedestris orationis et poetae usurpant; dactylici uero poetae metri causa *Μειλανίων* dixere, quae forma in usum Latinorum elegiarum scriptorum recepta est mutata uidelicet diphthongo in i productam.

4) Hellanicus in schol. Eur. Phoen. 150. Melanio ibi ut apud Apollodorum (III 9, 2, 1) Amphidamantis filius uocatur; eius autem maiores Epochus, Argepus, Cepheus, Neptunus teste Hellanico cluent; quod fragmentum Phoronidis miror C. Muellerum fugisse. Haec Amphidamantis

Hyginus (Fab. 70, 99, 270), Martem Apollodorus (III 9, 2, 6), Seruius ad Aen. VI 480, idem matrem Melanippam. Plane diuersa de Parthenopaei origine memoria eum ab Argiuo Talao et Lysimacha Cercyone nata Neptuni nepte procreatum esse tradit, ut frater fiat Adrasti qui summam imperii priore bello Thebano tenebat. Haec apud Antimachum in scholio Phoen. 150, Apollodorum (I 9, 13, 1), Pausaniam (II 20, 5. IX 18, 6), apud Aristarchum Tegeatam, Philoclem, Hecataeum Milesium in scholio Oed. Col. 1320 exstat. Mediam uiam ingressi sunt qui aetatem tulere tragicorum, puerum ex Arcadia uenisse ibique educatum esse narrantes [1]). Statio (Theb. XI 177) rex Tegeae uocatur quod poetae excogitasse uidentur.

Etymologia nominis dilucida est. In ludis Nemeaeis ab Adrasto sociisque iter ineuntibus in Opheltae honorem institutis primus Parthenopaeus aut arcu aut cursu uicisse fertur [2]). Omnes de pulchritudine et immaturo adulescentis fato conspirant, quem Thebais cyclica, Euripides (Phoen. 1157), Aristodemus in Thebaicis a Periclymeno filio Neptuni saxo interfectum esse referunt, Statius (Theb. IX 841—874) a Dryante Tanagraeo Orionis nepote [3]); ipse Thebani Asphodico [4]) facinus uindicabant [5]).

Feliciore euentu posterius aduersus Thebas bellum fuit, quod epigoni qui uocantur filii septem priorum gesserunt. Hi quindecim annis post mortem patrum [6]) expugnatis Thebis regnoque ciuitatis Thersandro Polynicis proli tradito poenas ab hostibus exegerunt. E numero epigonorum Parthenopaei progenies erat uulgo Promachus dicta. Neque uero constat de nomine, cum apud Hyginum (Fab. 71 a) Tlesimenes, apud

origo et alter Cepheus Arcas propria sunt Mytilenaei. Apollod. III 6, 3, 2. 9, 2, 6. Paus. III 12, 9.

1) Aesch. Sept. 547, Eur. Suppl. 890.

2) Apollod. III 6, 4, 5, Stat. Theb. VI 528—623.

3) Stat. Theb. VII 256.

4) Quem Amphidicum uocat Apollodorus (III 6, 8, 2).

5) Paus. IX 18, 6, schol. Phoen. 150, 1156.

6) Euseb. Chron. II p. 48 et 52. Apollodorus (III 7, 2, 1) decennium inter duas expeditiones interfuisse indicat.

scholiastam Il. δ 404, Eustathium ad Il. p. 489, 39 qui nouem principes computant Stratolaus clueat. Hygini nomen non integrum exhiberi mira docet uocis compositio. Qui Pausaniam legerit de emendando loco non haesitabit. Is (III 12, 9) Spartae sacellum esse Aulonis Arcadis narrat Tlesimene nati quem alii fratrem, alii filium Parthenopaei dictitent. Tlesimenes igitur reponendus est [1]). Sepulcrum Promachi et Argis exstare et in Boeotia prope Glisantem oppidum Pausanias (II 20, 5. IX 19, 2) memorat; quamquam quo modo hic interierit haud liquet.

Liberos Echemus procreasse non uidetur; singularis enim Seruii (ad Aen. VIII 130) notitia est: Euandrum quem Pallantio pulsum in Italiam immigrasse regionemque ubi postea Roma stabat incoluisse constat filium Echemi et Timandrae a quibusdam perhiberi [2]).

Postquam uita decessit Echemus [3]), regnum ad Lycurgi gentem rediit, scilicet ad Agapenorem Ancaei progeniem [4]). Is in Alcmaeonis fabula partis quasdam agit, cum Arsinoe Phegei filia, prior illius uxor, a fratribus quos ob necem mariti quamuis perfidi oderat in arca inclusa penes Agapenorem Tegeam aduecta est, ubi obscura leti ratione perisse uidetur. Dein Callirrhoe Acheloo nata, altera coniunx Alcmaeonis, ut poenas a Phegei liberis repeteret proprios filios Amphoterum et Acarnanem quos Alcmaeoni pepererat precibus matris ilico puberes factos in Arcadiam emittit. Qui cum apud Agapenorem deuertissent, Phegei filios Pronoum et Agenorem in eodem hospitio deprehensos perimunt. Patrem ulti Psophidem

1) In fine narratiunculae adiectiuum Nysius quo patria significatur Tlesimenis stare nequit; ni fallor hunc quoque sicut reliquos epigonos Argiuum Hyginus nominarat.

2) Quod Ladocea locus suburbanus Megalopolitanorum in honorem Ladoci Echemo geniti nominabantur sero incolarum commento debetur. Paus. VIII 44, 1.

3) Sepulcrum in patria cernebatur. Paus. VIII 53, 10.

4) Paus. VIII 5, 2. Schol. Ven. a Il. β 603 Aleum Agapenoris auum esse notat; nescio an Lycurgi nomen librariorum culpa interciderit sicut Alei in schol. Ven. b Il. β 609.

uenerunt ac Phegeum uxoremque necant. Hos ciues oppidi scelere exacerbati casso euentu usque ad Tegeatarum fines persecuntur, ubi Agapenor cum manu suorum et Argiuorum pars pulsos adiuuant, Psophidios in fugam uertunt. Talia apud Apollodorum (III 7, 5, 6 — 6, 3) prodita exstant [1]); quibus nouum continetur documentum Tegeatarum reges non toti Arcadiae imperasse, quamuis potentia ceteris terrae primoribus praecellerent.

Ut plerique aequalium procerum Graecorum Agapenor in numero Helenae procorum erat, cuius a patre Tyndareo ad fatale illud iusiurandum adactus est quo belli Troiani particeps fieri cogebatur [2]). Attamen uno Homeri loco (Il. β 603—614) fabula de expeditione eius Troiana nititur, qui cum in nauium recensu legatur non ita antiquae est originis. Ibi accolae Cyllenae montis ciuesque Phenei, Orchomeni, Rhipae, Stratiae, Enispae [3]), Tegeae, Mantineae, Stymphali, Parrhasiae ductu Agapenoris sexaginta nauibus in Phrygiam uecti esse dicuntur [4]). Quod Agamemno rates eis praebuisse memoratur, hoc signum habetur iura quaedam Mycenarum principem in partem

---

1) Pausanias (VIII 24, 10) Temeno et Axioni item Phegei liberis culpam Alcmaeonis interfecti tribuit eosque impunitos post patrem Psophide tunc etiam Phegia appellata regnasse, bello autem Troiano non interfuisse ait propter facinus suum Argiuorum principibus quorum plurimi Alcmaeonis cognati essent inuisos.

2) Apollod. III 10, 8, 1. 9, 2, Hyg. Fab. 81. 97.

3) Oppida Rhipe, Stratie, Enispe iam Strabonis aetate nullum sui uestigium ostendisse uidentur. Strab. VIII p. 388. Cf. Paus. VIII 25, 12, Eust. ad Il. p. 301 sqq.

4) Ciues Teuthidis oppidi separatim ductos a Teuthide quem alii Ornytum uocarent Aulidem exisse commemorat Pausanias (VIII 28, 4 sqq.). Ibi dux discordans cum Agamemnone domum reuerti maluit. Quem cum Minerua mortalem induens figuram prohibere uellet, uulnerato deae crure exercitum reduxit. Poena non diu eum remorata est. Ipse in reditu phantasmate numini uulnerato simili, ciuitas pestilentia et infecunditate agrorum uexata est, dum iram Palladis posito simulacro in quo uulnus conspicuum erat placauerunt. Sauciae ab Ornyto Mineruae meminit etiam Clemens Alexandrinus [Protr. 31 (P)] Polemone auctore. Uidetur haec fabula in Stasini Cypriis locum habuisse.

Arcadum exercuisse [1]). Troia excisa rediens Agapenor Cyprum delatus Paphum condidisse [2]) Uenerique fanum celeberrimum Palaepaphi aedificasse fertur, quae huc usque in Cypro insula Golgis sanctissimam uenerationis sedem obtinuerat. Aliquanto post Laodica e posteritate Agapenoris peplum Cypro Tegeam misit Mineruae Aleae donario, cui inscriptum erat epigramma a Pausania (VIII 5, 3) memoriae proditum [3]).

Praeter Periegetam testes de Agapenoris colonia dantur hi: Strabo (XIIII p. 683: ἡ Πάφος κτίσμα Ἀγαπήνορος), Aristoteles (Epigr. 30 in Bergkii Lyr. II p. 350), Herodotus (VII 90) ubi pars Cypriorum ex Arcadia oriundi dicuntur, Theopompus qui in libro duodecimo Philippicorum (Phot. Bibl. Cod. 176 p. 202 H.) Graecos Agamemnonem secutos Cyprum occupasse eiecto Cinyra cum suis tradidit. Denique Lycophronis Alexandrae uersibus 479 sq. et scholiis eo pertinentibus Agapenorem metallifodinas insulae aperuisse noscitur.

De colonis ex Arcadia Cyprum deductis ulla dubitatio exsistere nequit, quia dialecti populorum inter se sunt simillimae, quod luculenter perspicias si locutionem tituli aedificialis Tegeatici et tabulae Idaliensis (Caueri Del. 472) contuleris [4]). Nec quidquam aduersatur quin temporibus adeo uetustis id factum esse teneamus ficticiamque ad ipsam Arcadum et Cypriorum adfinitatem declarandam Agapenoris personam detrectemus. Alia quaestio est de eiusdem exitu ad bellum Troianum, quod quoniam ne Homerus quidem Arcades in campo Iliensi pugnantes memorat posteriorum figmentum habebimus, quicum colonia Paphum deducta probe conciliari potuerit. Nostra igitur opinio est non Troia reuertentem sed patria expulsum Agapenorem Cyprum aduenisse Hippothoi scilicet impetu coactum.

1) Thuc. I 8, 3—4.

2) Olim Erythrae dicebatur posteriorum Paphus. Steph. Byz. Ἐρυθραί.

3) Idem scriptor ab eadem Laodica, quam Paphi regnum proaui possedisse suspicamur, templum Paphiae Ueneris quod inter memorabilia Tegeae aedificia enumeratur exstructum narrat. Paus. VIII 53, 7.

4) Cf. Raoul — Rochettii Histor. deduction. coloniar. Graec. II p. 391 sq., Bergkium: De titulo Arcadico (Opp. II p. 324 sqq.).

Trapezuntiorum regi subacta pristino Tegea Arcadiae principatu destituta est, quem Parrhasiorum gens regnumque Elatidarum recuperauit. Quamquam hos per exiguum temporis spatium orientalem terrae partem in qua sita erat Tegea retinuisse probabile est, cum posthac proprii Tegeatarum principes compareant nec omnino facile propter locorum iniquitatem maiores in Arcadia dominatus durare potuerint. Proin qui Trapezunte ex Elati stirpe Hippothoi deinceps heredes exstiterunt, cum minus pertineant ad nostram causam paucis absoluere libet. Plurium nomina quippe quae nullibi exceptis Pausaniae Arcadicis (VIII 5, 4—13) obuiam fiant, pro seris commentis quibus saeculorum obscuritas tamquam pusillis facibus inluminaretur accipienda existimo.

Alter Aepytus Hippothoi filius ut templum Neptuni Mantineae uisit, quod adire homines sancta lege prohiberentur, oculorum lumine priuatus esse narratur. Cypselo regnante Dorienses Peloponnesum inuaserunt. Ne Arcadiam quoque occuparent quod quin temptarint dubitari nequit, non tam Cypseli astutia qui Meropam filiam Cresphonti Heraclidae in matrimonium dedisse traditur quam uirtute Arcadum inhibitum uidetur [1]). Idem Basilim nouam imperii sedem prope Alpheum condidit [2]). Holaeas qui Cypselo successit Aepyto sororis filio patrium regnum Messeniorum restituit. Secuntur Bucolio [3]), Phialus per quem nomen in Phialiam mutasse fertur oppidum ante Phigalia a Phigalo Lycaonis filio siue homine indigena aut a Phigalia nympha Dryade dictum [4]). Iam Simus, Pompus, Aeginetes sceptrum gessisse putantur; tertii nomen a commercio esse ductum quod illis temporibus cum Arcadiae

1) Paus. IV 3, 6, Nicol. Dam. fr. 39 (M.), Polyaen. I 7.

2) Paus. VIII 29, 5, Nicias ap. Ath. XIII p. 609.

3) Bucolio (Bucolium: Plin. N. H. IV 6, 20) uicus Arcadiae aut hunc aut uetustiorem eiusdem nominis Lycaone natum heroem eponymum coluisse uidetur. Thuc. IV 134, Apollod. III 8, 1, 3.

4) Paus. VIII 39, 2. 3, 1—2. Uidetur tum ad Phigalenses Arcadum principatus transisse. Cf. Steph. Byz. *Φιγάλεια*. Nominis forma recentior titulis nummisque confirmatur.

populis Aeginetae habuisse produntur consentaneum est. Quos Polymestor Charilai aequalis excepit; dein Aechmis qui priore bello Messeniaco Aristodemum Messeniae regem Arcadicis copiis adiuuit. De quo Aristocrates natus est, uir indignus potentia sibi commissa. Is cum sacerdotem Dianae Hymniae ad ipsum deae signum stuprasset, lapidibus a populo obrutus digno fato perfunctus est.

Filium eius Hicetam et nepotem Aristocratem alterum ultimos Arcadiae reges fuisse Pausanias contendit. Hic enim altero bello Messeniaco donis a Lacedaemoniis corruptus bis Aristomenem eiusque ciues quibuscum societatem inierant Arcades prodidit, et in pugna ad magnam Fossam et post captam Iram, cum Messeniorum dux cum electa manu Spartam a ciuibus desertam opprimere uellet. Posterior autem perfidia detecta ab Arcadibus consimilem ei atque auo parauit necem: in conspectu Aristomenis aliorumque Messeniorum qui regis scelere patriam amiserant lapidatus est et corpus mortui sine exsequiis trans fines terrae portatum [1]). In sempiternam rei memoriam tabula cum epigrammate in Lycaeo monte ponitur, quam praeter Pausaniam (IV 22, 7) Polybius (IV 33) nouit e Callisthenis Historia Graeca. Strabo (VIII p. 362) Aristocratem non Trapezunte ut Pausanias uerum Orchomeni regnasse indicat, cui maiorem nos fidem habebimus, etsi locorum uicinitas Trapezuntiis cum Messeniis intercedens illi fauere uidetur. At quippini ipse rex aut maiorum aliquis Parrhasiam cum oppido Trapezunte Orchomeniis subiecerit? [2]) Diogenis quidem Laertii (I 94) testimonio Heraclides Ponticus in libro de Imperio Aristocratem — ut posterior intellegatur tempora poscunt — filiumque toti ferme Arcadiae dominatos esse aiebat. Quo simul imminuitur Pausaniae auctoritas de regno Cypselidis una cum

1) Cf. Plut. de sera num. uind. 2.

2) Iam priori Aristocrati regnum Orchomeni uidetur conlocatum fuisse, ut locus suadet flagitii ab eo commissi. Neque illud careat specie probabilitatis, inde ab Aechmide aliam gentem regiam principatum Arcadiae adeptam esse, quoniam Aechmis non filius appellatur principis qui praecessit sed fratris filius; haec nescio an Orchomeni sedem habuerit.

morte Aristocratis adempto narrantis [1]). Forsan hac in re aut Rhiani poemate aut Arcadum traditione ductus fuerit, quae aptiorem regni finiti occasionem pronuntiare non posset.

His de Pausaniae serie regum Arcadicorum praemissis nunc regni Tegeatici post Hippothoum uestigia indagare conabimur. Qua in quaestione subdifficili certa rerum tempora et conexus extricare uix continget in tanta testimoniorum paucitate et caligine. Iuuat quod principes illi nusquam separati memorantur ab incursionibus Lacedaemoniorum in agros Tegeaticos factis. Iam primum eos Charilao duce inrupisse Pausanias (VIII 5, 9) docet. Cuius quoniam patruus et tutor Lycurgus plerumque dicitur [2]), de aetate belli in uniuersum licet iudicare.

Rem duobus praeterea locis Pausanias tractat (VIII 48, 4—5, III 7, 3), illic accuratius exponens hic tangens magis [3]). Ac priore quidem nomen Martis Gynacothoenae declarat, cuius signum pilae insculptum in foro Tegeatarum cernebatur: *ἐπὶ γὰρ τὸν* [4]) *Λακωνικὸν πόλεμον καὶ Χαρίλλου τοῦ Λακεδαιμονίων βασιλέως τὴν πρώτην ἐπιστρατείαν λαβοῦσαι αἱ γυναῖκές σφισιν ὅπλα ἐλόχων ὑπὸ τὸν λόφον ὃν Φυλακτρίδα ἐφ' ἡμῶν ὀνομάζουσι· συνελθόντων δὲ τῶν στρατοπέδων καὶ τολμήματα ἀποδεικνυμένων ἑκατέρωθεν τῶν ἀνδρῶν πολλά τε καὶ ἄξια μνήμης οὕτω φασὶν ἐπιφανῆναί σφισι τὰς γυναῖκας καὶ εἶναι τὰς εἰργασμένας ταύτας τῶν Λακεδαιμονίων τὴν τροπήν, Μάρπησσαν δὲ τὴν Χήραν* [5]) *ἐπονομαζομένην ὑπερβαλέσθαι*

1) Cf. Muelleri Dor. I p. 150. Falsi Plutarchi (Parall. 32) historiolae, qua uel aetate belli Peloponnesiaci reges fuisse Orchomeniorum appareret, ut hominis non nauci nihil tribuimus.

2) Charilai loco Herodotus (I 65) — cf. Paus. III 2, 3 — Labotam ponit.

3) Adde breuem rei commemorationem in Phocicis (9, 6).

4) Hic alii libri *τόν* alii *γὰρ τόν* omittunt, quae nisi maiorem lacunam statuimus quod opus esse non uidetur quam maxime requiruntur. Ita autem praepositio *ἐπί* non facit ad sequentia uerba; cum proxima legantur *ἐπὶ στήλῃ* et *ἐπιστρατείαν*, error librario pronus erat cui medellam admouet Sylburgii coniectura *ὑπό*.

5) *Χήραν* quod significat mulierem uiduam non codicum nititur consensu, quorum nonnulli *χῶραν* uel *χώραν* exhibent. Inde Dindorfium

τῇ τόλμῃ τὰς ἄλλας γυναῖκας, ἁλῶναι δὲ ἐν τοῖς Σπαρτιάταις καὶ αὐτὸν Χάριλλον· καὶ τὸν μὲν ἀφεθέντα ἄνευ λύτρων καὶ ὅρκον Τεγεάταις δόντα μήποτε Λακεδαιμονίους στρατεύσειν ἔτι ἐπὶ τὴν Τεγέαν παραβῆναι τὸν ὅρκον, τὰς γυναῖκας δὲ τῷ Ἄρει θῦσαί τε ἄνευ τῶν ἀνδρῶν ἰδιά τε[1] ἐπινίκια καὶ τοῦ ἱερείου τῶν κρεῶν οὐ μεταδοῦναι σφᾶς τοῖς ἀνδράσιν· ἀντὶ τούτων μὲν τῷ Ἄρει γέγονεν ἐπίκλησις. Loco e Laconicis laudato id noui addiscimus, quod Lacedaemonii fallaci oraculo inducti Tegeatidem a reliqua Arcadia resectum iri sperauerant. Qua de re ampliorem doctrinam pater historiae (I 66) suppeditat.

Is postquam de Lycurgi legibus disseruit, sic pergit in Spartanorum rebus enarrandis: *Οἷα δὲ ἔν τε χώρῃ ἀγαθῇ καὶ πλήθεϊ οὐκ ὀλίγων ἀνδρῶν ἀνά τε ἔδραμον αὐτίκα καὶ εὐθενήθησαν· καὶ δή σφι οὐκέτι ἀπέχρα ἡσυχίην ἄγειν, ἀλλὰ καταφρονήσαντες Ἀρκάδων κρέσσονες εἶναι ἐχρηστηριάζοντο ἐν Δελφοῖς ἐπὶ πάσῃ τῇ Ἀρκάδων χώρῃ. ἡ δὲ Πυθίη σφι χρᾷ τάδε·*

Ἀρκαδίην μ᾽ αἰτεῖς; μέγα μ᾽ αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.
πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανήφαγοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ σ᾽ ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγαίρω.
δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι
καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Ταῦτα ὡς ἀπενειχθέντα ἤκουσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι, Ἀρκάδων μὲν τῶν ἄλλων ἀπείχοντο, οἱ δὲ πέδας φερόμενοι ἐπὶ Τεγεήτας ἐστρατεύοντο χρησμῷ κιβδήλῳ πίσυνοι, ὡς δὴ ἐξανδροποδιεύμενοι τοὺς Τεγεήτας. ἐσσωθέντες δὲ τῇ συμβολῇ, ὅσοι αὐτῶν ἐζωγρήθησαν, πέδας τε ἔχοντες τὰς ἐφέροντο αὐτοὶ καὶ σχοίνῳ διαμετρησάμενοι τὸ πεδίον τὸ Τεγεητέων ἐργάζοντο. αἱ δὲ πέδαι αὗται, ἐν τῇσι ἐδεδέατο, ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἔσαν σόαι ἐν Τεγέῃ, περὶ τὸν νηὸν τῆς Ἀλέης Ἀθηναίης κρεμάμεναι[2].

(Praef. p. II) non falsum esse credo ex Herodiani loco mox adferendo restituentem *Χοίραν*.

1) Haud absone in minore editione Schubartus *τε* male idoneum in *τά* correxit mutato praegredientis uoculae accentu ut aduerbium *ἰδίᾳ* legeretur.

2) Cf. Diod. IX 36, schol. Aristid. p. 561 (Dind.), Lepidum ap. Steph. Byz. *Τεγέα*, Eust. ad Il. p. 301, Dion. Chrys. XVII p. 469.

Dissidet ab his testimoniis Diniae Argiui fragmentum Argolicorum apud Herodianum *περὶ μονήρ. λέξ.* (II p. 913) seruatum: *Λέγεται δὲ τοὺς Λακεδαιμονίους, καθ' ὃν ἐν Τεγέᾳ χρόνον ἦσαν αἰχμάλωται, δεδεμένους ἐργάζεσθαι διὰ τοῦ πεδίου τὸν Λαχᾶν ποταμόν, Περιμήδας ἐν Τεγέᾳ δυναστευούσης, ἣν οἱ πλεῖστοι καλοῦσι Χοίραν.*

Pausaniae, Herodoti, Diniae narrationes ad idem spectare factum in propatulo est; quarum communia habentur clades Lacedaemoniorum et captiuitas. Periegetae peculiare est feminas Marpessa duce uictoriam perfecisse, Herodoti et Diniae captos hostes uinctos opus fecisse [1]), Argiui id actum esse Perimeda Tegeae regnante cuius cognomen in Pausaniae Marpessa redire uidetur. Porro proprium est Arcadicorum auctoris quod Charilaus rex Spartanorum gratis e captiuitate dimittitur, postquam iure iurando confirmauit numquam amplius se bellum Tegeatis inlaturum; nec tamen eum iuramento stetisse. Denique Dinias negotium captiuis impositum certius terminat quos Lacham fluuium per planitiem ducentes faciat [2]). Tametsi aliunde nihil de Lacha Tegeatidem inriganti constat [3]).

Quin Perimeda et Marpessa secerni nequeant nemodum addubitauit. Quaeritur quem ad modum regiam dignitatem adsecuta esse uideatur. Namque id praeter consuetudinem est propriae Graeciae, ut feminae regnum hereditate acceperint [4]). Uerum edepol nihil obstat quin coniuge mortuo uiduam reginam pro liberis impuberibus principis officia exercuisse sta-

1) Quod tamen et ipse nouit Pausanias (VIII 47, 2).

2) Saepius in campis Arcadicis accidit ut riui in cursu praepediti agros inundarent. Quod ne quando Tegeatis noceret, uadum fluuii tum muniri iussere.

3) Nescimus an idem fuerit cum Garate uel Gareate amne qui pagum Gar[e]atarum percurrit. Paus. VIII 54, 4. Potest uerius nomen fuisse Diniae Lachas, cum accolae a regionis significatione amnem uocarent. Quid in uoce *Λαχᾶς* notionis insit Hesychii glossae ostendunt: *λαχαίνειν· ὀρύσσειν, σκάπτειν* et *λάχεια· εὔσκαφος καὶ εὔγειος· παρὰ τὸ λαχαίνεσθαι, ὅ ἔστι σκάπτεσθαι πυκνῶς.* Cf. Konerum p. 11 n. 7.

4) Cf. Muelleri Dor. II p. 407.

tuamus [1]). Quod eadem bellicosissima fuit et in proelio illo ipsos uiros uirtute anteiuit, inde Pausaniae fabula traditioni oppidanorum debita feminas Tegeatidas plurimum contulisse ad consummandam uictoriam originem cepit. A sacris igitur gratulatoriis quae una mulier Marti obtulit deus cognominatus est. Marpessa autem Pausaniae agnomen est e populari sermocinatione adreptum et propter captos uel occisos hostis inuentum. Minus alterum agnomen Perimedam commendat quod est *Χοίρα* [2]).

Charilai calamitate haud quaquam Lacedaemonii deterriti sunt quo minus impetus in Tegeatarum oppidum redintegrarent; quin ipsum Charilaum iterum cum illis belligerasse feliciore ut uidetur euentu Pausanias testatur [3]). Et uaria quidem fortuna bellum acerrimum quo nonnumquam implicati sunt Argiui perdurauit. Libertatem uero nullo tempore fortissimae Arcadum genti eripere Spartani ualuerunt, etiamsi pluries iam in eo esset ut oppidum occuparent ueluti Elne regnante plane incerta aetate. De quo non nisi per Polyaenum (I 8) instituimur: *Ἕλνης βασιλεὺς Ἀρκάδων Τεγέαν πορθούντων Λακεδαιμονίων ὅσοι μὲν ἐν ἀκμῇ κατὰ κορυφῆς ἔπεμψε τῶν πολεμίων* [4]*), νυκτὶ μέσῃ κελεύσας ἐπιθέσθαι· ὅσοι δὲ γέροντες καὶ παῖδες, τούτους ἐκέλευσε πρὸ τῆς πόλεως τὴν ἴσην ὥραν φυλάξαντας πῦρ ἀνακαῦσαι μέγιστον. Οἱ πολέμιοι πρὸς τὴν τοῦ πυρὸς ὄψιν ἐκπλαγέντες ἐς τοῦτο ἀπεσκόπουν. οἱ δὲ κατὰ κορυφῆς ἐμπεσόντες τοὺς πλείστους αὐτῶν διέφθειραν, πολλοὺς δὲ ζωγρήσαντες ἔδησαν. Καὶ τὸ λόγιον ἐτελεύτησε·*

Λώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι.

---

1) Sic *Χήρα* quod attributum Marpessae plerique Pausaniae libri perperam exhibent e nota eruditioris cuiusdam magistri in uerborum ordinem inrepere potuit.

2) Vide Plassium de tyrannide I p. 167 sq.

3) Num Theopompus quem in custodia Tegeatarum retentum doloque Chilonidis uxoris in libertatem uindicatum Polyaenus (VIII 34) memorat rex ille celeberrimus Lacedaemoniorum fuerit necne ambiguum est.

4) Hic uerba *κατὰ κορυφῆς* sensu non differre remur a locutione usitatiore quae est *κατὰ νώτου*.

Eandem rem Pausanias (VIII 53, 10) intellegit, quamuis primo obtutu aliena esse uideatur huius narratiuncula e Tegeatarum sermonibus hausta. Lacedaemonios festis Iouis Clarii diebus ciues Tegeae adgressos esse. Cum uero ningeret caelum hostes frigore uexatos grauiter sub armis laborasse. Ipsos autem clam illis ignes accendisse nec iam gelu rigentes contra Spartanos exisse ac superiores discessisse. Uterque igitur scriptor igne aduersarios in fugam uersos facit, cuius figmenti fundamentum est asperitas caeli Arcadici quae mirum quantum Spartanorum conatibus obfuit. Cum multos hostes captos esse itaque oraculum ex Herodoto cognitum euentum suum habuisse Polyaenus adiungat, de confusione huius rei et uetustioris Charilai infortunii cogitare libeat, quod non opus est si quidem Pythiae responsum etiam in posterum ualere potuit.

Nec non Acuen ab eodem Polyaeno (I 11) laudatum Tegeae regem fuisse putamus licet non ita appelletur. Tempora eius prorsus ignota frustra uiri docti exuere tenebris conati sunt. Secundum Dunckerum (Hist. ant. V p. 435) in pugna Hysiana Argiuis imperauit quam persequens uictoriam libertatem reddiderit Tegeatis. Nititur fragmento Diodori (VII 14b): *Ὅτι Ἀργεῖοι πολλὰ κακοπαθήσαντες ἐν τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους μετὰ τοῦ ἑαυτῶν βασιλέως καὶ τοῖς Ἀρκάσι τὰς πατρίδας ἀποκαταστήσαντες ἐμέμφοντο τὸν βασιλέα διὰ τὸ τὴν χώραν αὐτῶν ἀποδεδωκέναι τοῖς φυγάσιν, ἀλλὰ μὴ σφίσι κατακληρουχῆσαι. συστάντος δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὸν τοῦ δήμου καὶ τὰς χεῖρας ἀπονενοημένως προσφέροντος ἔφυγεν εἰς Τεγέαν κἀκεῖ διετέλεσε τιμώμενος ὑπὸ τῶν εὖ παθόντων.* Praeiit uiam G. F. Unger (Phil. XXVI p. 369 sqq.) Polyaeni uerba: *Ἀκούης Λακεδαιμονίων Τεγέαν προδοσίᾳ νύκτωρ καταλαβομένων τοῖς ἰδίοις ὁπλίταις ἔδωκε σύνθημα κτείνειν τοὺς τὸ σύνθημα ἐρωτῶντας. Οἱ μὲν δὴ Ἀρκάδες οὐκ ἐπηρώτων, οἱ δὲ Σπαρτιᾶται ὡς ἐν νυκτὶ ἀγνοοῦντες καὶ διὰ τούτων ἐρωτῶντες ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων ἀνῃροῦντο* sic explicans: Lacedaemonios tum Tegeam obtinuisse; Acuae uero contigisse ut subito facta in oppidum inruptione hostile praesidium opprimeret. Iam offendit uirum doctum, quod de ratione qua Lacedaemonii

in urbem intrarint praeter necessitatem referatur, cum quo modo Acues Tegea potitus sit silentio praetermittatur; qua re scribi maault: *Ἀκούης Λακεδαιμονίων κατεχόντων Τεγέαν προδοσίᾳ νύκτωρ καταλαβόμενος* e. q. s.

Alteram difficultatem in eo deprehendit, quod Arcades primum oppressi sunt tum ipsi oppressores. Illic iure nomen poni, quoniam Tegeatae intellegantur qui symbolum non percontando conseruati sint; contra hic Arcades dici Acuae milites incurrentes, qui si Arcades essent ab illis epitheto distingui debuerint. Proinde altero loco pro *Ἀρκάδων* scribit *Ἀργείων*. Argiuorum autem regem Acuen in Ptolomaeorum maioribus quorum seriem Theophilus (ad Autol. II 7) ex Satyro prodidit repperisse sibi uidetur. Ibi cum quartus in Temeni stirpe *Ἀκοός* uocetur, nomina *Ἀκούης* et *Ἀκοός* nihil inter se differre contendit, quia passim *ος* et *ης* in suffixis substantiuorum commutentur.

Iam ratione temporum ad uetustiorem aetatem quam Duncker referre principem cogitur, ut Charilai fiat aequalis qui sane cum Argiuis quoque bellum gessisse narratur [1]). At is non cepit Tegeam [2]).

Neque omnino de Argiuo Acue qui Tegeam liberauit cogitare possum. Nolo premere quod Acuus apud unum Satyrum inter Argiuorum reges nominatur et siletur a Theopompo. Sed uerba Polyaeni quae Unger trifariam corrigit sanissima sunt. Quidni Acues dux siue rex Tegeatarum habeatur, qui patriam oppugnatam cum ciuibus defenderit? Nonne potuit certior factus hostes per unam portam a proditoribus apertam introisse suos milites de moenibus et uallis in forum reuocare ubi inruentibus resisterent? Iam nocte fretus qua Lacedaemonii proelio comminus conserto aduersarios a suis distinguere prohiberentur hoc symbolum dedit, ut qui symbolum interrogasset occideretur. Tum nimirum Arcades non sciscitantur, Spartani uero nescii et symbolum quaeritantes ab oppidanis agniti necantur.

1) Paus. III 7, 3. Cf. Busolti Hist. Gr. I p. 162 n. 4.

2) Vide Dunckerum (V p. 228 n. 2).

Minus lubricum de aetate regis Argiuorum Tegeae exsulantis iudicium. Quem in proelio Hysiano anno a. Chr. 669/68 commisso [1]) Argiuis praefuisse censemus. Quin diuturna bella cum Argiuis et Arcadibus gesta praecesserint, quin antea pars Arcadiae ipsaque Tegea in dicionem Lacedaemoniorum redacta fuerint, uel propter situm Hysiarum dubitare nolim. Accepto insigni illo detrimento quidquid bellando profecerant continuo Spartani amiserunt. Neque enim diutius Arcades iugum impositum tolerasse probabile est, in quo excutiendo ab Argiuorum rege acriter uidentur esse subleuati.

Eis quae alias de regno Temenidarum produntur hoc non repugnat. Principum seriem Muellero (Dor. II p. 104 n.) potissimum auctore sic constituimus: Temenus, Cisus, Medo, Thestius, Acuus, Aristodamidas, Eratus, Phido. Medonem sane nusquam legimus aut filium fuisse Cisi aut in regno ei successisse, quod corrupta meruit Pausaniae memoria. Nam cum haec exstent loco laudando (II 19, 2): *Ἀργεῖοι δὲ ἅτε ἰσηγορίαν καὶ τὸ αὐτόνομον ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτου τὰ τῆς ἐξουσίας τῶν βασιλέων ἐς ἐλάχιστον προήγαγον, ὡς μηδενὶ τῶν Κείσου καὶ τοῖς ἀπογόνοις ἢ τὸ ὄνομα λειφθῆναι τῆς βασιλείας μόνον. Μέλταν δὲ τὸν Λακήδου(δεα) τὸν ἀπόγονον Μήδωνος τὸ παράπαν ἔπαυσεν ἀρχῆς καταγνοὺς ὁ δῆμος,* quorsum nominetur Medo plane nescimus. Qua re quoniam paulo supra id nomen scribarum socordia oblitteratum esse apparet, prona uidetur Musgrauii coniectura (Tract. p. 324) pro *μηδενί* scribentis *Μήδωνι,* pro *τῶν* quod sequitur *τῷ,* delentis denique *ἤ* cum aliquot libris.

Tum Medo non diuersus est a Satyri Marone et Theopompi [2]) Merope. Eratum filium fuisse Aristodamidae fratremque Phidonis arbitror. Is circa initium olympiadum Dryopes, qui Nicandro post Charilaum Spartae regi fines Argiuorum deuastanti auxilium tulerant, simulac domum reuertere Lacedaemonii ex oppido Asine eiecit [3]). Quod si ille uel liberi a

1) Paus. II 24, 8. 2) Diod. VII 15.
3) Paus. II 36, 4—5. IV 8, 3.

Phidone pulsi sunt regno, bene declaratur tyranni nomen quamuis reliqua eiusdem uiolentius facta eodem pertineant.

Ceterum nullibi adfirmatur quotquot maiores Carani enumerentur tot Argis regnasse; ergo magis probabilitatem quam ueritatem adfectamus. Deinde cum Ephoro [1]) qui decimum a Temeno Phidonem dicit haec disputatio pugnat. Attamen neglegentiorem in eiusmodi rebus Cymaeum fuisse ac saepe ipsum numeros computasse uiris doctis probatur.

Quando floruerit Phido inde cognouimus quod anno a. Chr. 748 celebrandos ludos Olympicos curauit [2]). Nempe perperam Weissenbornius (Hell. init.) apud Pausaniam olympiadis numerum mutauit, ut in medium saeculum septimum tyrannus proueheretur. Quod merito prostrauit G. F. Unger largius de Phidone disputans (Phil. XXVIII p. 399 sqq., XXIX p. 245 sqq.), eademque cecidere ruina quae C. F. Hermannus de Doricis Argiuorum regibus composuit Weissenbornii insistens uestigia [3]).

Principes Phidonem insecuti per totos fere centum annos obliuione teguntur excepto anonymo, ad quem ingrata praemia uictoriae Hysianae a ciuibus delata sunt. Quidni liceat tam sera huic tempora adsignare? Neque enim recte adnotauit C. Mueller [4]) nos multum descendere infra primam olympiadem uetari ut uideretur sequenti fragmento Escorialensi quod necem Amulii tractat. Scilicet in describendis rebus uetustissimis non ita anxie Diodorus rationem chronologicam obseruauit, praesertim ubi tempora parum certa erant. 'In primis autem hunc morem secutus est, ut sub urbium initia breui enarratione fata earum exponeret.' [5]).

1) Strab. VIII p. 358. 2) Paus. VI 2, 2.

3) Tract. conu. phil. XIV p. 36 sqq. 4) Fr. hist. II p. VIII.

5) V. Heynium: de fontibus Diodori (edit. Dind. II p. XXII n. 3). Exempla haec appono. Syncello teste (p. 194) septimo Diodori libro Romae conditae et originum gentis ab Aenea ductae memoria inerat (fr. 3—4 Dind.), ut necesse sit in historia Aeneae hac de re actum esse. In excerptis autem de Virt. et Vit. p. 547 (fr. 10 Dind.) rebus Spartanorum praecedit frustulum de Aristodemo Malaco Cumaeorum tyranno qui aequalis fuit Tarquinio Superbo. Quod eo loco Diodorus uidetur adscripsisse quo de Cumarum principiis egerat. Praeterea in Exc. Vat. p. 3 (fr. 17 Dind.) antequam Romuli

Citra medium saeculum septimum Damocratidas euersor Naupliae Argiuis imperasse uidetur, quoniam sub finem secundi belli Messeniaci quod ad tempora nimis prisca Pausanias relegat Nauplienses nuper e patria eiecti dicuntur [1]). Inde circiter annum a. Chr. 600 alter Phido regnauit, ab Herodoto (VI 127) cum priore confusus loco illo clarissimo quo proci Agaristae Clisthenis Sicyonii filiae enumerantur: *Ἀπὸ δὲ Πελοποννήσου (ἦλθε) Φείδωνος τοῦ Ἀργείων τυράννου παῖς Λεωκήδης, Φείδωνος δὲ τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος Πελοποννησίοισι καὶ ὑβρίσαντος μέγιστα δὴ Ἑλλήνων ἁπάντων, ὃς ἐξαναστήσας τοὺς Ἠλείων ἀγωνοθέτας αὐτὸς τὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ ἀγῶνα ἔθηκε.*

Immerito opinor totam narrationem pro fictione poetica quidam duxerunt uelut nouissime Busoltus (Hist. Gr. I p. 140 n. 3). Populi memoriam Herodotus uidetur secutus esse, quae historiam petitionis Agaristae nitide commentis adornarat; sed nomina principum non inuenta sunt ab hominibus neque ex altioribus aeuis repetita. Quod cum in fonte Halicarnassius Leocedam Phidone natum Argiuorum rege legisset, in hunc Phidonem errore chronologico transtulit quae de abauo homonymo compererat [2]). Alii inimicitias inter Clisthenem et Argiuos susceptas narrationi Herodoteae refragari dicunt. At e re fuit Clisthenis postquam Olympiae uicit talia discidia missa facere omnesque Graecos nobiliores ut proci fierent inuitare. Neque Argiui Heraclidae ei erant qui oblatam reconciliationem respuerent, cum natura quodam modo socii essent Spartae inimicorum. Parum uero eos callere sermonem Herodoti censeo, qui male intellecta particula *δέ* ui quadam adnectenti repetitum nomen locum de quo agitur mendosum habuerint. Quos non tam exempla a Steinio (ad I 64, 10) laudata quam hic locus extremi libri (c. 73) refellunt: *ἐκ δήμου Δεκελεῆθεν, Δεκελέων δὲ τῶν κοτε ἐργασαμένων . . . .*

---

et Remi fiat mentio, de Perdicca Macedonum rege primo huius nominis qui multo post Romam conditam uitam degit narratur.

1) Paus. IV 24, 4. 35, 2.

2) Similiter paulo supra (c. 125) in temporum rationem peccauit, cum Alcmeonem circa annum a. Chr. 600 florentem ad Croesi aulam arcessat.

Lacedae regnum posterioris Phidonis filii duobus testimoniis nititur, altero Pausaniae (l. l.) quo Meltae pater uocatur, altero Plutarchi (de cap. ex hoste util. 6) ubi paene nulla mutatione *Λαχήδην* cum Od. Muellero scribimus. Hinc mollitie eum infamatum fuisse cognoscimus. Meltae si uis Pausaniae credere damnato a populo quantum maioribus relictum erat regiae potestatis demptum est. Plutarchus uero (de Alex. uirt. 8 conl. de Pyth. orac. 5) Heraclidarum genus Argis emortuum esse adserit; quo facto ad Aegonem principatum transisse, cuius domus aetate belli Persici hac dignitate insignis fuisse uidetur. Namque etiam tum Herodoto auctore (VII 149) regnum Argis durabat. Quem testium dissensum non possum non a pusilla Pausaniae industria deriuare; nimirum Meltam cum uetustiore rege — illum dico qui Tegeae exsulauit — peruerse commutauit [1]).

Iam ut reditus fiat ad Tegeatas, quo tempore abolita sit regia potestas ne diuinando quidem adsequimur. Certe Croesi aetate cum Lacedaemonii Tegeam in societatem suam adsciuissent, mansisse regnum ueri dissimile est. Id enim impense illi operam dabant ut nobilium in oppidis sociis instituerent imperium. Quid? quod de regni genere omnis nos deserit memoria? In uniuersum tamen aegre Tegeatae a ceteris Graecis hac in re nimis recesserunt, ita ut de regibus senatus auctoritate ac populari iure in contionibus adsentiendi cohercitis cogitare liceat. Videlicet ut alibi per saeculorum decursum pedetemptim potestas eorum est imminuta, donec liberam rei publicae formam ciues constituerunt.

1) Meltam extremum gentis fuisse coniectura textu scriptoris obtrudere studuit Unger (Phil. XXIX p. 267) ante *ἀπόγονον* inserens *ἕσχατον*. Numerum enim ad uocem *ἀπόγονον* desiderat. Multo leniore medicina Schubartus in minore editione usus una adiecta litterula *δεα τόν* in *δέκατον* mutauit quod tamen cum temporum ratione pugnat. Mihi secus stat iudicium atque illis. Ipse Unger exempla omissi numeri attulit (Phil. XXIX p. 269) quod in membris familiae nimium a proauo distantibus accidisse profitetur. Id uero facit ad nostram causam. Vide igitur quam sana sit memoria, si modo deleuerimus litteras *δεα* dittographia haud dubie natas.

Caput IV.

De libera re publica.

Enarraturi sumus ultimo capitulo primum historiam liberae Tegeatarum ciuitatis quam maxime concisam; dehinc singula deinceps instituta rei publicae persequemur.

I. Grande et memoria dignissimum certamen montani Tegeatidis incolae per tantam seriem annorum non infeliciter cum Lacedaemoniis pugnabant, quo tandem superati in societatem uictorum honeste recepti sunt. Quod medio fere euenit saeculo sexto. *Ἐπὶ Λέοντος βασιλεύοντος καὶ Ἡγησικλέος ἐν Σπάρτῃ* [1] *τοὺς ἄλλους πολέμους εὐτυχέοντες οἱ Λακεδαιμόνιοι πρὸς Τεγεήτας μούνους προσέπταιον. κατὰ δὲ τὸν κατὰ Κροῖσον χρόνον καὶ τὴν Ἀναξανδρίδεώ τε καὶ Ἀρίστωνος βασιληίην ἐν Λακεδαίμονι ἤδη οἱ Σπαρτιῆται κατυπέρτεροι τῷ πολέμῳ ἐγεγόνεσαν* [2]). Quo id pacto effectum sit, eis quae secuntur curatius Herodotus exponit [3]).

Consulentibus Spartanis Pythia magis fortunam eis obsecundaturam esse responderat, si Orestis ossa e Tegeatarum finibus ad ipsos attulissent. Atque unus de agathoergis qui uocantur Lacedaemoniorum Lichas nomine indutiarum tempore Tegeam profectus et mentis acumine bustum indagauit et callido furto effossas mortui reliquias in patriam transportauit. Lepidam fabulam confictam esse elucet, qua declararetur cur et Spartae et Tegeae Orestis sepulcra monstrarentur [4]). In Arcadiam filius Agamemnonis secundum fabulas Apollinis oraculo iussus immigrauit altero Aepyto regnante [5]). In memoriam rei quod oppidum antehac ab Orestheo Lycaonis filio

1) Pausanias (III 3, 5) Leonte et Eurycrate patre regnantibus plerumque Lacedaemonios bello Tegeatico detrimenta cepisse tradit. Quibuscum non concinunt quae apud eundem (III 7, 6) de Archidamo et Agasicle aequalibus illorum e Proclidarum familia pronuntiantur: contigisse eis ut uitam quietam nec bellis sollicitatam degerent.

2) Herod. I 65 et 67. 3) Cf. Paus. III 3, 5—6, Solin. p. 25, 20 etc.

4) Paus. III 11, 10. VIII 54, 4. 5) Paus. VIII 5, 4.

Oresthasium dictum erat tum nomen Oresteum [1]) accepisse fertur [2]). Quae etymologia nisi ipsius grammatici additamentum est a Pherecyde [3]) primum et Euripide (El. 1275, Or. 1647) prolata poetarum uidetur inuentum esse; nam Herodotus (IX 11) et Thucydides (V 64) ueriore forma *Ὀρέσθειον* utuntur. De Oreste in Arcadia commoranti praeterea inspice Pausaniam (VIII 34, 1—4), scholium Eur. Or. 1647, Strabonem (XIII p. 582), Stephanum s. u. *Ὀρέσται*. Hinc duplex fabulae traditio conligitur, cum alii priusquam Athenas ueniret Orestem apud Arcades habitasse, alii Areopagi iudicio absolutum hic domicilium conlocasse diemque supremum obisse contenderent. Quarum Euripides utramque sequitur. Illud poetae proprium est ut scholiasta adnotat, quod per unius anni spatium apud Arcades uersantem facit Agamemnoniden. Quem qui morte defunctum esse in hac terra memorabant, partim ipsam leti causam et qua aetate uita decessisset narrauerunt. Asclepiades quidem septuagenarium serpentis morsu perisse auctor exstitit [4]).

De honorata Tegeatarum in societate Lacedaemoniorum condicione id addere placet, quod aerarium bellicum Graecorum commune ea quidem aetate qua nondum Spartae principatus in administrando bello Persico ademptus erat Tegeae

---

1) Nimirum uulgo *τὸ Ὀρέστειον* dicebant; Stephanus s. u. *Ὀρεστία* hanc quoque formam in usu fuisse testatur, cum Eudaemo et Orus scripserint *τὴν Ὀρέστειαν*, ut merito Berkelius codicum *Ὀρέστειον* correxit. Incolae semper *Ὀρεσθάσιοι* audiunt. Sic Pausanias et Roehlii titulus 98 exhibent. Ceterum ab Oreste etiam dimidia pars urbis Megalopolis nomen duxit Orestiae. Steph. Byz. *Μεγάλη πόλις*. Pagum Oresthasiorum Thucydides (IV 134) *Ὀρεσθιόν* nominat.

2) Paus. VIII 3, 2.

3) Schol. Eur. Or. 1645. Hic uerba *τοὺς κατεχομένους ἐπιλύσει* medicina indigent; ego dum meliora proponentur hac acquiesco mutatione non lenissima: *τὸν κατεχόμενον ὑπὸ λύσσης*. Praepositiones *ἐπί* et *ὑπό* saepius a librariis inter se permutantur. Singulari participii numero opus esse existimo.

4) Cf. Theagenis Macedonica apud Steph. Byz. l. l., ubi post *χωρίον* insero *ἐλθών* quod Meinekius proposuit. Vide Bursiani Quaest. Euboic. p. 29.

uidetur fuisse. Hic enim tabula [1]) inuenta est, ubi solutiones uoluntariae a singulis ciuitatibus aut hominibus priuatis ad bellum gerendum Lacedaemoniis pensae recensentur.

In certamine quo barbaros Graeci Xerxis ductu in Europam transgressos propulerunt inter primos Tegeatae uirtute emicuerunt. Thermopylas, Isthmum, Plataeas testes excito [2]). Ut contra Mardonium Peloponnesi copiae tandem praesto essent Atheniensibus Chilaus Tegeates auctor euasit [3]). Illis iam temporibus Tegeatae et Mantinenses, qui ipsi quoque societatis Peloponnesiorum participes exstiterant, longe ceteras Arcadiae ciuitates nominis splendore et uiribus rei publicae anteisse putandi sunt, ut contentio quaedam his duabus de principatu relinqueretur. Quam simultatem ac discordiam diuersitas in ciuili utriusque urbis statu aluerit necesse est. Veri enim simile arbitramur Tegeatis armorum ui subactis uictores rei publicae formam suae ipsorum ciuitati conuenientem obtrusisse. Paucorum igitur ut posteriore aetate Tegeae summa uidetur fuisse potestas. Aliter apud Mantinenses qui sua sponte ad Spartanorum foedus sese applicarant populus rerum tenebat gubernaculum, etsi non ex omni ciuitate sed e parte quadam magistratus eligebantur [4]). Attamen ne Tegeatis quidem defuerunt, qui nouarum rerum cupidi ampliora plebei iura uellent conferre patriamque a Lacedaemoniorum uiolenter factis tutam conlocare. Qui ciues suos si quando conspirationes sociorum in Spartanos fiebant, ut eis interessent interdum permouisse uidentur.

---

1) Est Roehlii inscriptio 69. Ea quae praecedit Posidonii uerba apud Athen. VI p. 233 fulciuntur: *Λακεδαιμόνιοι δ' ὑπὸ τῶν ἐθῶν κωλυόμενοι εἰσφέρειν εἰς τὴν Σπάρτην καὶ κτᾶσθαι ἄργυρον καὶ χρυσὸν ἐκτῶντο μὲν οὐδὲν ἧττον, παρακατετίθεντο δὲ τοῖς ὁμόροις Ἀρκάσιν.* Xuthias enim quem Laconem fuisse dialectus tituli innuit rem familiarem in urbe Tegeatarum adseruasse narratur, quam postea aut ipse repeteret aut se mortuo heredes recuperarent.

2) Herod. VII 202. VIII 72. IX 26—28. 70.

3) *Χείλεως* apud Plutarchum (Them. 6, de malign. Herod. 41) scriptum inuenis, minus recte ut uidetur *Χίλεος* apud Herodotum (IX 9), *Χίλιος* apud Polyaenum (V 30).

4) Arist. Polit. VI 2, 2.

Itaque accidit ut post pugnam Plataeensem et ante tertium bellum Messeniacum duplex illud quod memorauimus certamen Laconibus in Arcadia subeundum esset [1]). Vix huc faciunt ut Mueller (Dor. I p. 188) opinatus est duo Simonidis epigrammata (Anth. Pal. VII 512. 442), quibus ciues Tegeae pro patria defuncti conlaudantur; quae Bergkio suadente (Lyr. III p. 459) ad sedecim Tegeatas in Plataeensi proelio mortuos referre malumus peculiari conditos sepulcro [2]).

Id tamen nullo pacto in dubium potest uocari, quin tunc temporis Cleandridas Gylippi pater [3]) exercitui Lacedaemoniorum fines Tegeaticos ingredienti praefuerit. Quem optimatium possessionibus abstinentem, agros reliquorum deuastantem eo scimus rem adduxisse, ut nobiles iam pridem suspecti tamquam hostium essent amici nunc proditionis a plebe incusati, cum nullam aliam salutis uiam superesse intellegerent, reapse patriae fierent proditores Tegeamque Spartanis dederent [4]).

---

1) Perquam memorabile est quod Mantinenses communi Arcadum periculo defuerunt. Quibus patriae amor tum misera principatus contentione exstinctus esse uidetur. Eandem in re publica rationem secuti sunt, cum Archidamum contra Hilotas rebellantes subleuarunt. Xen. Hist. Gr. V 2, 3. — Vide quae Duncker (Hist. ant. N. S. I p. 122) de his rebus exponit. A proelii Tegeensis aetate haud procul abesse Mycenarum euersionem in qua Cleonaei et Tegeatae satellites adfuerunt Argiuis res ipsae clamant. Strab. VIII p. 377. Haec anno a. Chr. n. 468 tribuenda est. Diod. XI 65. Ne proximo quidem anno cum Leotychides Tegeam secessit, huius oppidi ciues certos Spartanorum amicos fuisse iudicamus. Quid? quod paulo ante Medorum inuasionem discidium fuit inter Lacedaemonios Tegeatasque, quod discrimen imminens in breue temporis spatium uidetur composuisse? Her. IX 37.

2) Herod. IX 85. 3) Thuc. VI 93.

4) Polyaen. II 10, 3. Quae porro de Cleandrida explorata habemus, propter tempora rerum minime huic opinioni obsistunt. Constat eum anno a. Chr. n. 445 (Thuc. I 114 conl. II 21) Plistoanacti adulescentulo Spartae regi Atticam inuasione uexanti comitem esse additum. Pecuniis uero ut uidebatur a Pericle corruptus exercitum Peloponnesiorum reduxerat. Plut. Per. 22, schol. Arist. Nub. 859, alibi. Inde capitis Lacedaemone damnatus in Italiam profugit ubi Thurinorum bella cum Tarentinis, Terinaeis, Lucanis administrauit. Ant. Syrac. ap. Strab. VI p. 264, Polyaen. II 10. Nescio an ipse inter colonos fuerit, qui Thurios circa initium Cleandridae

Iam pax cum Lacedaemoniis facta est, cuius condiciones in columna ad Alpheum posita legebantur [1]). Partem conuentionis Plutarchus (Quaest. Gr. 5) futuris reseruauit: *Τίνες οἱ παρὰ Ἀρκάσι καὶ Λακεδαιμονίοις χρηστοί; Λακεδαιμόνιοι Τεγεάταις διαλλαγέντες ἐποιήσαντο συνθήκας καὶ στήλην ἐπ' Ἀλφειῷ κοινὴν ἀνέστησαν, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται, Μεσσηνίους ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρας καὶ μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν. Ἐξηγούμενος οὖν ὁ Ἀριστοτέλης τοῦτό φησι δύνασθαι τὸ μὴ ἀποκτιννύναι βοηθείας χάριν τοῖς λακωνίζουσι τῶν Τεγεατῶν* [2]). Quod de expellendis Messeniis hic agitur, id temporis compositae pacis accuratius limitandi nullam praebet certam ansam, quoniam ubi primum prope Messeniam Lacedaemoniis bellandum erat frequens turba per seruitutem patrias segetes exercentium ad hostes dominantium transfugiebant. Tametsi haudquaquam infitiari licet artissime illos motus Arcadicos cum seditione Hilotarum cohaerere, quam anno a. Chr. 464 incohatam esse Pausanias (IV 24, 2) commemorat. Altero uictorum postulato quanto opere Spartani fouerint et tutati sint quicumque Tegeatarum suas ipsorum partes capesserent — optimates dico atque oligarchiae studiosos — affatim discimus. Postero aeuo ciuilis inter Tegeatas discordia bellaque cum Mantinensibus gesta uix umquam diutius quieuerunt.

Hieme quidem inter annum nonum et decimum belli Peloponnesiaci (423 — 22 a. Chr.) interiecta apud Ladoceam in Orestbide utraque ciuitas armis congressa est. Ambiguus pugnae exitus euasit [3]). Forsitan causa fuerit discidii quod Parrhasiam Mantinenses dum bello Archidamico ut solet uocari Lacedaemonii occupati sunt sibi subiecerant [4]). Summum autem

exsilii exaedificarent. Mutilatum uiri nomen deprehendis apud Diodorum (XIII 106: *Κλέαρχος*) et Apostolium (VI 74: *Κλεανδρίας*).

1) Superiorem Alphei cursum finem fecisse Laconicae terrae et Arcadicae Pausanias (VIII 54, 1) testis est.

2) Cf. Quaest. Rom. 52.

3) Thuc. IV 134; nomen uici (*Λαοδίκιον*) hic deprauatum esse uiris doctis concedemus, quia consensus Polybii (II 51. 55) et Pausaniae (VIII 44, 1) formam *Λαδόκεια* praestat.

4) Thuc. V 29.

discrimen semper in diuerso rei publicae statu positum erat, cum Tegeatae Spartanorum pedisequi paucorum potestatem conseruare studerent, Mantinenses popularis imperii fautores alienati ab Eurotae accolis ad Argiuos magis inclinarent [1]). Ea propter foedere icto inter Athenienses, Eleos, Mantinenses Argiuosque mox sociorum exercitus contra Tegeam proficiscitur, ubi popularem ciuitatis partem ipsis amicam esse non ignorant. Verum in tempore Lacedaemonii ab Agide rege ducti suis partibus auxilio ueniunt et clarissima apud Mantineam relata uictoria dirimunt aduersariorum consilia. In proelio ut consuerant dexterum cornu Tegeatarum copiae tenebant [2]).

Grauiores tumultus intestini post cladem apud Leuctra inlatam Lacedaemoniis Tegeae coorti sunt. Stasippi etiamtum partes nobilium deditae imperio atque Laconibus obnoxiae prae ceteris in oppido uigebant [3]). Iam aduersarii eius, Callibii et Proxeni adseclae qui plebei rebus obsecundabant, excutere Spartanorum dominationem omnesque Arcadiae populos in unam societatem conglutinare studebant Thebanorum uidelicet ope freti. Qui cum nihil apud theoros impetrassent, si populus conuenisset maiorem eius partem se esse iuuaturam arbitrati cum armis confluunt. Tum aduersarii quoque arma capiunt nec numero inferiores. Pugna commissa Proxeni et Callibii partes funduntur, sed Stasippus paucis aduersariorum occisis reliquis parcit. Hi ad murum Mantineam uersus spectantem sese recipiunt ibique congregati quiescunt. Cumque iam pridem a Mantinensibus auxilium petissent, nihilo setius cum Stasippi adseclis de pace agunt. Aduenientibus uero Mantinensibus oppidum produnt. Tum Stasippi partes Pallantium uersus fugiunt et in nescio quo Dianae templo reconditi manent, quoad demolientibus tectum fani aduersariis inclusi se exituros

1) Thuc. V 32. Frustra breui post compositam pacem quam Nicianam appellant Corinthii et Argiui operam impenderunt, ut Tegeatae quorum magnum esse numerum uiderent a Lacedaemoniis desciscerent.

2) Thuc. V 62 sqq. Diod. XII 78—80.

3) Xen. Hist. Gr. VI 4, 18. Stasippi candidos mores meritis laudibus extollit Valerius Maximus (IV 1 ext. § 5).

profitentur. Quos illi comprehensos Tegeam reducunt et interficiunt. Perpetrato scelere fere octingenti ex Stasippi parte conterriti Lacedaemonem discedunt. Spartani autem expeditione Agesilai ductu in Arcades suscepta nequiquam, qua olim fruebantur apud Tegeatas dignitate, eam recuperare periurosque Mantinenses ulcisci tenderunt. Quin mox in suis ipsorum finibus ab Epaminonda magnisque sociorum copiis quorum bonam partem faciebant Arcades petiti sunt, nec multum afuit quin celeberrima sedes Heraclidarum modo caput Peloponnesi iure existimata radicitus hostium mole tolleretur [1]). Rursum Mantinea auctor fuerat machinationum illarum popularium atque inflammati repente communis patriae amoris. Lycomedes hinc oriundus iuxta Epaminondam in condenda Megalopoli nouicio Arcadum capite plurimum uidetur ualuisse [2]). Eius consilio primum decem milia quae uocantur Arcadum Megalopolim conuenerunt, qui de bello ac pace deliberarent aliaque ad uniuersam nationem pertinentia administrarent [3]). Attamen

1) Xen. Hist. Gr. VI 5, 6 sqq. Multo breuius et neglegentius Diodorus (XV 59) eadem refert. Motus quem propter Lycomedis consilium omnes Arcades in unam rem publicam consociandi natum dicit a rixa factionum de Tegeatis Xenophonti memorata non differt. Omnino plus mille quadringentis partim Pallantium partim Spartam profugisse; quorum illos traditos a Pallantiensibus uictoribus necatos esse. Agesilaum uero Tegeatarum agros populantem inducit, non Mantinensium ut probabilius Xenophon.

2) Xen. Hist. Gr. VII 1, 23 sqq. Diod. XV 59. 62. 67. Quod primo Agyriensis loco Tegeates audit Lycomedes mero scriptoris errori debetur. Amentis sit Pausaniae auctoritate (VIII 27, 3) ad tuendam duplicem Lycomedis personam abuti. Enarrantur ibi quos Arcades synoecismo Megalopolitano praefecerint: *Ἡιρέθησαν δὲ καὶ ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων οἰκισταὶ Ἀνκομήδης καὶ Ὀπολέας καὶ Τίμων τε καὶ Πρόξενος, οὗτοι μὲν ἐκ Τεγέας, Ἀνκομήδης δὲ καὶ Ὀπολέας Μαντινεῖς, Κλειτορίων δὲ Κλεόλαος καὶ Ἀκρίφιος, Εὐκαμπίδας δὲ καὶ Ἱερώνυμος ἐκ Μαινάλου, Παῤῥασίων Ποσσικράτης τε καὶ Θεόξενος.* Cur Tegea quattuor miserit synoecistas, reliquae ciuitates binos non intellegitur. Quod uitium optime tollitur si Lycomedis et Opoleae nomina praua dittographia esse praesumpta statuimus. Nec primus hoc uidi. — Plus semel Lycomedes communis Arcadum exercitus imperator electus est si fidem habere licet Diodoro.

3) De *μυρίοις* illis grammaticorum inspicias testimonia, in primis Harpocrationis ad Aristotelis communem Arcadum rem publicam prouo-

idem nouam discordiam incendit, cum Thebanorum dominationem non minus suis grauem fore sentiret quam Lacedaemoniorum. Ideo qua praepollebat auctoritate in communi concilio ut foedus pangeretur cum Atheniensibus *μυρίους* permouit. Quod cum ipse Athenis feliciter confecisset, rediens per exsules praematuram mortem obiit [1]).

Rationes eius in communi Arcadum re publica Mantinenses quidem persequi pergebant; haud pauca tamen societatis membra aliter iudicabant. Ipsi quoque Tegeatae qui eo tempore praesidio trecentorum Thebanorum in urbe locato [2]) non libera agebant uoluntate infesti Mantinensibus ad Epaminondae partes inclinabant. Auctae sunt turbae bello ab Arcadibus Eleis inlato. Etenim cum duces illorum eparitos electam societatis Arcadicae cohortem militarem [3]) sacris diuitiis Olympiacis alerent, Mantinenses hoc piaculum abominati ceterarum ciuitatum inimicitias in se susceperunt. Postea cunctae sceleris admissi

---

cantis. Reapse numquam tota natio Arcadica sociata uidetur fuisse. Mantinenses paulo ante pugnam propter portas suas anno a. Chr. 362 commissam defecerunt. Alexandri iussu concilium Arcadicum anno 324 abolitum est, si quid concludi potest ex Hyperidis loco (in Demosth. fr. IV Blassii) mutilo. Cf. Schaeferi Demosth. III 1 p. 287. Inter annum a. Chr. 265 quo decretum Chremonideum (C. I. A. II 332) esse exaratum Dittenberger (Herm. II p. 301 et 305) censet atque aetatem tituli Lebasiani II 340a (Dittenbergeri 167, Caueri 444) magna Arcadum pars renouauit societatem. Illic enim singulae ciuitates terrae, in eis Tegeatae, cum Atheniensibus pactae enumerantur; hic uero senatus Arcadum et *μυρίων* concilium proxeniam conferunt Phylarcho Atheniensi quod post Aristodemum, ante Lydiadem tyrannorum uicibus Megalopoli fungentes uidetur euenisse, intra igitur annos a. Chr. n. fere 251 et 238. Tegea tum membrum fuit congregationis Arcadicae, cuius quinque demiurgi — idem numerus plerisque ciuitatibus in communi sedebat concilio — subscripti leguntur decreto. Utrum *δαμιοργοί* illi numero quinquaginta ipsum effecerint senatum, ut Foucartus uoluit in commentario tituli, an potius partem eius ad exsequenda decretorum iussa sorte electam nunc haud in promptu est diiudicare. Quid porro egerit restituta societas aut quem finem nancta sit in obscuro latet.

1) Xen. Hist. Gr. VII 4, 2—3. 2) Xen. Hist. Gr. VII 4, 36.

3) Diodoro teste (XV 62. 67) quinque milia erant. Cf. Hesych. *ἐπαρόητοι*, Kellermannum: De re militari Arcadum, dissert. Monac. anni 1831, p. 44 sqq.

consciae de pace cum Eleis conuenerunt, quae in urbe Tegeatarum iure iurando confirmatur [1]). Qua abusus occasione dux praesidii Thebanorum, quicumque praesentium studiis Mantinensium obnoxii uidebantur, comprehensos in custodia tenet moxque dimittere coactus tamen Thebanorum iudicio liberatur [2]).

Inde quarta fit Epaminondae in Peloponnesum expeditio quam dudum poposcerat pars Arcadum, memoranda illa Mantinensi pugna finita. Hic telo hostili auctor principatus per paucos annos a Thebanis obtenti absumptus est, coniuncti Lacedaemoniorum et Atheniensium exercitus pulsi. Denuo autem discidium inter Arcades exortum luculenter comparuit cum Tegeatae, Megalopolitani, alii Thebanis, aduersariis Mantinenses essent auxiliati [3]). Iam pax conuenit inter ciuitates belligerantes; quies tamen Arcadibus non redit, cum et domesticae seditiones maneant et a Lacedaemoniis periculum instet ne Megalopolis exscindatur [4]). Nihilo minus ut tunc Thebanorum adiuti auxiliis hostium impetus inritos reddunt, ita dein per Philippum terras quondam ereptas a Laconibus sibi reparant [5]).

Quae Macedonica aetate Tegea uiderit eorum perpauca innotuerunt propter friuolam testimoniorum materiam. Diadochi qui dicuntur et bellicosi Spartanorum reges haud raro in Arcadia quasi in Martis harena uersati sunt [6]). In Chremonideo bello socios fuisse Tegeatas cum multis aliis Graecorum oppidis Atheniensium et Ptolomaei Philadelphi aduersus Antigonum Gonatam ex inscriptione supra laudata enucleamus. Saeculo fere post foederis Aetolici participes exstitere [7]). De-

1) Hinc discimus non usque Megalopolim concilium conuenisse Arcadicum. 2) Xen. Hist. Gr. VII 4, 33 sq.

3) Xen. Hist. Gr. VII 5, 4 sqq. Paus. VIII 8, 10.

4) Xen. Hist. Gr. VII 5, 26—27. Diod. XVII 94. Dem. XVI.

5) Diod. XVI 39. Paus. VIII 27, 9—10. Pol. IX 28, 7. XVIII 14, 7.

6) Cassandrum Tegeam oppugnasse Diodorus (XIX 35) ad annum a. Chr. 317 memorat.

7) Pol. II 46, 2. Utique antiquior hac re titulus est, quo Phylarcho proxenia ab Arcadum concilio decernitur. Fortasse amicitiae cum Aetolis initae monumentum est proxenia ad Demetrium Aetolum delata, cuius memoria inest inscriptioni 340 b Lebasii.

inde adnuentibus Aetolis tertius qui Spartae regnauit Cleomenes oppido potitus est. Contra quem Arato auctore Antigonus Doso ab Achaeis in auxilium accitus Tegeam obsedit et in deditionem recepit [1]). Deuicto ad Sellasiam Cleomene anno a. Chr. 221 pristinus rei publicae status Tegeatis per Macedonem restitutus est [2]). Quando Achaei urbem in suam societatem adsciuerint haud in aprico cernitur. Utique post Machanidae tyranni Laconiae interitum anno a. Chr. 207 quo capta est a Philopoemene membrum fuit huius foederis [3]), donec anno a. Chr. 146 prouinciam Romani Achaiam instituerunt.

II. In describenda rei publicae Tegeatarum forma magno cum emolumento Gilberti librum de antiquitatibus Graecis in usum nostrum uertemus cuius uol. II[i] pp. 128 sqq. huc spectant. Duas cum eo periodos discernimus, paucorum dominationem eamque aetatem qua ipse populus summa potestate adornatus res suas gerebat. Terminalem intellegimus annum pugnam Leuctricam subsecutum i. e. a. Chr. 370, cum Callibii ac Proxeni partes superiores euaserunt in ciuitate. Posteriori rerum statu quamuis ceteroqui obscuro tituli Tegeatici qui maximam partem tertii esse a. Chr. saeculi uidentur aliquantum lucis adspergunt. De priore fere omnia nesciuntur.

Unicum iuuat Xenophontis (Hist. Gr. VI 5, 7) testimonium de theoris: *ἡττώμενοι δὲ οἱ περὶ τὸν Πρόξενον καὶ Καλλίβιον ἐν τοῖς θεαροῖς νομίσαντες εἰ συνέλθοι ὁ δῆμος πολὺ ἂν τῷ πλήθει κρατῆσαι ἐκφέρονται τὰ ὅπλα*, unde nihil elicitur nisi magistratum maximi momenti apud Tegeatas fuisse theoros [4]).

Quod inde a Callibii et Proxeni uictoria penes populum summam rerum fuisse contendimus, cum per se probabile est

---

1) Pol. II 54, 6. 2) Pol. II 70, 4. 3) Pol. XI 18.

4) Dorica forma scriptor utitur; Atticam Thucydides (V 47) in magistratu quodam Mantinensium adhibet. Primitus *θεωροί* eos significant qui deorum curam agitant. Vulgo ita legati notantur ad deorum sollemnia aut uti oracula consulerent missi. Proin Tegeae olim theori sacrum fuisse collegium diuinis rebus institutum uidentur. Quidni etiam seriore aeuo officia quaedam illuc pertinentia exercuerint?

tum inscriptione 340 b Lebasiana de tempore lapidis incisi quod alterum saeculi tertii ante Christi aetatem dimidium uideri diximus aperte confirmatur. Cuius initium hoc est: *ἔδοξε τῷ δάμῳ τῶν Τεγεατῶν* [1]). Multum haud dubie in nouo rei publicae statu constituendo legumlatores oppidi ualuerunt signis palam et ciuium pietate uel Pausaniae temporibus honorati. Quamquam uixerintne aequales an fuerint adeo diuersae aetatis, ut unus quisque aut priorem immutaret legum indolem aut propius ad perfectionem duceret ignoramus.

Ut in reliquis Graecorum ciuitatibus senatorio consilio res deliberandas praeparanti licentia popularis arbitrii cohercebatur. Nam huius instar trecenti sunt in lege de aedificiis publicis memorati [2]). Habes hic § 2 a ita praescriptum: *εἰ δὲ πόλεμος διακωλύσει τι τῶν ἔργων τῶν ἐσδοθέντων ἢ τῶν ἐργασμένων τι φθέραι, οἱ τριακάσιοι διαγνόντω τί δεῖ γενέσθαι, οἱ δὲ στραταγοὶ πρόσοδομ ποέντω, εἴ καν δέατοί σφεις πόλεμος ἦναι ὁ κωλύων ἢ ἐφθορκὼς τὰ ἔργα, λαφυροπωλίου ἔοντος κατὰ τᾶς πόλιος.* Quoniam controuersiae de pecuniis publicis ortae ita senatui disceptandae proponuntur, hunc sicut quinto a. Chr. saeculo ac priore quarti dimidio Athenis reditus atque impensa rei publicae curasse in propatulo est.

Inter magistratus Tegeatarum praesides populi et praetores grauissimi erant, quorum illi archontibus fere Atheniensium respondisse uidentur. Tres uiri sedebant in eo collegio, ut subscriptio docet decreti Agesandro proxeniam tribuentis: *προστάται τοῦ δάμου Λύκιος, Θεόκριτος, Ἀλέξανδρος* [3]).

---

1) Similiter titulus Agesandro Thessalo Scotussa oriundo proxeniam conferens occipit: *ἔδοξε τῇ πόλει τῶν Τεγεατῶν*. Is commodius quam apud Sauppium (u. p. 286 n. 5) in Dittenbergeri Sylloge (317) aditur.

2) Fortasse septuageni quini pro singulis tribubus munere fungebantur.

3) Per errorem quadratarium scripsisse *προστάτας* quod in lapide exstat Sauppius monuit. Alibi uoce *προστάτης* scil. *τοῦ δήμου* plerumque in uniuersum significantur qui ciuitati praesunt. Numerus prostatarum ut archontum Athenis uno minor est quam tribuum. Etiam in titulo 340 d Lebasii item proxenum quendam honoranti prostatarum Tegeae mentio

Saepius praetores nominantur quos annuos fuisse inde conligimus, quod a primo quoque annus denotabatur. Subscriptum enim legitur titulo Lebasii II 340b: *ἐπὶ στραταγοῖς τοῖς περὶ Χρέμωνα.* De numero praetorum discrepant lapidum testimonia. Titulus dedicatorius collegii (Lebasii 338a, Caueri 456) septem enumerat octauo addito equitum magistro, nono scriba. Contra decretum de hospitio publico Agesandri undecim duces habet, praeterea magistrum equitum et scribam. Eiusdem aetatis non esse illas inscriptiones dialecto sane non efficitur, illic Arcadica hic Attica magis siue communi Graecorum [1]), uerum ipsa diuersitate numerorum. Olim nimirum octo membrorum fuit magistratus, ita ut bina singulae tribus eligerent, post duodecim ut terna crearent. Scribam [2]) cuius dignitas inferior putanda est ipsi duces cum praefecto equitum cooptasse uidentur, perinde ut Athenis senatus scribam suum dicebat eiusque actionum publicarum rationem subibat. Auctoritatis praetoriae magnum habetur documentum, quod in cunctis proxeniae placitis subscribi adsolebant [3]). Ad senatum nonnumquam duces referebant aditumque parabant redemptoribus in perficiendo opere propter bellum praepeditis damnoque adfectis, ut loco supra e lege de redimendis operibus publicis allato cognoscitur.

Eiusdem decreti § 4a heliastis quibusdam multa exigenda transmittitur, si plures duobus unam communicarent prouin-

---

uidetur iniecta fuisse. Tamen nihil praeter litteras *προστατα* in fine relictum est; nomina desiderantur. Apud Aeneam quoque Tacticum (c. 11: *ὁ τοῦ δήμου προστάτης*) certus Argiuorum magistratus intellegi possit qualem insuper Opunte, apud Chaones, Molossos, Dymaeos, Stymphalios inuenimus. Cf. Gilbertum II p. 328 n. 1.

1) Vide Sauppium p. 8 sq.

2) Arcadico sermone *γράφης* audiebat; pariter *ἰάρης* usurpatur pro Attica forma *ἱερεύς*. In fragmento quoque rationum Tegeaticarum — est Lebasii titulus 341e — truncum scribae nomen sub finem additur.

3) Unus Lyaeus in populi scito 340d Lebasii e ducibus nominatur; sed manca est inscriptio. Nescio an idem nomen in Agesandri decreto reponendum sit ubi *Λυαῖον* lapicida insculpsit. Quod *Ἀγέας* hic scribae officia praestans illic redit non neminem potest offendere.

ciam operariam aut si quis plura duobus operibus simul susceperit, cui non ipsi consensu ueniam dedissent. *Μὴ ἐξέστω δὲ μηδὲ κοινᾶνας γενέσθαι πλέον ἢ δύο ἐπὶ μηδενὶ τῶν ἔργων· εἰ δὲ μή, ὀφλέτω ἕκαστος πεντήκοντα δραχμάς, ἐπελασάσθων δὲ οἱ ἁλιασταί, ἰμφαῖνεν δὲ τὸμ βολόμενον ἐπὶ τοῖ ἡμίσσοι τᾶς ζαμίαν. κατ τὰ αὐτὰ δὲ καὶ εἴ κάν τις πλέον ἢ δύο ἔργα ἔχη τῶν ἱερῶν ἢ δαμοσίων κατ᾽ εἰ δέ τινα τρόπον, ὅτινι ἂμ μὴ οἱ ἁλιασταὶ παρετάξωνσι ὁμοθυμαδὸν πάντες, ζαμιόσθω καθ᾽ ἕκαστον τῶν πλεόνων ἔργων κατὺ μῆνα πεντήκοντα δραχμαῖς μέστ᾽ ἂν ἀφιῆτοι τὰ ἔργα τὰ πλέονα.*

ἁλία contionem Doriensium significabat; numquam uero *οἱ ἁλιασταί* eodem sensu adhibebantur. Nec populi iudicium hoc loco potest intellegi heliastarum ritu Atheniensium et Argiuae *ἁλιαίας*, quorum non fuerit multas impositas repetere, nedum facile tot iudices aliquid unanimi probarint. Quam ob causam haliastae quin magistratus sint accipiendi in dubium uocari nequit. Merito opinor Foucartus in commentario tituli eos ferme parem administrasse prouinciam atque polianomos Heracleensium censet quorum annua fuit dignitas [1]).

Porro nomographi apud Tegeatas uidentur exstitisse, quoniam etsi ad priuatorum hominum societatem mutila inscriptio 341a Lebasii melius referatur hanc e re publica instituta sua repetisse consentaneum est [2]).

In numero extraordinariorum magistratuum quos Graeci uocabant *ἐπιμελείας ἐσδοτῆρες* [3]) et *ἐπιμελόμενοι* habentur in decreto de aedificiis publicis memorati. Quorum illi locatores sunt operum, qui non quotannis sed cum eis usus erat creabantur, ut Foucartum in notis ad inscriptionem 194a Lebasii

1) Hi priore tabula Heracleensi l. 127 (C. I. Gr. III 5774) multam conductoribus Liberi agrorum si officia uiolarent constitutam exigere iubentur: *εἴ τινές κα μὴ πεφυτεύκωντι καττὰν συνθήκαν, ἀνγραψάντω καὶ ἐπελάσθω τὰ ἐπιζάμια τὰ γεγραμμένα ποττῷ ἄλλῳ μισθώματι.*

2) In extremo titulo leguntur: *γραψάτωσαν δὲ καὶ οἱ νομογράφοι νόμον περὶ τούτων.*

3) Arcadica forma est pro Attica *ἐκδόται*; cf. *ἐγδοτήρ* in Laconico, *ἐγδότης* in titulo Syri insulae (194a et 1885 l. 59—61 Lebasii).

(l. 13—19) ostendisse equidem credo. Tegeae ius disceptandi controuersias si quae inter conductores eiusdem laboris socios ortae sint eis defertur [1]). Una qui contra fidem conuentionis egerint uel quacumque ratione opera locata damno adfecerint puniendi traduntur locatoribus; poenae magnitudo horum arbitrio subiecta est, iudicio competenti approbanda [2]). Denique potestas eis datur si redemptores operariiue operibus nocere uideantur aut custodibus non oboedire aut multas spernere constitutas, ut operarios dimittant, redemptores puniant atque in ius uocent, sicuti de eis prouisum sit qui pactam uiolarent conuentionem [3]). Perinde ac locatores *οἱ ἐπιμελόμενοι* qui perficiendos labores custodiebant in certum quoddam tempus prout necessitas oblata erat eligebantur. His similes partes Atheniensium *ἐπιστάται τῶν δημοσίων ἔργων* agebant [4]).

In fine commentationis paucula ista adiciantur, quae de bonis ac reditibus publicis Tegeatarum innotuerunt. Ad solita priuilegia hospitibus publicis inrogata *ἐπινομία* accedit, i. e. ius in agro publico pascendi, et immunitas uectigalium importantibus et exportantibus [5]). Fuerunt igitur communia prata

---

1) Exordium legis laudatae quatenus saluum est hic exscribitor: *εἰ' κάν τι γίνητοι τοῖς ἐργώναις τοῖς ἐν τοῖ αὐτοῖ ἔργοι, ὅσα περὶ τὸ ἔργον· ἀπνέσθω δὲ ὁ ἀδικήμενος τὸν ἀδικέντα ἰν ἁμέραις τρισὶ ἀπὺ τᾶ ἂν τὸ ἀδίκημα γένητοι, ὕστερον δὲ μή· καὶ ὅ τι ἀγκρίνωσι οἱ ἐσδοτῆρες, κύριον ἔστω.*

2) Id § 3ª sic concipitur: *Εἰ δ' ἄν τις ἐπισυνίστατοι ταῖς ἐσδόσεσι τῶν ἔργων ἢ λυμαίνητοι κατ' εἰ δέ τινα τρόπον φθήρων, ζαμιόντω οἱ ἐσδοτῆρες ὅσαι ἂν δέατοί σφεις ζαμίαι καὶ ἀγκαρυσσόντω ἰν ἐπίκρισιν καὶ ἰναγόντω ἰν δικαστήριον τὸ γιγνόμενον τοῖ πλήθι τᾶς ζαμίαυ.* Plura fuisse apud Tegeatas iudicum collegia addiscitur.

3) Vide § 7ªm: *Εἰ δ' ἄν τις τῶν ἐργωνᾶν ἢ τῶν ἐργαζομένων ἐπηρειάζεν δέατοι ἰν τὰ ἔργα ἢ ἀπειθῆναι τοῖς ἐπιμελομένοις ἢ κατυφρονῆναι τῶν ἐπιζαμίων τῶν τεταγμένων, κύριοι ἐόντω οἱ ἐσδοτῆρες τὸμ μὲν ἐργάταν ἐσδέλλοντες ἐς τοῖ ἔργοι, τὸν ἐργώναν ζαμίοντες ἰν ἐπίκρισιγ, κατάπερ τὸς ἐπισυνισταμένος ταῖς ἐσδοκαῖς γέγραπτοι.*

4) Cf. Aesch. III 14. 29, C. I. A. I 289 sqq. 302, ubi tres *ἐπιστάται τοῦ νεώ* (Erechthei) cum architecto et scriba nominantur.

5) In decreto Agesandri et in Lebasii titulis 340 b. c illud conceditur, hoc in titulo 340 d eiusdem conlectionis. Quamquam extremo loco

ciuitatis Tegeaticae, quorum usuram aut omnes incolae aut certe inquilini non nisi scripturis solutis adipiscebantur. Quod uectigalia mercantibus pensitanda erant, cum reliquis Graeciae rebus publicis Tegeatae communicabant.

---

praeter litteras *αγοντοις κα* nullae reliquae sunt; at certissime conlata inscriptione 228 Lebasii sic supplentur: *ἀτέλειαν εἰσαγόντοις καὶ ἐξαγόντοις*.

INDEX.

Acues 314 sq.
Aeginetes 308 sq.
Aegys 268.
Aepytus I 295.
Aepytus II 308.
Aerope 290 sq. 299.
Agapenor 305—7.
Aleus 266 sq. 297.
Aphidantes 266. 275—77. 281.
Aphidas 266. 276. 294.
Apollo Agyieus 277. 285, 1.
Apollo Pythius 285.
Apolloniatis 277. 279—81. 284 sq.
Arcades in Pelopidarum dicione 300.
Arcas 276 sq. 294.
Areithous 297 sq.
Aristippus 287.
Aristocrates I 309.
Aristocrates II 309 sq.
Asylum Tegeae 288.
Athanaeatis 277. 279—81. 285—91.
Auge 267. 285. 297.
Azan 294.
Belbinatis 272.
Callibius et Proxenus 325.
Caryatae 266—73.
Cassander 328, 6.
Cepheus 290 sq. 297. 299.
Cercyo 292.
Charilaus 268. 284. 310—15.
Chilaus 322.
Chremonideum bellum 328.
Clariotis 277—84.
Clarius collis 278. 281. 283 sq.
Cleandridas 323.
Cleomenes I 296.
Cleomenes III 270. 329.
Colonia Tegea Cyprum deducta 307.
Coloniae Arcadicae in Cretam deductae 282 sq.
Corythenses 266 sq.
Corythus 267.
Cypselus 308.
Diana Hymnia 295.
Echedemia 301—3.
Echemus 299—305.
Echeuethenses 266. 275.
Elatus 291. 294.
Elnes 313 sq.
epariti 327.
ἐπιμελόμενοι 332 sq.
ἐπινομία 133 sq.
Ereuthalio 296.
ἐσδοτῆρες 332 sq.
ἑστία Ἀρκάδων κοινή 284. 295.
Gareatae 266 sq.
haliastae 331 sq.
Halotia 287.
Hippothoitis 277. 279—81. 291—93.
Hippothous 277. 291 sq.

Ischolaus 273, 3.
Iuppiter diuersis cognominibus Tegeae adoratus 278. 281.
Iuppiter Lycaeus 281. 295.
legumlatores Tegeae 293.
Lichas 320.
Lycomedes 326 sq.
Lycurgus 274. 297 sq.
Lycurgus Spartanorum tyrannus 284.
Maera 266, 1. 285.
Manthurenses 266. 273 sq.
Marpessa (Perimeda) 287. 310. 312 sq.
metoeci 289.
Minerua Alea 266. 274. 285—88. 292.
Minerua Poliatis 290 sq.
μύριοι 326 sq.
nomographi 332.
Oeatae 266. 272 sq.
Orestes 320 sq.
Parrhasia 272.
Parthenopaeus 303 sq.
Phegeus 305 sq.
Phigalia 308.
Phylacenses 266 sq.
Phylactris 284.
Potachidae 266. 274.
praetores 331.
Promachus 304 sq.
prostatae 330.
prytaneum 284.
reditus 333 sq.
reges Argiuorum 316—19.
rex Argiuorum Tegeae exsulans 289.
Sciritae 268. 270—73. [316.
senatus 330.
Stasippus 325 sq.
Sthenippus 289.
Tegea foederis Aetolici pars 328.
foederis Achaici 329.
Tegeates 266.
Teuthis 306, 2.
theori 329.

Apinae tricaeque.

Die Erklärung des Wortes *afannae* ist kürzlich von Goetz in Wölfflins Archiv II 341 f. einer Erörterung unterzogen worden, welche zu keinem Resultat geführt hat. In einem kurzen Nachtrag S. 597 sind einige Notizen gegeben, welche keinem entgehen können, der einmal die Frage ernstlicher ins Auge fasst. Da ich im Zusammenhang mit andren Untersuchungen schon vorher darauf gekommen bin, so will ich sie hier kurz zum Ziele zu führen suchen.

Die wunderliche Nachricht bei Plinius n. h. III 11, 104, Diomedes habe in Apulien ‘gentes Monadorum Dardorumque’ zerstört ‘et urbes duas quae in prouerbi ludicrum uertere, *Apinam* et *Tricam*’ lehrt wenigstens, dass man die Heimath der *apinae tricaeque* (Martial XIV 1) und dieser Wörter selbst dort im Süden zu suchen hat. Dahin weisen auch die Artikel bei Zenobius III 92: *εἰς Ἀφάνας· Συβαρῖται νίκην τὸν θεὸν ᾐτοῦντο κατὰ Κροτωνιατῶν, παρόντων ἐκείνων. ἑνὸς δὲ τῶν Κροτωνιατῶν χλευάσαντος καὶ εἰπόντος ὅτι τεύξεται ταύτης ἐν Ἀφάναις, τὴν πρόρρησιν τοῦ θεοῦ ἐθαύμασαν. λέγεται δὲ ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δοκούντων ἀνυποστάτων εἶναι*[1]), und bei Stephanus Byz. p. 149 M. (vgl. Herodian I 328 L.): *Ἀφάνας, χωρίον Σικελίας ἄσημον, ἀφ᾽ οὗ ἡ εἰς Ἀφάνας, ἐπὶ τῶν ἀδήλων καὶ ἐκτετοπισμένων. τὸ ἐθνικὸν Ἀφαναῖος.* (Meineke weist auf die Gewohnheit des Stephanus hin, auch Unteritalien, z. B. s. u. *Σινόεσσα*, Sicilien zu nennen.) Also *εἰς*

1) Hesychius: *Ἀφάναι· χωρίον τῆς Δαμάρτιδος φυλῆς πόρρωθεν* (*Συβαρίτιδος* M. Schmidt, der treffend *Σαμαρῖται* Par. bei Zenobius vergleicht).

Ἀφάνας (d. h. nach Utopien) wird verwiesen wer etwas sucht was nirgends zu finden ist, sich nirgends ereignet, ja *Ἀφάναι* wird auch etymologisch nichts andres bedeuten als den *τόπος ἀφανής* [1]).

Sehr nahe liegt dann die Metonymie bei Apuleius Metam. IX 10 p. 160 Eyss. ‘afannas frustra adblatterantes’ und X 10 p. 188 ‘nescio quas afannas effutire’, d. h. ‘leere Ausflüchte vorbringen’. Diese Bedeutung wird erläutert durch die Glosse bei Suidas: *σκινδαψός, ἀφάνα,* womit zusammenzustellen Paroemiogr. I 387 *βλίτυρι καὶ σκινδαψός· ταῦτα παραπληρώματα λόγων, εἰσὶ δὲ καὶ παροιμιώδη.* Leeren Schall ohne Bedeutung bezeichnete man als *βλίτυρι καὶ σκινδαψός* (Sextus Empiricus adu. math. VIII 133: ‘uerba nullius significationis’ Paulus Festi p. 366); *νοῦν δ’ εἶχεν ἐλάσσονα κινδαψοῖο* sagte Timon in den Sillen von Zenon (s. Wachsmuth syllogr. 103. 106). Beide Wörter hatte Iuba in der Theatergeschichte erklärt, dessen Auseinandersetzung über das musikalische Instrument *σκινδαψός* in Athenaeus IV p. 183 übergegangen ist; *βλίτυρι* verstand er richtig als lautnachahmendes Wort für Geklimper, *χορδῆς μίμημα* (Hesychius, Paroemiogr.: vgl. auch Lobeck Aglaoph. 1331). Eine sprachliche Gleichung nun bietet die bilingue Glosse: *apinae· φάννας,* wohl verstümmelt aus einer längeren: *apinae ⟨ἀφάνναι . . . εἰς ἀ⟩φάννας.* Denn das lateinische Wort *apinae* verhält sich zu *apanae* (da Aspiration wegfällt) wie canistrum zu *κάναστρον,* lepista zu *λεπάστη,* trutina zu *τρυτάνη,* machina zu *μηχάνη,* Agrigentum zu *Ἀκράγας.* (Vgl. Lobeck pathol. prol. 244, der auch bereits apina und *ἀφάνα* in der Anmerkung zusammenstellt.) Auch der Übergang des Begriffs von leeren Worten zu nichtigen Dingen voll-

1) Die Schreibung des Namens schwankt zwischen einfachem und doppeltem *ν*: Herodian II p. 480 L. Bei Zenobius haben Bodl. und Harl. *Ἀφάνας*, Bodl. Par. Harl. *ἐν Ἀφάναις*; bei Stephanus Byz. *Ἀφάνας* der Rehdig., übrigens *Ἀφάνναι* und *Ἀφάννας* in den Handschriften; bei Hesychius ist *Ἀφάνναι* überliefert, bei Suidas *ἀφάνα*. Bei Apuleius IX 10 hat der ältere Florentinus *afannaf*, der jüngere im Text *affannaf*, aber am Rande *affanaf*.

zieht sich leicht. Beide Schattirungen bietet Martial: I 113 'quaecumque lusi iuuenis et puer quondam *Apinasque* nostras', und diese seine Verse nennt er gleich darauf V. 6 *nugae*. XIV, 1, 7 heisst es von wohlfeilen Geschenken: 'sunt *apinae* tricaeque et si quid uilius istis'. Aus dem Munde seiner Landsleute mag Apuleius die Form *afannas* aufgenommen haben. In den Glossen *aefannae* und *aefamiae*, welche mit *aestimationes* erklärt werden, kann ich nichts andres als Verderbnisse von *aestumiae* erkennen, wozu Festus Pauli p. 26: 'aestimias pro aestimationibus' vortrefflich stimmt. Ob das mittelalterliche *affanare* = manibus operari, *affanator* = operarius, wovon provençalisch *afanar* = sich abmühen, das ital. *affannare* = bekümmern, *affanno* = Ermüdung, Kummer, und Andres (Diez Lex. I 8) mit unsren *afannae* und *apinae* etwas zu thun hat, wage ich nicht zu entscheiden. Ein verachtetes Ding oder Geschäft kann ja zur Plage werden, und so ist der Übergang der Bedeutung von einem Nichts zu ermüdender Arbeit und Sorge wohl denkbar.

Obige Auseinandersetzung wird weiter bestätigt durch die Verbindung von Apina mit *Trica* bei Plinius und die Zusammenstellung *apinae tricaeque* bei Martial. Denn wie hier *tricae* die Bedeutung werthloser Kleinigkeiten haben (vgl. *οὐδ' ἄχνην, οὐδὲ πασπάλην, ἀκαρές, οὐ τριχὸς ἄξιος*, nauci, flocci non facere, ciccum non interduim, titiuillitium und vieles Andre, zum Theil gesammelt von Nauck Mélanges IV 728), so heisst es in gleichem Sinne bei Plautus im Rudens 1323: 'quid dare uelis qui istaec tibi inuestiget indicetque, elóquere propere celeriter. — nummos trecentos. — *tricas*. — quadringéntos. — tramas putidas. — quingentos. — cassam glandem'. Ganz entsprechend erklären die Excerpta des Labbaeus: *tricae*, *τριχώματα*. Kein Zweifel, dass *trica* nichts andres ist als das griechische *θρίξ*, wie so oft der Accusativform entlehnt. Also stammt auch dieser Ausdruck aus Unteritalien. Um so begreiflicher, dass der Campanischen Posse, der Atellana, die *tricae* geläufig sind (Varro im Gerontodidascalos bei Nonius p. 8), freilich in sehr veränderter Bedeutung. Soll man dem

Glossographen bei Nonius a. O. Glauben schenken, welcher lehrt: ‘dictae quasi tricae’ (nämlich ‘inpedimenta et inplicationes’), ‘quod pullos gallinaceos inuoluant et inpediant capilli pedibus inplicati’? Festzuhalten ist zunächst, dass auch er die Grundbedeutung ‘Haare’ voraussetzt. An sich ist ja auch das Verfahren, jungen Hühnern die Füsse mit dünnen Seilen zusammenzubinden oder zu umwickeln, damit sie sich nicht verlaufen, ebenso natürlich als gebräuchlich. Auf gleicher Auffassung scheinen zu beruhen Papias ‘*tricae* sunt impedimenta gressuum, inde *trico*, as’, derselbe: ‘*trico*, moror’ u. s. w., gloss. Salom.: ‘*tricamentum*, mora’. Und ganz befriedigend erklären sich hieraus sowohl die ‘Verwickelungen’ der dramatischen Fabel als auch der Ausdruck ‘ut me in tricas coniecisti’ im Persa 796, ferner die Verba *intricare* (Afran. 113) und *extricare*, letztres besonders anschaulich bei Horaz carm. III 5, 31 ‘si pugnat extricata densis Cerua plagis’ (vgl. Plautus Epid. I 2, 49). Nicht minder nahe liegt aber der Gedanke an ‘Geflecht’, wie *tricia* (ital. *treccie*) im mittelalterlichen Latein eine Haarflechte bedeutet, und *tricare* das Haar flechten. Dagegen scheint auf die Grundbedeutung des Dünnen, Nichtigen zurückzuweisen die Glosse: ‘*tricari*, *in paruo* morari’ (Abauus)[1]). Und in der That fallen in der Anwendung *tricae* nicht selten mit dem Begriff ‘Flausen’ zusammen. Besonders in Geldangelegenheiten, in Verhandlungen zwischen Gläubiger und Schuldner greift diese Bedeutung Platz. Als Tranio auf die Frage ‘quid de argentost?’ ausweichend antwortet, sagt der Wechsler: ‘quin tu istas mittis tricas?’ Hier ist von Verstrickungen nicht die Rede. Dem Kuppler, der sein Geld fordert, wird erwidert: ‘quod argentum? quas tu mihi tricas narras?’ (Curc. 612). Ebenso sagt Lucilius von einem säumigen Zahler, einem Flausenmacher: ‘magnu’ fuit trico nummariu’, soluere nulli lentus’ (Non. p. 22, 29: ‘tricones, morosi et ad reddendum duri’). Von dem bösen Schuldner Dolabella

1) Diese und die übrigen Mittheilungen aus Glossaren über *tricae* verdanke ich der Gefälligkeit von Goetz.

schreibt Cicero an Atticus XV 13, 5: ‘tricatur scilicet’. Und der bedrängte Schuldner bei Horaz sat. I 3, 88 ‘nummos unde unde extricat’. Auch ‘domesticae tricae’, von denen Cicero ad Att. X 8, 9 schreibt, sind doch wohl ‘häusliche Lumpereien’. Aber solche Erbärmlichkeiten sind immer verdriesslich und können in unangenehme Häkeleien ausarten, und so konnte Turpilius V. 45 zusammenstellen ‘iudicia litis turbas tricas’, kann der Kuppler im Persa 796 eine verfängliche Zumuthung abweisen mit den Worten ‘nil mi opust litibus neque tricis’. Auch wenn Caelius an Cicero VIII 5, 2 schreibt: ‘sic multum ac diu ludetur atque ita diu, ut plus biennium his tricis moremur’, hat er an allerhand nichtige Vorwände gedacht, welche die Entscheidung hinziehen sollen. Wer auf dergleichen Ausflüchte und Chicanen ausgeht, heisst *trico* und *tricosus* bei Lucilius (‘tricosus bouinatorque’ Gellius XI 7, wo ‘bouinator’ durch ‘tergiuersator’ erklärt wird: vgl. Placidus und Löwe Prodr. 320). Hierzu gehören die Glossen: *tricosus: ἀχρεῖος ἔκλυτος, λαγγών* bei Philoxenus 217, 25 und *tricosus: cessator, λαγγών* in den Excerpta. So spielen die Vorstellungen des Nichtigen und des Verflechtens ineinander: dass aber auf letzterer die tricae der Atellana und die Intriguen beruhen, leidet wohl keinen Zweifel.

Aber ein letztes Wort erfordert noch die Herkunft der Redensart *εἰς Ἀφάνας*, dann die sprüchwörtliche Zusammenstellung nicht nur von *apinae tricaeque*, die Martial offenbar der Volkssprache entnommen hat, sondern auch der zweifellos mythischen Ortschaften *Apina* und *Trica* bei Plinius. Das Aition des Spruches *εἰς Ἀφάνας* führt auf ein *ἀπόφθεγμα Συβαριτικόν* oder einen *λόγος Συβαριτικός* (vgl. V 88 *Συβαρῖται διὰ πλατείας* u. a.). Epicharm, von dem bezeugt ist, dass er Sybaritische Schnurren verwendete (schol. Aristoph. Pac. 344: vgl. Lorenz Epicharm S. 277), hat der Stadt oder ihrer Einwohner im Herakles bei Pholos gedacht (Bekker anecd. Gr. I 83: *Ἀφάνηας· Ἐπίχαρμος Ἡρακλεῖ τῷ ⟨παρὰ Φόλῳ⟩*, vgl. Lorenz a. O. 242). Die Notiz bei Plinius kann man versucht sein aus den Origines des Cato herzuleiten, wel-

cher unter den Gewährsmännern des dritten Buches aufgezählt und an benachbarten Stellen mehrfach citirt wird. Aber die ‘gentes Monadorum Dardorumque’, über die ich bisher vergeblich etwas zu erkunden gesucht habe, und die spöttischen Namen ihrer Städte legen den Gedanken an poetische Erfindung sehr nahe. Sollte in einer Atellana oder Togata oder einer grossgriechischen Posse das Schicksal jener verschollenen Gemeinden irgendwie behandelt worden sein? Die ‘Einsamen’ würden nicht übel nach Apina gepasst haben, *Bardi*, Tröpfe, vielleicht nach Trica. Aber wir wollen solche Träume auf sich beruhen lassen und nur hoffen, dass ein künftiger Erklärer des Martial weder über ‘tricae’ allein auf Curtius Etymol.[4] 462 verweisen, noch über ‘apinae’ die untröstliche Auskunft geben wird, dass ‘die Herkunft und Etymologie’ des Wortes ‘unbekannt’ sei.

Nachträglich füge ich auf Grund freundlicher Mittheilung von O. Crusius hinzu, dass der Athous (Miller Mélanges p. 362) nach neuer Collation von L. Cohn im Lemma *Ἀφάννας* wie im Text *Ἀφάνναις* hat, ebenso *Ἀφάννας* die älteste Vulgärhandschrift, der Parisinus, dagegen der Laurentianus *ἀφάνες* und *ἀφάναις*. Beispiele des Schwankens zwischen einfachem und doppeltem Consonanten bieten u. a. G. Meyer Griech. Gr. § 287 ff. und Lachmann zu Lucrez p. 37. Der einfache Nasallaut pflegt der ursprüngliche zu sein.

O. Ribbeck.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.